L. ANNÆVS

SENECA,

TRAGICVS;

Ex

Recensione & Musæo

PETRI SCRIVERII.

Quid textui seriò castigato acce-
dat, aversa pagina indicabit.

LVGDVNI BATAVORVM,

Apud Iohannem Maire.

cIↃ. IↃ c. XXI.

Contenta hoc Syntagmate.

Tragœdiæ X, quæ *L. Annæo Senecæ* vulgò tribuuntur, ad veterum codicum fidem seriò emendatæ à P. Scriverio.

Animadversiones, sive *Notæ*,

IVSTI LIPSII,
FR. RAPHELENGII,
Q. SEPT. FLORENT. CHRISTIANI,
HIERON. COMMELINI,
IOSEPHI SCALIGERI,
IANI GRVTERI,
DANIELIS HEINSII,
IO. ISACII PONTANI,
GEORGII FABRICII,

P. Scriverij

COLLECTANEA

VETERVM TRAGICORVM,

L. Livij Andronici, Q. Ennij, Cn. Nævij, M. Pacuvij, L. Attij, & aliorum

FRAGMENTA.

De ijsdem amplissima Testimonia & Elogia Veterum;

Item,

Nomenclator omnium Latinorum Tragicorum.

ACCEDVNT

Gerardi Ioannis Vossij

CASTIGATIONES ET NOTÆ

in Fragmenta.

CLARISSIMO VIRO,

&

POETÆ INSIGNI,

PETRO SCRIVERIO;

'Post accuratam Martialis Epigrammatarij recensionem, novam Tragœdiarum Senecæ & aliorum Editionem paranti.

DVm lustuosi carminis tragœdiam
Molitur orbis, & cruentos induit
Bellona vultus, dum Thyestes, & novus
Tumultuantem pulsat orchestram Creon;
Dum sævus altis Pyrrhus instat arcibus,
Et exsecrandi nurubus adventant dies,
Phryges fugantur, & maritis dissitæ
Lugent Creusæ, prisca Troas luditur,
In se feroces tota convertit manus
Europa demens, & furentem pellicem
Imitata natis ipsa succenset suis:
Tu Martialis docte Scriveri iocos,
Pariterque grandes Vatis Annæi sonos
Et insolentes fœneras luci novæ

Veterum cothurnos, Delphicæque præsides
Quæsitor Vrnæ litteratorum gregi.
Exsanguis illa nempe conflictatio est,
In quâ triumphum victor & victoriam,
Victusque cladis percipit fructum suæ.
Stant bella calamo: nulla regnorum sitis,
Aut invidenda regibus cubilia
Materia litis. obsitos fœdo situ
Purgare sensus, involuta pandere,
Et impeditos lectionum compedes,
Erroneamque Vindicare dexteram,
Hoc agitur omne. quisquis Oedipus fuit,
Aut Sphinx acuta, vel peritus arbiter,
Applaudit illi tota Censorum schola,
Musisque amicis gloriæ palmam refert.
Hac arte lacerâ pelle fœdus Hercules
Nitet serenus. gaudet excutisisos
Atreus furores & Thyestis ferculum.
Hac arte rursus Oedipus felicior
Lumen recepit; temporumque iniuriâ
Distractus iterum currus Hippolyti ruit,
Sed restitutus. proximum Phœbo caput
Tiresia divûm clariùs pandit fidem,

Ora-

Oracla reddens. rapta filij manu
Redit Iocaſtæ vita, teque vindice
Adeſt petitus omnibus votis Creon.
Quin Hecuba multis involuta plexubus,
Vt dixit olim, filios plangit ſuos.
Fugiens Iäſon redditur, mater furens
Diſcerpta multis membra colligit locis.
Sed ille læſo celebris Ægiſthus thoro,
Et bellicoſi coniugis coniunx latro,
Dolent nefandum litteris prodi ſcelus.
Alcmena gaudet obſitum caligine,
Lentaque ſẽcli tabe confectum decus
Redire nato. ringitur Cæſar Nero,
Octaviæque vellet occaſum ſuæ
Oblivioſo ſupprimi ſilentio.
Tu nil moratus monſtra, priſtinum decus
Scenæ redonas; dumque picta fecibus
Detergis ora, puriùs multò pater
Tragœdiarum noſtra pulſat pulpita.
Inimice vates gentis Hiſpanæ, tibi
Cur illud adeò gentis Hiſpanæ placet
Hoſtile carmen? cur iniqui littoris
Tractas Poëtas? an probare cogimur

In hoſte dotes? vel novenarum chorum
Non tangit ira, ſi qua Principes ciet?
Nec ſæva Muſas odia ſceptrorum premunt,
Neuterque Apollo eſt? Omnis aſſurgit tibi
Recentioris docta ſeculi cohors,
Grataque faſces mente ſubmittunt ſuos.
Sic dum ſepultis vindicas ſcriptoribus
Priſcos honores, poſthumam laudem feres.
Non ille leti dentibus teri poteſt,
Qui litterarum principes vetat mori.

C. Barlæus, Med. D.

TES-

TESTIMONIA VETERVM, ET RECENTIORVM QVORVNDAM,

De L. Annæo Seneca.

Cornelius Tacitus Annal. XIIII.

OBijciebant etiam (L. An. Senecæ) eloquentiæ laudem vni sibi adsciscere, & † carmina crebriùs factitare, postquam Neroni amor eorum venisset.

Ad hæc I. Lipsius in Commentario.

† Tragœdiasne, quæ eius nomine feruntur? Non opinor, & alibi videro.

Iuvenalis Satyrâ VIII.

-Quis tam
Perditus, vt dubitet Senecam præferre Neroni?

Ipse Seneca Consolat. ad Helviam matrem, cap. vlt.

Qualem me (*in exsilio*) cogites, accipe: lætum & alacrem, veluti optimis rebus. Sunt autem optimæ, cùm animus omnis cogitationis expers, vacat operibus suis, & modò se † levioribus studijs oblectat, modò ad considerandam suam vniversique naturam, veri avidus insurgit.

Lipsius in Commentario.

† Poësi, & Philologiâ. Dixerit igitur aliquis, hîc eum poëtatum, & fortassè Medeam scripsisse.

Idem in Vitâ Senecæ, cap. V.

Vixit in exsilio annos circiter octo: & fortiter, imò, vt ipse ait, feliciter vixit, optimis studijs meditationibusque intentus. Ita enim ad matrem (cap. IV.) *Inter eas res beatum se esse, quæ solent miseros facere:* & pulcherrimè deinde (vide, sodes) philosophatur. Addit in exteremo (cap. vlt.) & assurgit: *Qualem me cogites, accipe*: &c. O hominem, ô verba honesta! quæ imitari Octaviæ tragœdiæ auctor (non enim ipse: apage.) voluit, his versibus, in personâ Senecæ:

Melius latebam, procul ab invidiæ malis
Remotus, inter Cersici rupes maris.
Vbi liber animus, & sui iuris, mihi
Semper vacabat, studia recolenti mea.
O quàm iuvabat (quo nihil maius parens
Natura genuit, operis immensi artifex)
Cœlum intueri, Solis & currus sacros!

Sed notes in ipsius Senecæ verbis supra, *Levioribus etiam ibi studijs se oblectasse:* quæ Poëtica censeo: & exstat in ijs Medea: quam in exsilio scriptam, quo tempore Claudius Britanniam subegit, mihil pænè certum: atque adeo argumentum illud elegit de Iasone, vt aliquid inspergeret scilicet de Oceano subacto. Sanè versus illi in Choro, quò, nisi ad Claudium, spectant?

Parcite ô Divi, veniam precamur,
Vivat vt tutus, mare qui subegit.

Iterumque:

Iam satis, Divi, mare vindicastis;
Parcite Divo.

Quod item ad Claudium, etsi vivum: & Deos Deo vult parcere, poeticâ adulatione.

Idem

Idem in eadem Vitâ, cap. X.

Perierunt Verſus eius & Poëmata, quos certum eſt vbertim ſcripſiſſe. Ipſe in exſilio feciſſe oſtendit; & Tacitus, iam etiam ſeniorem, & in aulâ.

M. Fab. Quintilianus lib. VIII. *cap.* III.

Noſtri autem in iungendo aut derivando paulum aliquid auſi, vix in hoc ſatis recipiuntur. Nam memini iuvenis admodum, inter Pomponium & Senecam etiam Præfationibus eſſe tractatum, an *gradus eliminat* apud Attium in Tragœdiâ dici oportuiſſet. At veteres ne *expectorat* quidem timuerunt.

Idem lib. IX. *cap.* II.

Interrogamus, aut invidiæ gratiâ: vt Medea apud Senecam:

-quas peti terras iubes? [Extat verſ. 453.]

Terentianus Maurus in Centimetro, vbi de Bucolico agit.

In Tragicis iunxêre Choris hunc ſæpe diſerti;
Annæus Seneca, & Pomponius antè Secundus.
Tale dedit nobis Pomponius:
Pendeat ex humeris dulcis chelys, &c.

Idem, de tertiâ tome Hendecaſyllabi.

His eſt omnibus in ſuis
Libris vſus Horatius.
Quo dicam, & quotiens, modo:
Nam primum minimè ſuo
Solum carmine protulit,

Vt Vates alij ſolent.
Exemplum Senecæ dabo:
Thebis læta dies adeſt; Herc. fur. verſ. 875.
Aram tangite ſupplices;
Pingueis cædite victimas.
Tales continuos legis. *&c.*

M. Val. Probus Grammat. Inſtitut. lib. I.

Nominativus ſingularis qui *en* ſyllabâ terminatur, Græci nominis eſt: & maſculino ſive fœminino genere, ſemper longa eſt. Maſculino, vt *Hymen*, vt Seneca in Hecuba:

Quicunque Hymen funeſtus, inlætabilis.

[Extat Troadibus, initio Actus IV.]

Idem lib. eod.

Illic, vel *illuc*, & *huc* adverbia, poſtremas longas recipiunt. vt, *Huc illuc acies circumtulit.* &, *Huc ades.* & Seneca in Hecubâ, hendecaſyllabo Sapphico verſu,

Ilium eſt illic, vbi fumus altè.

[In fine eiuſdem Act. IV.]

Ibidem.

Oedipodis & *Oedipodæ*. Seneca: *Oedipodis domus.* [V. 216. vbi *Oedipodis datur* vulgò, & ſic in Probo legendum.]

Priſcianus lib. VI.

Alia verò omnia in *is* deſinunt, vt *hic* & *hæc ſacerdos*; *hic* & *hæc compos*, *compotis*. Livius in XXV. *Profectò ſatis*

ſatis compotem menti ineſſe. O tamen in hoc ſolo corripitur. Seneca in †Phædrâ:

Hippolyte, me nunc compotem voti facis.

In ‡eadem: *compote voto.* & eſt Adonium metrum. [† Hippolyto, v. 707. ‡ Lege, *eodem.* nam non eſt ex Phædrâ ſive Hippolyto, ſed ex Agamemnone, Choro II. v. 360.]

Lactantius Statij Papinij Scholiaſtes, ad Thebaidem, lib. IV.

Seneca in Thyeſte:

Neſcitis cupidi arcium,
Regnum quo iaceat loco. &c.

C. Sollius Sidonius Apollinaris, Carm. IX. *ad Magnum Felicem.*

Non hîc Heſiodéa pinguis Aſcræ
Spectes carmina, Pindarique chordas, *&c.*
Non quod Mantua contumax Homero
Adiecit Latialibus loquelis, *&c.*
Non quod Papinius tuus meuſque
Inter Labdacios ſonat furores. *&c.*
Non quod Corduba præpotens alumnis
Facundum ciet, hîc putes legendum:
Quorum vnus colit hiſpidum Platona,
Incaſſumque ſuum monet Neronem:
Orcheſtram quatit alter Euripidis,
Pictum fecibus Æſchylum ſecutus,
Aut plauſtris ſolitum ſonare Theſpin:
Qui poſt pulpita trita ſub cothurno
Ducebant olidæ marem capellæ.

Pu-

Pugnam tertius ille Gallicani
Dixit Cæsaris, vt gener socerque
Cognata impulerint in arma Romam. *&c.*

Idem Carm. XXIII.

Quid † celsos Senecas loquar, vel illum
Quem dat Bilbilis alta Martialem,
Terrarum indigenas Ibericarum?

† Ms. cesos.

Paullus Longobardus, Diaconus, Historiæ Miscellæ lib. VIII.

Huius (*Neronis*) temporibus Poëtæ pollebant Romæ, Lucanus, Iuvenalis, & Persius, Senecaque Tragicus; Musonius atque Plutarchus, (*Hui! & ille etiam Neronis ævo? somnium.*) Philosophi.

Gellius Bernardinus Marmita, in Commentario ad Tragicum.

Volunt † plerique hunc auctorem Annæum Senecam, quem Moralem ferunt, impij Neronis in disciplinis alumnum, de Cordubâ Hispaniæ; Lucanique poëtæ patruum fuisse. Alij negant, aliumque volunt fuisse Senecam, cultioris mundioriſque stili, tragœdiarum auctorem. Idque argumentis consentaneis probare videntur; duosque fuisse Senecas, teste Martiale:

Duosque Senecas, vnicumque Lucanum
Facunda loquitur Corduba.

Alterum Philosophum, in sermone durum & sententijs gravem: alterum Tragicum, puræ & elegantis facundiæ: eumque verisimiliter harum Tragœdiarum

auctorem exſtitiſſe: in quibus lactea eloquij vbertas, verborum proprietas, & ſententiarum gravitas ex medijs Philoſophiæ fontibus deprompta videtur. *&c.* In hoc autem volumine eſt tragœdia, quâ mors Octaviæ vxoris Neronis tractatur; quæ vivente Nerone non credibile eſt acta fuiſſe, ſed poſt illius mortẽ. Ea à primo Senecâ ſcribi non potuit, cùm antea mortuũ fuiſſe conſtet. At hi, qui excuſant, non omnes tragœdias eiuſdem auctoris fuiſſe dicunt. quod varietas ſtili diligenter intuentibus indicat. & ſic eam alterius fuiſſe; alias verò Senecæ, quem Moralem appellitamus.

† [*Petracha, Crinitus, Daniel Caietanus, alij.*]

Deſiderius Eraſmus in Prolegomenis ad Senecam Philoſophum.

Ingenio facili verſatiliq; fuiſſe colligitur hinc, quòd in diverſis argumentis ſtilum exercuit pari propemodũ ſucceſſu. quod nec Ciceroni, nec Virgilio contigit. Nam Tacitus commemorat illius poëmata, de quibus ſentiens, incertum. Nam Tragœdiarum opus † eruditi quidam malunt Senecæ filio tribuere, quàm huic. Sunt qui fratri Senecæ adſcribant. Quamquam mihi videtur opus hoc Tragœdiarum non eſſe vnius hominis. Certè ex ludicro libello De morte Claudij, conijcere licet, illum haudquaquam iratis Muſis & Apolline verſatum in hoc ſtudij genere. *&c.*

† [*Ioanni Boccatio videbatur non Philoſophus, ſed vel illius frater, ſecundùm quoſdam, vel, iuxta alios, filius: vel ex fratre nepos. Qui ſcribunt poetam hunc (verba ſunt Crinitti de Poëtis Lat cap.* LIIII.) *filium fuiſſe Annei Senecæ, qui in Stoicorum diſciplinis magnoperè claruit, coniecturis tantùm nituntur: neque hanc rem, vt ego exiſtimo, vllis auctoribus aſſerunt.*]

Idem

Idem in Ciceroniano.

Age, num tibi Seneca videtur Ciceronianus? Nihil minus; præsertim in oratione solutâ. Nam Tragœdiæ, quæ probantur à doctis, vix videntur à Senecâ scribi potuisse.

Lilius Gregorius Gyraldus
De Poetis Dial. VIII.

Sequebatur Annæus Seneca Tragicus, prioris Senecæ, qui vulgò cognominatus est Moralis, frater, vel (vt alij malunt) filius. Duos enim eadem ætate Senecas fuisse, ex Valerio Martiale & Sidonio Apollinari notius est, quàm vt in re tam manifestâ temporis hodierni angustiâ abutar. Taxatus quidem prior Seneca à Fabio Quintiliano, modestâ quadam Hispani hominis censurâ, ne scilicet id fortassis odio potiùs, quàm veritatis candore feciſſe videretur. quam rem mecum sæpè reputans, eâ ratione feciſſe crediderim, vt Senecæ parem gratiam referret, qui Quintilianum Declamatorẽ, cuius adhuc nonnullæ extant Declamationes acriùs antea fuerat insectatus. Secutus est Fabiũ Gellius, vt videtur in Noctibus Atticis, sed petulantiùs. Verùm hac de re non est in præsentiâ dicendi locus. Seneca igitur vterque patriam habuit Cordubam Hispaniæ, hodie quoque nobilem, ex Annæâ insigni familiâ, ex quâ aliquot eadem fermè ætate viri & doctrinâ & moribus clari prodierunt: tres scilicet in primis fratres, Annæus Seneca, Annæus Gallio, Annæus Mela. Hinc versus ille Martialis:

Et docti Senecæ ter numeranda domus.

Et ex his Seneca hic Tragicus, Mela Pomponius, Lucanus, alij. Quo autem mortis genere Tragicus hic

Poeta

poeta interierit, parum compertum: nam de seniore, notissima est historia apud Tacitum Cornelium, quam nunquam me sine lachrymis legisse memini. Quot etiam Tragœdias docuerit, haud quaquam proditum. Quidam enim has tantùm, quæ in manibus habentur, existimant; alij plures. Nonnulli nec has, quæ leguntur, vnius esse hominis arbitrantur, sed diversorum, ob quandã, quam ipsi sentiunt, stili differentiam. Certè in primâ Tragœdia (*Herc. fur.*) versus aliquot reperiuntur, qui & apud seniorem leguntur,

Duc me parens summique dominator poli, &c.

Sunt verò hæ octo, quæ in manibus à plerisque nunc habentur, mirâ sententiarum & rerum vbertate refertæ: quæ res tantam eis fortassè auctoritatem superioribus annis apud patres nostros compararunt: à plerisque enim hoc tempore, qui naris emunctioris esse existimantur, in ordinem quodammodò rediguntur. Fabius quidem nec illas suâ censurâ dignas putasse visus est: tametsi alicubi tantùm Medeam nominat. quidam eâ caussâ id factum rentur, quòd hic Seneca viveret adhuc: alij, quòd nec dum eius in Senecas odium resederat. Vtcunque, me puero multo in pretio habebantur, & quò quis plures ex ijs versus memoriæ mãdasset, eò magis à doctoribus commendabatur. Sed & Senecam Philosophum (quod tamen illi cognomen cum Fabio nonnulli rati sunt parùm convenire) poemata scripsisse apud auctores didicimus. Plinius quidem iunior inter graviss imos ac sanctissimos viros, qui carmina scripserunt, eum enumerat [Epist. 111. lib. v.] Leguntur insuper in Epistolis Philosophi versus, quos is ex Cleanthe in Latinum se vertisse ait ex quibus, si conferatis, facilè cognoscere possitis, Tragicum

Se-

Senecam à Philoſopho pleraque bonâ fide ſumpſiſſe. Cornelius præterea Tacitus obiectũ ait Senecæ, quòd carmina factitaret in Imperatoris invidiam. Circumfertur etiamnum de Ludo libellus Senecæ nomine, in quo pleraque ſunt carmina, non illa quidem à Muſis aliena. Quem libellum fuit cùm ego falſò adſcriptum Senecæ putarim, quòd eo duriora quædam minuſque modeſta videbam: ſed cùm ab eruditis quibuſdam pro legitimo non haberi modò, ſed & interpretatum circumferri videam, ſententiam meam amplio, tantiſper dum maturiùs deliberem. *&c.*

Aurelij Auguſtini circumfertur SENECÆ VITA, ex varijs, vt videtur, auctoribus excerpta, quæ ab aliquibus Xichoni Poletono (*alijs Polentinus*) adſcribitur.

[*Extat eiuſdem Senecæ Vita Ms. auctore* Iannotio Mannoto Florentino, *in Bibliothecâ V. C. Paulı Petavij.*]

Iulius Cæſar Scaliger Poëtices lib. V. *cap.* VI.

Aſcendendum eſt ad tertiam ætatem, quæ poſt Auguſtum ad externos vſque Imperatores demiſſa (Nervam dico & aliõs) certũ ſuumque genus poëſeos comprehendit. Quum enim à ſuperioribus, vnoque Virgilio exhauſta eſſent argumenta omnia, ipſæ dicendi leges, omnes excuſſæ veneres; coacti ſunt novè eadem dicere, ne idem dicere viderentur. quare neceſſe fuit, vt illa gratia ſimul periret cum ipſâ ſimplicitate. Quũ tamen eſſent grandes & pleni: id quod prætuliſſent ei, quam pauci conſecuti ſunt, ſuavitati.

Deinde poſt Sulpitiam poëtriam, Perſium, Iuvenalemque ac Martialem, ſubiungit:

Quatuor ſuperſunt maximi Poëtæ (Seneca, Valerius Flaccus, Statius, Lucanus: Silium his annumerare, ſanè religio eſt.) quorum Seneca ſeorſum ſuas tuetur par-

partes, quem nullo Græcorum maiestate inferiorem existimo: cultu verò ac nitore etiã Euripide maiorem. Inventiones sanè illorum sunt; at maiestas carminis, sonus, spiritus ipsius. In quibus Sophoclis se esse voluit similiorem, frustra fuit. *&c.* [*Vide eiusd. lib. cap.* XIIII. *sub. fin.*]

M. Antonius Muretus Var. Lect. lib. II. *cap.* IV.

Et est profectò [*Seneca*] poëta ille præclarior, & vetusti sermonis diligentior, quàm quidem ineptè fastidiosi suspicantur.

*

Rectè magnus noster Erasmus iudicat Senecã haudquaquam iratis Musis & Apolline ad scribendum carmen accessisse, coniecturam faciens ex ludicro libello, sive Satyra Menippæâ de morte Claudij. Nos poematia omnia ex Apocolocynthosi illâ hic opportune subijciemus:

I

Iam Phœbus breviore viâ contraxerat ortum
Lucis, & obscuri crescebant † *tempora somni;* †Al. *cornua.*
Iamque suum victrix augebat Cynthia regnum:
Et deformis hyems gratos carpebat honores
Divitis Autumni, visoque senescere Baccho
Carpebat raras serus vindemitor vuas.
Iam medium cursu Phœbus divisérat orbem,
Et propior nocti fessas quatiebat habenas,
Obliquo flexam deducens tramite lucem.

* Hac

II

Hæc ait: & turpi convoluens ſtamina fuſo
Abrupit ſtolidæ regalia tempora vitæ.
At Lacheſis redimita comas, ornata capillos,
Pieria crinem lauro frontemque coronans,
Candida de niveo ſubtemina vellere ſumit,
Felici moderanda manu: quæ ducta colorem
Aſſumpſere novum. mirantur penſa ſorores.
Mutatur vilis pretioſo lana metallo.
Aurea formoſo deſcendunt ſæcula filo.
Nec modus eſt illis: felicia vellera ducunt,
Et gaudent implere manus. ſunt dulcia penſa.
Sponte ſua feſtinat opus: nulloque labore
Mollia contorto deſcendunt ſtamina fuſo.
Vincunt Tithoni, vincunt & Neſtoris annos.
Phœbus adeſt, cantuque iuvat, gaudetque futuris:
Et lætus nunc plectra movet, nunc penſa miniſtrat,
Detinet intentas cantu, fallitque laborem.
Dumque nimis citharam fraternaq; carmina laudant,
Plus ſolito nevere manus: humanaque fata
Laudatum tranſcendit opus. Ne demite Parcæ,
Phœbus ait, vincat mortalis tempora vitæ:
Ille mihi ſimilis vultu, ſimiliſque decore,
Nec cantu, nec voce minor, felicia † laſſis † Al. *lapſis.*
Sæcula præſtabit, legumque ſilentia rumpet.
Qualis diſcutiens fugientia Lucifer aſtra;
Aut qualis ſurgit redeuntibus Heſperus aſtris:
Qualis cum primum tenebris Aurora ſolutis
Induxit rubicunda diem, ſol aſpicit orbem
Lucidus, & primos è carcere concitat axes:
Talis Cæſar adeſt, talem iam Roma Neronem

Aſpi-

Aſpiciet. flagrat nitidus fulgore remiſſo
Vultus, & effuſo cervix formoſa capillo.

III.

Exprome properè, ſede quâ genitus cluas,
Hoc ne peremtus ſtipite ad terram accidas.
Hæc clava reges ſæpe mactavit feros.
Quid nunc profatu vocis incerto ſonas?
Quæ patria, quæ gens mobile eduxit caput,
Ediſſere. equidem regna tergemini petens
Longinqua regis, vnde ab Heſperio mari
Inachiam ad vrbem nobile advexi pecus,
Vidi duobus eminens fluvijs jugum,
Quod Phœbus ortu ſemper obverſo videt.
Vbi Rhodanus ingens amne prærapido fluit,
Ararque dubitans quo ſuos curſus agat,
Tacitus quietis alluit ripas vadis.
Eſt ne illa tellus ſpiritus altrix tui?

IV.

Fundite fletus,
Edite planctus,
Fingite luctus,
Reſonet triſti
Clamore forum:
Cecidit pulchre
Cordatus homo,
Quo non alius
Fuit in toto
Fortior orbe.
Ille citato
Vincere curſu
Poterat celeres,
Ille rebelles
Fundere Parthos:
Levibuſque ſequi
Perfida telis,
Certaque manu
Tendere nervum:
Qui præcipites
Vulnere parvo
Figeret hoſtes,

Pictaque Medi *Sæpe & neutrâ.*
Terga fugacis. *Quis nunc index*
Ille Britannos *Toto lites*
Vltra noti *Audiet anno?*
Littora ponti, *Tibi iam cedet*
Et cæruleos *Sede relictâ*
†*Scotobrigantes* *Qui dat populo*
Dare Romuleis *Iura silenti,*
Colla catenis *Cretæa tenens*
Iussit, & ipsum *Oppida centum.*
Nova Romanæ *Cedite mœstis*
Iura securis *Pectora palmis,*
Tremere Oceanum. *O causidici,*
Deflete virum, *Venale genus:*
Quo non alius *Vosque Poëtæ*
Potuit citius *Lugete novi.*
Discere causas, *Vosque in primis,*
Vnâ tantum *Qui concusso*
Parte auditâ, *Magna parastis*
Sæpe *Lucra fritillo.*

† Scaligeri hæc correctio. Al. *Scuta Brigantis.*

V.

Nam quoties missurus erat resonante fritillo,
Vtraque subducto fugiebat tessera fundo:
Cumque recollectos audebat mittere talos,
Lusuro similis semper, semperque petenti,
Decepere fidem: refugit, digitosque per ipsos
Fallax assiduo dilabitur alea furto.
Sic cum iam summi tanguntur culmina montis,
Irrita Sisyphio volvuntur pondera collo.

Versus

Versus L. Annæi Senecæ, qui extant Epistolâ CVII. Ex Græcis Cleanthis ab ipso, Ciceronis exemplo, conversi.

Duc me, parens, celsique dominator poli,
Quocunque placuit. nulla parendi mora est;
Adsum impiger. fac nolle, comitabor gemens:
Malusque patiar, quod pati licuit bono.
Ducunt volentem fata, nolentem trahunt.

Fugit eos ratio, qui censent hos versus ex primâ Tragœdiâ (sic vocant Herculem Furentem) desumptos esse: cum neque ibi, nec vspiam alibi in his decem fabulis reperiantur. Sed est manifesta eruditorum hominum hallucinatio.

Philosophus itidem Epist. CXV. Senarios duodecim profert à se (sic enim lubet opinari) Latio donatos, ex Græca Euripidis Bellerophonte:

Sine me vocari pessimum, vt dives vocer.
An dives, omnes quærimus; nemo, an bonus.
Non quare, & vnde: quid habeas, tantùm rogant:
Vbique tanti quisque, quantum habuit, fuit.
Quid habere nobis turpe sit, quæris? nihil.
Aut diues, opto, vivere; aut pauper mori.
Benè moritur, qui cum moritur lucrum facit.
Pecunia ingens generis humani bonum;
Cui non voluptas matris, aut blandæ potest
Par esse prolis, non sacer meritis parens.
Tam dulce si quid Veneris in vultu micat,
Meritò illa amores cælitum atque hominum movet.

*

Video præterea Epigrammata quædam, inter alia de exſilio, quod Seneca primo imperij Claudiani anno (Vrbis DCCXCIIII) ſubijt, ex ſchedis Pithæanis deprompta, ipſi Philoſopho palàm inſcribi. Falſò, meâ ſententiâ. Vetuſta quidem illa, & bona, non tamen legitima liquidò iurare poſſumus. Imò νοθεύει pleraque, & à ſcholaſticis ſcripta, ſane quædã indigna tanto viro & omnia hæc vnius viri aut ſtili credere, nõ eſt eius cui datũ eſt habere naſum. Adſcribam hîc ea ipſa, vt iudicet eruditus lector. Inſcriptio, quæ viris doctis placuit,

L. AN. SENECÆ EPIGRAMMATA SVPER EXSILIO,

à nobis ſic converſa eſt ſenſu diverſiſſimo,

EPIGRAMMATA SVPER EXSILIO L. AN. SENECÆ.

[Quædam Senecæ, quædam Petronij, aut alîus poſſunt videri, quædam infelicia, & ævo illo indigna.]

AD CORDVBAM.

Corduba, ſolve comas, & triſtes indue vultus:
Illacrimans cineri munera mitte meo.
Nunc longinqua tuum deplora, Corduba, vatem:
Corduba non alio tempore mœſta magis.
Tempore non illo, quo verſis viribus orbis,
Incubuit belli tota ruina tibi:
Cum geminis oppreſſa malis vtrinque peribas:
Et tibi Pompeius, Cæſar & hoſtis erat.
Tempore non illo, quo ter tibi funera centum,
Heu, nox vna dedit, quæ tibi ſumma fuit.
Non Luſitanus quateret cùm mœnia latro,
Figeret & portas lancea torta tuas.
Ille tuus quondam magnus tua gloria civis,

In

Infigar ſcopulo. Corduba ſolve comas:
Et gratare tibi, quod te natura ſupremo
Alluit Oceano. tardiùs iſta doles.

AD CORSICAM.

Corſica Phocæo tellus habitata colono;
Corſica, quæ Graio nomine Cyrnus eras;
Corſica Sardiniâ brevior, porrectior Ilvâ;
Corſica piſcoſis pervia fluminibus:
Corſica terribilis, cùm primùm incanduit Æſtas;
Sævior, oſtendit cùm ferus ora Canis.
Parce relegatis, hoc eſt, iam parce ſolutis.
Vivorum cineri ſit tua terra levis.

DE EADEM.

Barbara præruptis incluſa eſt Corſica ſaxis;
Horrida, deſertis vndique vaſta locis.
Non poma Autumnus, ſegetes non educat Æſtas,
Canaque Palladio munere Bruma caret.
Vmbrarum nullo ver eſt lætabile fœtu,
Nullaque in infauſto naſcitur herba ſolo:
Non panis, non hauſtus aquæ, non vltimus ignis:
Hic ſola hæc duo ſunt, exul & exilium.

IN INVIDVM.

Occiſi iugulum quiſquis ſcrutaris amici,
Et miſerum necdum me ſatis eſſe putas,
Deſere confoſſum. victori vulnus iniquo
Mortiferum impreſſit mortua ſæpe manus.

ITEM.

Quiſquis es, (& nomen dicam? dolor omnia cogit:)
Qui noſtrum cinerem nunc, inimice, premis:

Et non contentus tantis ſubitiſque ruinis,
Stringis in extinctum tela cruenta caput.
Crede mihi, vires aliquas Natura ſepulcris
Attribuit: tumulos vindicat vmbra ſuos.
Ipſos crede Deos hoc nunc tibi dicere, livor,
Hoc tibi nunc manes dicere crede meos:
Res eſt ſacra, miſer. Noli mea tangere fata,
Sacrilegæ buſtis abſtinuere manus.

ITEM.

Carmina mortifero tua ſunt ſuffuſa veneno,
Et ſunt carminibus pectora nigra magis.
Nemo tuos fugiat, non vir, non fœmina dentes,
Haud puer, haud ætas vndique tuta ſenis.
Vique furens totas immittit ſaxa per vrbes
In populum: ſic tu verba maligna iacis.
Sed ſolet inſanos populus compeſcere ſanus:
Et repetunt motum ſaxa remiſſa caput.
In te nunc ſtringit nullus non carmina vates,
Inque tuam rabiem publica Muſa furit.

ITEM.

Dum ſua compoſitus nondum benè concutit arma
Miles, & è noſtrâ lancea torta manu:
Bellus homo, & valide capitalia crimina ludis:
Deque tuis manant atra venena jocis.
Sed in perque jocum dicis vinumque. quid ad rem,
Si plorem? riſus ſi tuus iſta facit?
Quare tolle jocos. non eſt iocus eſſe malignum,
Nunquam ſunt graui, qui nocuere, ſales.

AD

DE SENECA TRAGICO.

AD CRISPVM.

Crispe, mea vires, lassarumque anchora rerum:
Crispe, vel antiquo conspiciende foro:
Crispe, potens nunquam, nisi cùm prodesse volebas:
Naufragio littus tutaque terra meo.
Solus honor nobis, arx & tutissima nobis:
Et nunc afflicto sola quies animo.
Crispe, fides dulcis, placidique acerrima virtus:
Cuius Cecropio pectora melle madent.
Maxima facundo vel avo vel gloria patri:
Quo solo careat si quis, in exilio est.
An tua, Cyrnea saxis telluris adhærens
Mens tecum est, nullâ qua cohibetur humo?

DE QVALITATE TEMPORIS.

Omnia tempus edax depascitur, omnia carpit.
Omnia sede movet, nil sinit esse diu.
Flumina deficiunt, profugum mare littora siccat,
Subsidunt montes, & juga celsa ruunt.
Quid tam parva loquor? moles pulcherrima cœli
Ardebit flammis tota repente suis.
Omnia mors poscit. lex est, non pœna, perire.
Hic aliquo mundus tempore nullus erit.

VOTVM.

Sic mihi sit frater maiorque, minorque, superstes,
Et de me doleat nil, nisi morte meâ.
Sic illos vincam, sic vincar rursus †*amando:* † Malim, ab illis.
Mutuus inter nos sic benè certet amor.
Sic Marcus, dulci qui nunc sermone fritinnit,
Facundo patruos provocet ore duos.

TESTIMONIA

EPITAPHIVM SENECÆ.

Cura, labor, meritum, ſumpti pro munere honores,
Ite, alias poſthac ſollicitate animas.
Me procul à vobis Deus avocat. Ilicet actis
Rebus terrenis, hoſpita terra vale.
Corpus avara tamen ſollennibus excipe ſaxis.
Namque animam cælo reddimus, oſſa tibi.

DE CRISPO.

Ablatus mihi Criſpus eſt, amici;
Pro quo ſi pretium dari liceret,
Noſtros dividerem libenter annos.
Nunc pars optima me mei reliquit,
Criſpus præſidium meum, voluptas,
Pectus, deliciæ. nihil ſine illo
Lætum mens mea iam putabit eſſe.
Conſumptus malè, debiliſque vivam,
Poſtquam dimidium mei receſſit.

ANI-

DE SENECA TRAGICO.

ANIMADVERTENDA ET ADIICIENDA NOTIS IO. ISACII PONTANI.

Petro Scriverio I. Isaacius

S. P. D.

SCriveri clariſſime, accepi quæ erant excuſa Tragœdiarum folia, ſive ſpecimen potius editionis, quam paras Latinorum Tragicorum. Nunc reliqua, & præſertim Fragmenta expecto. Obiter nonnulla obſervavi; ſed quæ tanti non erant, vt in iſtam chartam conijcerem. Videbo ſiqua præterea, & abollæ maioris, ſub manus ſe ferant. Hippolyti Act. 1. verſ. XIII quod ingenio partim, partim libris manuducentibus, legendum monui.

Vbi per graciles lenis Iliſſus.
Vbi Mæander ſuper inequales
Labitur agros piger &c.

Rectum adhuc & γνήσιον iudico. Nec refert, quod præcipuè obijci animadverto, ſi Atticam Mæander non perfluat, cùm ſufficiat in Aſiâ minore eſſe, vbi è regione Atticæ, intra Miletum & Epheſum, in mare Myrtoum exoneratur. Et ſolet ferè ita Seneca, etiam longinquiora in vnum compingere. Sic in Thebaide, poſtquam Tmolum Aſiæ minoris montem, & tractus eiuſdem Pactolum nominaſſet, Mæandrum Hebro, qui in Thraciâ eſt, jungit. Ait enim Act. 4. ſub finem fere,

-Nec lætis minus
Mæandros arvis flectit errantes aquas.
Rapidusque campos fertiles Hebrus ſecat.

Nec memini, ſi alibi in hiſce Tragœdijs eius mentio.

adeo

adeo vt omittere piaculum fuerit, referente præsertim in epistolis ipso Senecâ Mæandrum poetarum omnium & ludum esse, & exercitationem. Deinde Octaviæ vers. 382:

Qui sese nescit tantus in cæcum chaos
Casurus iterum, nunc adest mundo dies
Supremus ille, qui premat genus impium
Cæli ruina, rursus vt stirpem novam
Generet, renascens melior.

Opportunè viri docti priores voces malè divulsas ordinarunt legendo: *Qui si senescit*, quomodo & tua hæc exhibet editio. At sequentia, quam adhuc balbutiunt, nec, quod dicendum, dicunt? vult enim, qui loqui introducitur, Seneca, aut vovet saltem, vt dies mundo supremus adsit, veniatque vindex scelerum atque improbitatis. At dicere, quomodo vulgò editur, *nunc adest mundo dies supremus*, rem ponit, ac votum excludit. Quod quo pacto huic loco ac menti auctoris conveniet? Itaque versu secundo sublatâ literulâ vnâ legerim, *ades*. sequenti verò, *premas*, item *totus* pro *tantus*, versu primo. Omniaque commodè habebunt, hunc in modum:

Qui si senescit, totus in cæcum chaos
Casurus iterum, nunc ades mundo dies,
Supremus ille, qui premas genus impium
Cæli ruinâ; rursus vt stirpem novam &c.

Quasi dicat, si senescit, vt volunt aliqui, suumque ad interitum tendit mundus, seculique ac scelerum purgatio instat, nunc vero tempus est, quo illud ev enire oporteat. Hæc scripseram, cum in Notis CL. viri Iani Gruteri reperio, offendisse etiam hîc alios, & mederi conatos faciendo pro *adest*, *assit*, sed Hygeia minus favente.

vente. Quod & monuit continuò idem ille emunctiſſimæ naris amicus noſter Gruterus. non quidem quod mens auctoris, ſed verſus metrum id reſpuat. At in noſtram emendationem hoc non cadit Verſ. 1584. Herculis Oetæi:

Ante diſcedet glacialis urſæ
Sidus, & ponto vetito fruetur,
Quamtuas laudes populi quieſcent.

Quorum poſtrema ſermonis gemmula ſint, ſi præſertim vſus antiquæ locutionis ſpectetur, quæ non raro verba abſoluta pro agentibus vſurpat. *Laudes* itaque *populi quieſcant*, erit, à laudibus ſive laudando quieſcant, quomodo & Maro in Bucolicis dixit, *requierunt ſuos curſus flumina*, id eſt, à curſibus ſuis. Ait enim,

Et mutata ſuos requierunt flumina curſus.

Quadrigarius Annal. 1. cum potuiſſet eodem modo loqui, maluit gignendi caſu, ſed eidem archaiſmo inſiſtens, dicere, *quieſcere pugnæ. Manu*, inquit, *ſignificare cœpit vtriq;, vt quieſcerent pugnæ.* Qui aliter & inclementius de Tragici illo loco ſtatuerunt, quomodo iudiciũ ſequar? Ego ſanè in partem benigniorem propenſior, malim antiquitati ſuum hic ius & linguam relinqui.

Sed hæc aliaque talia, vbicunque abeſt affectatio, adeſt verò illa priſca ſimplicitas, ipſa vetuſtate gratius nitent. Quod & magis appareat, ſi plures eiuſmodi locutiones, ab vſu & conſuetudine hodiernâ remotiores, in vnum collectas intueamur. Cuius rei egregium iam olim ſpecimen, eo in libello, qui de vſu antiqui ſermonis in manibus eſt, dediſſe video Auſonium Popmam Friſium, qui inter cæteros gentis ſuæ nobiles illuſtre ingenium eruditis ſtudijs excolere curæ habet.

Effet-

Essetque optandum, vt ab eo feliciter id cœptum est, ita porrò pertexeret, & additis ex suâ aliorumque industriâ secundis curis, opus coronaret. Vale mi Scriveri, à nobis salutatus quàm diligentissimè. Hardervici XXIIX Iunij stilo veteri CIↃ IↃ C XX.

Ausonij Popmæ memoriam mihi refricuit, quòd istis diebus misit typographo nostro excudendum Manuscriptum Commelinus. Continet id Fragmenta veterum Historicorum Latinorũ, cum Notis eiusdem Popmæ. Sallustij reliquiæ, seorsim editæ, hîc non adsunt. Est penes me Antonius Riccobonus, qui idem institutum iam olim persecutus est haud indiligenter. Tu si quid habes, quod huc facere putes, cogita & iuva. Iterum vale.

DE THEBAIDE.

Iustus Lipsius in Animadversionibus ad Tragicum.

EScriptio (ita me Deus amet!) alta, docta, grandis: & quæ suo iure ambulet in cothurnis. Nihil vsquam iuvenile, arcessitum, fucatum. phrasis & verba lecta: sententiarum mira & inopinata acumina. & acumina virilia & fortia: quæ me quidem ita feriunt, vt non exciter solùm ad ea, sed subsultẽ. Quid tale in alijs? audebo rem dicere. Scripti gemmula hæc est, & quã lubens retulerim vel ad Augusti ævum. Per bellum quidem civile eam scriptam, & ex argumenti lectione suspicor, & ex versibus, qui quasi datâ operâ huic rei inserti. Quidquid huius est, tollenda sanè ea, nec vltra calcanda pedibus ignari vulgi. Vos, Critici, ponite, & habete audacter inter prima Romana scripta.

Idem

DE SENECA TRAGICO.

Idem postea,

DE OMNIBVS DECEM TRAGOEDIIS.

Duas duorum eximias censeo: quibus laudator ego, non censor. In alijs virtutes video; sed non sine mixturâ vitiorum. Magnus Scaliger quòd tam laudatum de his testimonium tulerit, vt etiam Græcis antepofuerit, an ex vero? non dixeris, nisi ad primas illas adspectu. Nam cæteræ profectò non ascendunt culmen istud laudis. Sonus in ijs & granditas quædam tragica, fateor; sed nonne adfectatio sæpè & tumor? Verba & dictio, an vsque quaque electa? Iã sententiæ probæ, acutæ, interdum ad miraculum: sed nonne sæpè & sententiolæ? id est fracta, minuta quædam dicta, obscura aut vana: quæ aspectu blandiantur; excussa moveant risum. Nec enim lumina, sed scintillæ sunt: nec veri forteſque ictus, sed vt in somnio parvi & vani conatus. Quas tamen ipsas crebro nimis & ad fastidium inculcat, nec invenit, sed arripit: non tam suâ fortassis quã ævi culpâ, cui scholasticum & Declamatorium hoc genus ita placuit, vt *operum omnium* (Fabij verba sunt) *solam virtutem sententias putarent.*

*

De Thebaide (minimâ omniũ Tragœdiarum) præclare itidem sentit alibi in Commentarijs ad Philosophũ, & cum eo ita malè iudicant Florens Christianus, Ianusque Bernartius. Sed Scaligerum atque Hensium contrà differentes audi. Quos sequor.

HIERONYMVS AVANTIVS
VERONENSIS,

Et

GEORGIVS FABRICIVS
CHEMNICESIS,

DE GENERIBVS CARMINVM
Apud
L. ANNÆVM SENECAM
Tragicum.

Hieronymus Avantius Veronenſis
DE CARMINE IAMBICO TRIMETRO.

PRima ſedes vltra iambum & tribrachym recipit ſpondeum, & ſpondei diſſolutiones, anapæſtum & proceleuſmaticum, & ipſum dactylum ſæpiſſimè: licet hoc neget Interpres in fine (Troadis) ſextæ Tragœdiæ.

Secunda & quarta ſedes iambo & tribrachy tantùm ſerviunt: ideo contra Interpretes iam conſtantiſſimè aſſero, apud Senecam in iambicis trimetris nunquam inveniri anapæſtum, neque in ſecundâ, neque in quartâ ſede.

Tertia ſedes admittit iambum, ſpondeũ, dactylum, & tribrachym. Anapæſtũ verò in loco tertio nunquã invenies: niſi dictio ipſa fuerit quatuor ſyllabarũ; quod accidit verſibus viginti, hoc vno propè Oedipeo verſu excepto,

Inter ſenem iuvenemque, ſed propior ſeni.

Quintus locus vti ſæpiſſimè, imò ſemper, habet aut ſpondeum, aut anapæſtum: ita iambum & dactylum nunquam aſſumit, niſi in novem verſibus; quorum vltimæ dictiones ſunt quatuor ſyllabarum: *nepotibus, cacumine, Prometheus, Caphārides, Polyxena, facinorum*, & ter, *memoria*. Tribrachym quoque ter tantùm vſurpat in hac ſede quintâ,

dictio-

dictionibus itidem quadrisyllabis: scilicet, -*Luctifica negat*, in Hippolyto; -*Pestifera movent*, in Hercule furente;- *Luctifera gerens*, in Oedipo.

Sexta sedes semper habet vnicũ iambum: licet Massarius affirmans tribrachym in hoc vltimo pede, non modò adducat illũ versum Herculis furentis primæ Tragœdiæ,

Vt sæpè puppes fluus invitas recipit.

Vbi profectò, si vetusta exemplaria consulueris, *rapit*, non *recipit*, est legendum: sed etiam citet illum versum,

Et fata vici: morte contemptâ redij.

Vbi per synæresin est iambus, non anapæstus. Sic Ascensius Massario consentiens, non modò super dictione *Cápharides* scribit esse spondeum in eodem sexto pede: verumetiam in fine Troadis Tragœdiæ sextæ dicit legendum esse, -*Virginibus teneris*, vt sit anapæstus in vltimâ trimetri. Ego autem iamdiu scripsi, omnes versus trimetros vndequaque probabiles & sinceros inveniri apud Senecam, penes quem nullus est versus scazon, nullus exlex, seu καχόμετρος, nullus hypermeter, nullus hypercatalectus, nullus brachycatalectus, sed omnes meri acatalecti: etiam non constat vllus è iambis omnibus, quod gravium Tragicorum lex decernit. Imò Seneca noster sic fuit metrorum ac syllabarum observantissimus, vt cum Hieronymo Aleandro, literarum & religionis culturâ viro venerando, libeat consentire, omnẽ Senecæ versum proculdubio depravatum esse, quem receptas scansionis normas transgredi offenderis.

F. Ægidius Massarius.

Nego præterea collocari trochæũ in aliquâ sede versus trimetri: vnde demiror improbam quorundã audaciam clamantiũ trochæum esse in quintâ sede horum triũ versuum: quorũ primus est in Thyeste secundâ Tragœdiâ,

Leve est miserias ferre: perferre grave.

Vbi syllaba *re* in *perferre* producitur, vi consonantiũ sequentis dictionis: vt etiam, -*Frigida spatio refert*, & -*Vndique scopuli adstrepunt*. Vide quæ scripsi apud Catullum in dictione *Propontida*. Non tamen semper producitur huiusmodi syllaba: vt, -*Vnda flammas opprimat*.

Et sæpius omnes Poëtæ hanc finalem syllabam sequenti-

quentibus consonantibus pro suo commodo recipiunt.

Secundus versus est in Medeâ Tragœdiâ septimâ, in quâ legitur. *-perfidi sanguis ineſt.* Vbi dico spondeum esse in quintâ sede, non trochæum; vt apud Tibullum canentem, *-sanguis est tamen ille meus.*

Quin aliàs Catullus, Tibullus, Propertius, Ovidius, Ausonius, & alij Poetæ vsurpant de industriâ eam pentemimerim: sed Lucanus, Senecæ affinis, vtrasque easdem dictiones mutuatus, scribit:

Dum sanguis inerat, dum vis materna.

Quin semel Maro, semel Valerius Flaccus, bis Lucretius, & bis Silius producit vltimam in *sanguis*: & legitur de Lucretiâ in antiquo Epigrammate,

Sanguis antè virum, spiritus antè deum.

Tertius versus est in Hercule Oetæo, vbi scriptũ erat, *-si mille gemunt Vrbes-* Vbi legendum docui *nulle*, non *mille*. Vt & in Ovidianâ Sappho legendum præmonstravi,

-Et nulle dulce queruntur aves;

non *mille*, vt passim legebatur.

Itidem in Thebaide Tragœdiâ tertiâ est ille versus,

Iönidésve, vel Mycenææ nurus.

In quo credunt esse trochæum in primâ sede: cùm certè sit iambus; quod & fatebuntur qui præter cæteros legerint Ovidium, Propertium, Horatium, & Martialem, sic scribentes:

Ovid. *Non Latium norat, quam præbet Ionia dives.*
Propert. *At tu seu mollis quâ tendit Ionia: seu quâ,*
Horat. *Non attagen Ionicus iucundior.*
Mart. *Ionicarum gustus attagenarum.*

Et ipsi & alij vates sæpius eas primas syllabas in *Ionia* variant. Quin peritorum gratiâ dixerim, apud Virgilium in eo celebri versu, *Insulæ Ionio in magno*, excluditur & abijcitur in scansione diphthongus primæ dictionis; non autem adimitur vltima vocalis in sequente dictione *Ionio*, vt à plerisque omnibus est hactenus præceptum. Sic igitur scandatur iste versus, *Insul' I oni' in ma.* vt, *Posthabitâ coluisse Samo. Quem Dardanio Anchisæ. Sub Ilio alto.* et alibi sæpissimè. Non tamen hoc receńseo, quòd nescia diphthon-

gum sæpè retineri, sequente vocali, vt, *Castanea hirsuta Antè tibi Eoæ Atlantides.* Et ipse Seneca in principio Troadis tragœdiæ sextæ, *Æacidæ armis*: sed vt primas syllabas in *Ionio* lubricas tester; neque vnquam inveniri trochæum in Senecæ trimetris, nisi in versibus planè depravatis. Pyrrhichius quoque nullibi admittitur in hoc iambico, licet alij contendant esse pyrrhichiũ in fronte horum hemistichiorum: *Petijt ab ipsis: Abijt arenas: Redijt Achilles*: sed mirificè decipiuntur. Possem dicere inibi tribrachym esse, vt in Thyeste tragœdiâ secundâ, *Quod ratio nequijt*. vt millies aliàs: potiùs tamen dicam in illis tribus esse iambum, quia *t* litera finalis sæpè producitur. Ovidius,

Vt monuit, cum voce abijt.

Sed maximè in his dictionibus per synæresin coactis: vnde non exploderem alteram vocalem, quam demunt alij in ipsis infra scriptis verbis, in quibus plane est iambus, non pyrrhichius: *Complexus abijt: Eversa perijt: Petijtque supplex:* saltem vt in temporibus sensus sit magis obvius.

Ille quoque fallitur, qui in secundo Actu octavæ Tragœdiæ (Agamemnonis) legens,

Et qui redire (cùm perijt) nescit pudor.

Et in secundo Octaviæ legens, *Aliena telis: aut petijt*, credit esse anapæstum in quartâ sede, qui tamen inibi nunquam invenitur: licet adolescentior cum cæteris omnibus deceptus fuerim. Vt præterea, quod sentio, exprimam, quando prima producitur, *Obijce* scriberem potiùs, quàm *Obice*, vt verbum à nomine statim dignoscatur. Legerem tamen & scriberem, *-Per decem mensûm graves*, pro *mensium*: nam vt apud alios Latinos auctores, sic & apud Senecam, scribuntur & leguntur hæ dictiones, vt metra deposcunt. Vt cùm in Seneca legitur, *-Tuque cœlestûm arbitor*, pro *cœlestium*, & apud Catullum *Flos Veronensûm*, pro *Veronensium*, in huiusmodi ego ectasi aut molossum aut creticum pedem exhorreo: ad quem confestim absque necessitate plerique concurrunt, tanquam ad solidissimam anchoram. Interim hæc sit nostra sententia; licet nuper secus scripserit vir eruditissimus & amicissimus:

mus: at non ſemper idem eſt vnius iudicium. Vnde quamvis hæc ſtudia (quæ humanitatis appellant) rariſſimè, nec niſi coactus, reviſam; multas tamen inventiunculas noſtras alaciter damnavi: & (ſi acciderit) meipſum redarguens ſcriptorum meorum ingenuus ero exactor. Igitur repeto, in his, vt verſui convenit, ita ſcribendum, nunc *legentium*, nunc *legentum*: vt annotavi in meo codice impreſſo in ædibus Aldi Anno cIↃ IↃ XVII.

Schema trimetrorum Senecæ, ſecundùm obſervationem Avantij, huiuſmodi eſt.



Georgius Fabricius Chemnicenſis

DE RELIQVIS CARMINVM GENERIBVS.

DE trimetris ſanè diligenter Avantius; ſed quia in Choris carminum genera reliqua non attigit, videntur ea quoque exponenda: cùm in Tragicis inveniantur,

antur, quæ cum Poëtis cæteris non conveniant. Nam vt ſuam illi ſervent gravitatem, legitimis pedibus & vulgatâ compoſitione ſemper non ſunt vſi; videlicet,

Vt ſermo pompæ regiæ capax foret,

ſecundùm Terentianum. In quibus annotandis operam exiguam ſumpſi, non exiguo futuram commodo ijs, qui cùm diligentiâ & attentione liberali in veterum ſcriptis verſari ſolent.

DE IAMBICO.

I. Iambicum dimetrum catalectum, primâ ſede conſtat è ſpondeo aut anapæſto: duabus reliquis, iambo, cum ſuperfluâ ſyllabâ. E'tali iambico integer Chorus eſt in Medeâ, ante actum quintũ. Talis verſus in Oedipo,

Ophioniaque cede.

– – ∪ – ∪ – –
∪ ∪ – ∪ – ∪ –

Ibidem impurus eſt ille, mutato altero iambo in ſpondeum.

Solenne Phœbus carmen.

II. Iambicum dimetrum acatalectum habet ſedibus paribus iambum, imparibus ſpondeum aut dactylum aut anapæſtum. hoc accinitur iambico trimetro, in Medeâ: interijcitur eidem in Agamemnone. Miſcetur trochaicis & dactylicis vnus, in eadem Tragœdiâ,

Procella fortunæ movet.

∪ – ∪ – ∪ – ∪ –
– – – –

Impurus eſt ille in Oedipo,

Hederave frontem bacchiferâ.

Huic viciſſim accinitur ſuperius catalectum ibidem,

Aut fœta tellus impio
Effudit arma partu.

III. Iambicum dimetrum hypercatalectum fit, cùm ad ſuperius adiungitur pes triſyllabus in fine, nempe bacchcus: è quo genere non conſtant Chori integri, ſed alijs alibi, rariſſimè tamen, interponitur; vt in Oedipo.

Sen-

Sensêre terræ †Zedacum feroces. † te Dacum.

Habet ſede quartâ etiã anapæſtũ; vt in Agamemnone,

Non vrbe cum totâ populos cadentes.

Ibidem,

Charuſque Pelidæ nimium feroci.

In quâ Tragœdiâ tantùm vnus adhuc generis eiuſdẽ legitur. Vt autẽ apud Tragicos iambico dimetro pes triſyllabus additur, ita apud Comicos iambico ſenario: cuius è Varrone meminerunt, Chariſius, Diomedes, Ruffinus. ſinguli adducunt hunc versũ Terentij ex Hecyrâ,

Nam ſi remittent quippiam Philumenæ dolores.

Sed nunc non alia perſequi, præterquam Tragici noſtri, decretum eſt.

IIII. Iambicum trimetrum brachycatalectum Scazon, ſeu claudum, neſcio an vlli alij, excepto Seneca, apud Latinos ſit vſitatum. Habet ſede primâ iambum aut anapæſtum, ſecundâ iambum, tertiâ ſpondeum, penultimâ iambum, vltimâ ſpondeum, & ſemel tantùm anapæſtum.

Sonuit reflexo claſſicum cornu. in Oedipo.
Cùm lege mundi Iuppiter ruptâ. in Agamemnone.
Iuſſitque Phœbum tardiùs celeres. ibidem.

– – ∪ – – ∪ – – –
∪ ∪ – ∪ – ∪ ∪ –

Hoc genus ſcazontis in duabus tantùm Tragœdijs legitur: nam alia exempla ego ignoro.

Interdum in eodem non fit colliſio; vt,

Eliſit ære, antè non linguas.

Interdum nulla eliſio; vt,

Clamore primum hoſtico experti, in Oedipo.

Sed hoc videtur fieri valde illepidè.

Eſt & alterum Scazon huic diſſimile, in quo contra legem communem loco penultimo trochæus ponitur,

Timet aut minaces victoris iras.
Tacitumque murmur percuſſit auras.
Gemuitque taurus Dictæa linquens.

∪ ∪ – ∪ – – – ∪ – –
– – – ∪ – ∪

Hæc autem rectiùs inter compoſita metrorum genera referuntur.

V. Iambicum trimetrum catalectum integrum, ſatis ab Avantio explicatum videmus, quod tamen è puris iambis non conſtat, ſed pedum æqualium quaſi temperamento conficitur. Tradit ex antiquis Grammaticis Victorinus, improbari verſum è iambis omnem compoſitum, nam vt ſit amplior, & par tragicæ dignitati, interponi frequenter, locis videlicet imparibus, pedum dactylorum numeros, & moras ſpondeorum: quam ſententiam approbat Terentianus. Quos autem trimetros Græci, eos Cicero & Quintilianus vocant ſenarios, & eorundem imitatione Flavius Caper & Aruntius Celſus, Terentij interpretes. Cauſam nominis vtriuſque ſcitè Terentianus reddit, ſuæ vir artis doctiſſimus,

Iambus ipſe ſex tantùm locis manet,
Et inde nomen inditum eſt ſenario:
Sed ter feritur, hinc trimetrus dicitur,
Scandendo binos quòd pedes coniungimus.

Annotarem & illa, vbi colliſiones aut eliſiones non fierent, vel hiantibus literis, vel ſequente aſpiratione: ſed cùm id in difficilioribus dicere iam cœperim, & in reliquis generibus ſim repetiturus: ſtudioſi id per ſe obſervabunt, quod à præceptionibus communibus diſſidet, & libertatem illam vetuſtiorum refert.

VI. Iambicum trimetrum catalectum ſcazon, conſtat è ſolitis trimetri pedibus, iambo, ſpondeo, anapæſto: ſed in fine loco iambi ſpondeum celebrat, quem tamen antecedit anapæſtus aut iambus: cuius generis duo tantùm verſus ſunt in Agamemnone,

Cùm Dardana tecta Dorici raperent ignes.
Fatale munus Danaûm traximus noſtra.

– ∪∪– ∪– ∪– ∪∪– ––
∪– –∪∪ –– ∪– ––

DE TROCHAICO.

I. Trochaicum dimetrum catalectum è trochæo, item ſpon-

ſpondeo vel dactylo vel anapæſto, demùm trochæo & ſyllabâ ſuperfluâ componitur: quo vtitur in Oedipo,

Sed quid hoc? poſtis ſonat.

Item,

Pendet inſtabili loco
Quicquid exceſſit modum.

-∪ -- -∪ -
-∪∪ -
∪ - -

Chorus enim ille integer eſt ex hoc genere, quod & alijs Choris immiſcetur, aut ad eorum extremum adhibetur. Vnus verſus hypercatalectus eſt in eodem Choro,

Vita, decurrente via.

Vnus improprium ſedem habet, loco trochæi pyrrhychium, in initio,

Comes audacis viæ,

Sed dubito valde, num correcti ſint hi ipſi loci.

II. Trochaicum dimetrum hypercatalectum, conſtat è trochæo, item ſpondeo, iterum trochæo, demùm trochæo vel ſpondeo, & ſyllabâ abundante; vt,

Nullus hunc terror, nec impetus.

Item,

Senſit ortus, ſenſit occaſus.

-∪ -- -∪ -∪ -
-∪ -- -∪ -- -

III. Trochaicum trimetrũ brachycatalectum, habet loco primo & tertio trochæum vel ſpondeum vel dactylum: ſecundo, quarto, & quinto trochæum; vt,

Protulit tellus aut anguis imis. in Oedipo.
Deſeruit fugas nomenque genti. in Agamemnone.
Te duce concidit totidem diebus. ibidem.

In quâ Tragœdiâ plures verſus eiuſmodi, ſed ſparſim, inveniuntur.

-∪ -∪ -- -∪ -∪
-- -∪
-∪∪ -∪∪

Impurus eſt ille, qui loco ſecundo ſpondeum habet.

Vicit acceptis cùm fulsit armis. Item,
Fraude suâ capti cadèrent Pelasgi.

Quamvis post duas mutas, vocalem sequentes, vtraque syllaba correpta legi posset, licentiâ vetere: vt versus ille apud Gellium, ex emendatione Alciati,

Postquam est morte captus Plautus, Comœdia luget.

Nam in secundo loco dactylus est, propter *pt* literas vocalem sequentes. vt apud Græcos,

θρήνυστ' αἰγυπτίων.

Sed auctorem nostrum minùs horridum, ab hac consuetudine planè abstinuisse arbitror. Impurus itidem ille, in quo sede secundâ pro trochæo ponitur anapæstus; vt in Agamemnone,

Tradit thalamis virginem relictam.

IIII. Trochaicum trimetrum hypercatalectum, habet trochæos admixtis, vt solet, dactylis & spondeis, quod in Agamemnone locis solummodò duobus legimus,

Vidimus patriam ruentem nocte funestâ.
Vidimus simulata dona molis immensæ.

-ᴗ -ᴗᴗ -ᴗ -- -ᴗ ---

V. Trochaicum tetrametrum catalectum, trochæum recipit locis omnibus, exceptis quarto & sexto, in quibus quasi tibicen fulcitur spondeus, firmamenti gravitatisque causâ. Integrè purum carmen hoc ponere Tragici non solent; nam quod alijs Poetis decoro est, in his vitiosum putatur, Victorino & Attilio testantibus. In primâ sede, præter trochæum, quem semper vt legitimum intelligo, collocantur dactylus, tribrachys: in secundâ, spondeus, dactylus, anapæstus: in tertiâ, tribrachys: in quartâ, vnicus spondeus: in quintâ, dactylus & tribrachys: in sextâ, rursus spondeus, & semel dactylus, semel tribrachys, apud hunc videlicet auctorem: in septimâ necessariò trochæus: syllaba abundans (vt in omnis carminis fine) est indifferens. Has pedum diversitates obseruare licet in Tragœdijs duabus, extra Chorum, nempe in scenarum exordijs, vt in Hippolyto & Medeâ: semel tantùm in scenæ medio, vt in Oedipo. Nos simpliciotis versus exemplum subijciemus,

Et pias numen precatus, ritè ſubmiſi manus.

Et illius apud Terentiũ in Heautontimorumeno, qui eſt omnium eius Comici puriſſimus,

Vis amare, vis potiri, vis quod illi des, effici.

-∪ -- -∪ -- -∪∪ -- -∪-

Trochaicorum reſtant alia quædam genera, quibus ſemel aut iterum vti Poeta ſatis habuit, quæ ex impuris & imperfectis compoſita & quaſi conglutinata ſunt.

Primum, pedum quatuor; vt in Agamemnone,

Heſperum dici: aurora movit.

-∪ --- -∪ --

Alterum, pedum totidem, & ſemipedis; cuius exempla leguntur duo in eadem Tragœdiâ,

Stella quæ mutat, ſeque mirata eſt.

Frigidus cuſtos, neſcius ſomni.

-∪ --- -∪ ---

Tertium, pedum quinque; vt,

Semper ingentes educas alumnos.

-∪ --- -∪ -∪ --

Quartum, pedum totidem cum ſemipede; in Oedipo,

Lucidum cœli decus huc, ades votis.

-∪ -- -∪∪ -∪ ---

DE ANAPÆSTICO.

Anapæſticum complectitur ſedes quatuor, recipit in ſingulis anapæſtum, in primâ pariter dactylum & ſpondeum: in ſecundâ ſolùm anapæſtum aut ſpondeum: in tertiâ ſpondeum, dactylum, tribrachym: in vltimâ anapæſtum, ſpondeum, tribrachym, & dactylum: ſed hunc bis tantùm obſervare potui; vt,

Mixtaque odoro Lesbia cum thymo. in Oedipo.

Qui Styga triſtem non triſtis videt. in Agamemnone.

E' ſolis anapæſtis vnus legitur in Hercule furente,

Pharetræque leves, date ſæva fero.

Alter in Thyeſte, tertius in Hippolyto, quartus in Agamemnone. nam hoc contra gravitatem Tragicam eſt,

eſt, vt ſuprà in iambicis & trochaicis, de veterum auctoritate ſcripſimus. Itaque ſimilem verſum reprehenderunt familiares Ovidij, in ipſius tragœdiâ Medea, qui à Seneca in Controverſijs annotatur,

Gelidum boream, gelidúmve notum.

Anapæſtici qui conſtant è ſolis ſpondeis, nimiùm inertes ſunt, ideoque à Ruffino vocantur immanifeſti, quia in ijs vix numerus & verſus intelligi poteſt, vt Cicero ait: imò planè non intelligitur, ſi alijs, non ſui generis, ſunt immixti. Tales eſt in Oedipo,

Nec mortali captus forma.

Alij duo ſunt in Agamemnone. Tales ſpondaici, quãvis alijs itidem generis carminibus inſeruntur, tamen in eorum habentur numero, cum quibus coniuncti ſunt, etiamſi pedem illum legitimum habeant, quod & veteres Grammatici annotarunt, vt diximus libro De re Poëticâ ſeptimo.

Iambum pedem hoc carmen non admittit; nam in illo verſu,

Arcus metuit Diana tuos,

prima in nomine proprio figuratè producitur, vt & in illo Ovidij,

Ferrum Diana volanti
Abſtulerat iaculo.

Ita enim in aliquot manuſcriptis offendimus. Habet hoc carmen poſt duos pedes inciſum: in quo ſyllaba brevis produci poteſt; vt,

Bis pulſata Dardana Graio, in Troade.
Pulſata freta fertur in altum. in Octaviâ,

Interdum non fit eliſio; vt in Octavia.

Vivere matrem impius, ingens.

Neque fit colliſio; vt in iambico,

Priamo Agamemnon. in Agamemnone.
Æacide armis. in Troade.

Item in anapæſtico; ibidem,

Contenta ſono, Hectora flemus.
Cannit Ide, Ide noſtris.

Quod

Quod tribus alijs præterea eiuſdem carminis locis animadvertimus.

Eſt huius carminis bonitas & elegantia præcipua, ſi pedibus ſingulis, ſingulæ partes orationis finiantur: altera, ſi dimenſiones ipſæ parte orationis terminentur.

Talis eſt autem ſolita eius conſtitutio,

⏑⏑– ⏑⏑– ⏑⏑– ⏑⏑–
– – – – – – – –
– ⏑⏑ – ⏑⏑ – ⏑⏑ – ⏑
⏑⏑⏑

Admittit aliquãdo pedes alienos, ſeu (vt Servius) ignobiles, & (vt Cicero de Oratore) abiectos: nos hactenus impuros vocavimus, quòd & numerum & verſum vitient.

In primâ ſede pæonem tertium; vt in Oedipo,

Niveique lactis candida fontes.

Quorum tamen verſum vltra octo in his Tragœdijs non ſunt.

In ſecundâ ſede baccheum; vt in Octaviâ,

Spernit ſuperbos humilesque ſimul.

Cuius alibi ſimilis nullus eſt. Obſervatione dignum eſt, quod Cicero anapæſtum pedem, pro ipſo carmine anapæſtico ponit. vt de Finibus: *Græci qui hoc anapæſto citantur.* id eſt, hoc carmine anapæſtico.

DE SAPPHICO.

I. Sapphicum brachycatalectum, quod conſtat moloſſo, anapæſto, bacheo, id inſeritur Choro cuidam in Agamemnone,

Qui vultus Acherontis atri.

– – – ⏑⏑ – ⏑ – –

II. Sapphicum integrum, pedibus conſtat certis, trochæo, moloſſo, anapæſto, & amphibrachy vel baccheo, propter ſyllabam vltimam communem. Habet vſitatè cæſuram poſt alterum pedem, quam Tragicus ſemper obſervat, Catullus non admodum accuratè, Horatius accuratiùs, præter quàm in locis paucis, & initio Carminum, libro primo,

Mer-

Mercuri facunde, nepos Atlantis. Oda 10.
Quem virum aut Heroa, lyra vel acri. Oda 11.

In odâ de Pindaro vtitur vndecies, in Carmine seculari vno minus vigesies: aliâs non nimiùm.

In hoc genere graviter cadunt versus, qui desinunt in dictionem quadrisyllabam; vt,

Iam silet murmur grave classicorum.

Nonnunquam propter cæsurâ syllaba correpta extenditur, idque semel tantùm apud Horatium, sed sæpius apud hunc Tragicum; vt,

Et vir & Pyrrha mare cùm viderent. in Troade.
Vxor impendit animam marito. in Medeâ.

Est autem veri & integri Sapphici constitutio eiusmodi,

– ∪ – – ∪ ∪ – ∪ – –

Disce fortunam benè ferre magnam.

Constant Chori integri è sapphicis apud nostrũ Tragicum. Obseruavimus in sapphico pedes illegitimos plures, quàm in alijs, eosque in sedibus omnibus, vltimâ tantummodò exceptâ; vt in primâ sede, spondeus pro trochæo. quod quia semel factùm, legem non facit.

Solus contemptor levium deorum. in Agamemnone.

In alterâ sede pro molosso, interdum creticus collocatur, interdum choriambus: de cretico constat, de choriãbo nos exempla afferemus, quia inusitatum est, & ab alio, quod equidem sciam, factum nemine.

Creticus invenitur sine omni controversiâ; & veteres sapphicos tales fuisse Iulius Scaliger sentit. Catullus,

Pauca nunciate meæ puellæ.

Sappho certè, quæ huius carminis inventrix est, in quadam odâ continenter eo pede vtitur:

Ποικιλόθρον' ἀθάνατ' Ἀφροδίτα,
Παῖ Διὸς δολοπλόκε, λιτομαί σε
Μή μ' ἄσαισι μηδ' ὀνίαισι δάμνα
Πότνια θυμόν.

Choriambus in eadem sede, vni Tragico nostro est vsitatus. Extant plura exempla, ne quis possit dubitare: qualia sunt,

Sume-

Sumere innumeras ſolitum figuras. in Medeâ.
An ferax varij lapidis Caryſtos. in Troade.

Quamvis in manuſcripto Regiomontani legitur, *rari lapidis*: quod tamen repudio, vt & Scaligeri χῆμα συμφωνητικὸν, quod eſſe in dimenſione ipſe iudicat. Similiter in Thyeſte,

Cuncta divitias metuitque caſus,

Sed & hunc verſum aliter legit Beza, vt in Lectionis diverſitate dicemus. Rurſus alibi,

Te caput Tyriâ cohibere mitrâ. in Oedipo.
Sidus Arcadium geminumve plauſtrum. in Agam.
Troia quâ iaceat regione monſtrans. in Troade.

Exempla nondum in libris corrupta tot enumero, ne temerè affirmare videar rem novam. Ille autem verſus in Hercule Oetæo,

Habeat, nec vllâ dominetur aulâ,

ut & alter in Agamemnone,

Triplici cathenâ tacuit, nec vllo,

planè ſunt illegitimi; in quibus loco primo anapæſtus, altero baccheus ponitur: quos inter ſapphicos auſus non eſſem recitare, niſi Tragicus eis per medium immiſceret, aut propinquè annecteret. Satis de primâ & alterâ ſede huius carminis.

In tertiâ ſede ſpondeus contra artem & vſum collocatur; vt,

Argos iratæ carum noverca.

Cuius etiam vt in pede priore exemplum aliud neſcio. Spondeus iſte interdum reſolvitur; vt,

Si qua ferventi ſubiecta cancro. in Hippolyto.
Dum luem tantam Troiæ atque Achivis. in Troade.

Qualis illa διάζευξις Horatiana,

Nunc mare, nunc ſilvæ. & iſta,

Heü quantus equis, quantus adeſt viris.

Ita in manuſcripto, & *Heü* diſſyllabum eſſe non negat Servius. Eadem reſolutione Cæcilius in Plotio, apud Terentij interpretem,

Patere quod datur, quando optata non danunt dij.

In

In hoc trochaico, *quando* est trisyllabum. Sumptum hoc de Græcis. Homerus,

Ἀφνειόντε Κόρινθον, ἐϋκτιμένας τε Κλεωνάς,

Apollonius,

Οὐδέ μιν ἐν' ἀντοῖο πάις μνήσαιτο ἄκοιτιν.

Aliter in carmine sapphico distinguunt pedes Bassus, Diomedes, Attilius, Terentianus, Servius, & alij; nam inter composita id numerant: sed qui simplicē rationem sequuntur, quam nos sequimur, ad Tragici huius compositionem spectant, quæ sine dubio è Græcorum fluxit institutionibus. Horatius in hoc genere semel atque iterum vtitur dissectione; vt,

Thracio Bacchante magis sub inter-Lunia vento. lib. 1.

Grosphe non geminis neque purpura ve-Nale nec auro. lib. 2.

Sed nullum est exemplum in Tragicis.

DE CHORIAMBICO.

I. Choriambicum dimetrum constat choriambo & baccheo.

-∪∪- ∪- -

Imbriferumque corum. in Hippolyto.

Pulvereamque nubem. in Agamemnone.

II. Choriambicum trimetrum, è spondeo, choriambo, & pyrrhichio; vt;

Pax est Herculeâ manu,

Auroram inter & Hesperum.

-- -∪∪- ∪∪.

Ex hoc facti sunt Chori integri in Thyeste & Hercule Oetæo: finis cuiusdam Chori in Hercule furente: medium in Medeâ. Habet primo loco interdum trochæū; vt apud Severum Septimium,

Purpurea-leguli senes.

Interdum creticum; vt in Hercule Oetæo,

Quatuor præcipitis Deus.

Nisi fiat collisio. Prima enim in nomine *quatuor* apud bonos Poëtas semper producta legitur: *quater*, semper correpta.

III. Cho-

III. Choriambicum tetrametrum fit è ſpondeo, duobus choriambis & pyrrhichio : quo genere frequentiſſimè vtitur. hoc ſuave eſt, ſi inciſum habeat poſt pedem alterum.

– – –∪∪– –∪∪– ∪∪

Res eſt forma fugax, quis ſapiens bono
Confidit fragili? dum licet, vtere.

Ex hoc paſſim integri Chori compoſiti. Idem inter duos trimetros & totidem tetrametros in Oedipo interpoſuit. Sunt præterea genera choriambico minùs nota.

I. Primum, quod è choriambico dimetro conſtat, & è duobus pedibus iambi, cum ſyllabâ ſuperfluâ.

–∪∪– ∪– – –∪–∪

Indomitumve bellum perrumpet omne.

II. Alterum, quod è choriambo, anapæſto, & iterùm choriambo.

–∪∪– ∪∪– –∪∪–

Extimuit manus inſueta pati.

III. Tertium, quod prioribus eſt magis vulgatum, è ſpondeo, choriambo, anapæſto, tribrachy.

– – –∪∪– ∪∪– ∪–∪.

Vt quondam Herculea cecidit pharetra.

Reperiuntur plura in Agamemnone huius generis.

IIII. Quartum, quod è choriambis in ſede primâ & vltimâ, in ſecundâ iambo, in tertiâ ſpondeo conſtat; cuius vnicum extat exemplum in Oedipo.

–∪∪– ∪– – – –∪∪–

Quæ tibi nobiles Thebæ Bacche tuæ.

V. Quintum, quod eſt priore brevius ſyllabâ, & loco choriambi finitur dactylo; vt in Agamemnone,

–∪∪– ∪– – – –∪∪

Perdidit in malis extremum decus.

DE DACTYLICO.

I. Dactylicum dimetrũ catalectum, conficitur è duobus dactylis; vt,

Non acies feras.
Cervaque Parrhasis.
– ∪ ∪ – ∪ ∪

II. Dactilycum trimetrum, è dactylo, spondeo & dactylo; vt,

Cœruleum erexit caput.

III. Dactylicum tetrametrum acatalectum, fit è solis dactylis, socio pede adiuncto spondeo, qui admittitur sedibus omnibus, exceptâ postremâ: quod carminis genus suo appellatur nomine Bucolicon, & idem interponitur modò sapphicis & choriambicis, quales sunt tres in Hippolyto: modò heroicis, quales multi in Oedipo, ante Actum tertium.

– ∪ ∪ – ∪ ∪ – ∪ ∪ – ∪ ∪
– – – –

Et tumidum Nereus posuit mare.

Item,

Brachia prima cadunt prædonibus.

De hoc versu ita scribit Terentianus, diligens Grammaticus,

In Tragicis iunxêre choris hunc sæpe disserti,
Annæus Seneca, & Pomponius antè Secundus.

Eodemque in loco hos è Pomponio versiculos adducit:

Pendeat ex humeris dulcis chelys,
Et numeros edat varios, quibus
Adsonet omne virens latè nemus,
Et tortis errans qui flexibus.

Hi versus si è solis componuntur spondeis, minùs sunt sonori, minùs accommodati; vt in Oedipo,

Et Phœbo laurus charum nemus.

Quod in alijs præterea duobus in hoc poëta deprehendimus. Nam dici dactylicus potest, auctore Attilio, qui pedes omnes spondeos habet: dici iambicus, qui spondeis maximâ è parte abundat, quod in Plautinis Camerarius annotavit: dici anapæsticus, eâdem de causâ, de quo dictum paulò antè est. Ratio est (vt idem Attilius) quia pes spondeus metra omnia ordinat atq; disponit.

IIII. Da-

III. Dactylicum pentametrum superiori simile est, quod vno pede excedit; id olim vocatum Aeolicum, eoque librum integrum scripsit Sappho. In his Tragœdijs vnus tantùm invenitur, in Agamemnone,

Heu quam dulce malum mortalibus additum.

Ita enim è manuscripto Regiomontani eum restituimus, cùm in vulgatis in choriambicum mutatus sit: vt esset sequenti in eodem loco similis.

Sunt huius generis multa composita.

I. Vt incipiens à cæsurâ trochaicâ. in Agamemnone,

Aut iniqui flamma Tonantis.

Item à solo pede trochæo,

Pendet instabili loco.

II. A cæsurâ sapphicâ. in Agamemnone,

Fortiter vinci restitit annis.

Tales leguntur tres in Oedipo, in Choro confuso è plurimis carminum generibus.

III. Item à cæsurâ iambicâ, vel è solis iambis factâ; vt,

Inauspicata de bove tradidit. in Oedipo.

Vel è spondeo & iambo; vt,

Par ille regi, par superiverit. in Agamemnone.

Postremò desinens in colo sapphico. Ibidem,

Et licuit versare dolos, vt ipsi.

DE HEXAMETRO.

Hexametrum (quod à materiâ Heroicum, ab orationis genere Epicum) componitur è dactylis & spondeis: ita tamen vt sedem quintam dactylus, sextam & vltimam spondeus possideat. In prioribus enim ambo pedes sine vllo discrimine ponuntur. Huius exemplum est optimus ille poëtæ optimi versus,

Discite iusticiam moniti, & non temnere Divos.

Hoc carminis genere celebrantur res gestæ Bacchi in Oedipo & Medeâ: item oraculum, quod Oedipo datum est. Oraculum refertur in scenæ medio, Bacchi facinora inseruntur Choris. In antiquissimis

Tragœdijs frequentem fuiſſe huius verſus vſum, intelligitur è libro De re Poëticâ, qui inter Ariſtotelicos legitur.

DE MONOMETRO.

Monometrum eſt, quod è duobus fit pedibus, eſtque aut acatalectum, quod integrum eſt, vt ex anapæſtico; vt,

Fortuna ferat. Item,

Nova nupta faces.

Item, ex dactylico; vt,

Non acies feràs. Item,

Cingi floribus.

Catalectum, cui ſyllaba aliqua deeſt. Hypercatalectum, in quo abundat ſyllaba. Vt in Trochaico,

Troia bis quinis. in Agamemnone.

In Iambico,

Religare frontem. in Oedipo.

In Choriambico,

Quo non nata iacent. in Medeâ.

Quia autem tales finiunt plerunque ſententiam, aut etiam carminis genus, ideo antiqui monometra, clauſulas appellarunt, vt Varro tradidit.

Periochæ
TRAGOEDIARVM SENECÆ,

Nomine LVCTATII Grammatici
è Ms. codice descriptæ

à Georgio Fabricio.

[*Vidi ego Ms. qui Argumentum Herculis Furentis ad auctorem* ALBERTINVM MVSATVM, *Paduanum Historiographum, referret; paucis admodum verbis immutatis.*]

I.

HERCVLES FVRENS.

HErcules rex Thebarum vir iustus apud priscos habitus est, qui derelicto Creonte socero suo (qui fuit pater Megaræ) & duobus filijs infantibus, & Amphitryone patre & Alcmenâ matre , ad regni gubernaculum , assumptisque secum Theseo alijsque proceribus, ad externas nationes profectus est ; vt quos ibi sævos tyrannos, & quæ monstra invenisset, interficeret, & pestes à populis removeret. In quâ quidem profectione quondam ad infetos fabulosè descendisse fingitur, & indè deduxisse Cerberum legitur. Cùm per longi ævi spatia, mundum penè totum perambulans, moras traxisset, & iam mortuus putaretur, Lycus Thebanus è vili genere ortus, [quem quondam Hercules in exilium egerat] cum plerisque habitâ conspiratione, seditiosè cæso Creonte & duobus eius filijs,cum multâ cæde regnum occupavit, & diadema suo capiti imposuit; Megaram vxorem Herculis ad tedas iugales solicitat. cui vim parabat colluctanti & constanter recusanti. Repentè rumor de reversione Herculis cum Theseo au-

ditus est, & magno triumpho ab effuso vndique populo susceptus: cùmq; Magaram & Amphitryonem luctuosos inspiceret, causam edoctus, Lycum cum prole suâ & fautoribus interficit. Iuno summo dolore affecta, quòd Hercules illæsus ab inferis redierat, & indè eduxerat Cerberum; timens, ne maiora aggrederetur, scilicet cœlum; primùm sibi dolores immittit, deinde in furorem versa, eam ingreditur viam, quâ ipsum Herculem in furorem ducat, vt furore captus moriatur. Excitat infernalem Furiam, vt faces accendat; quibus ipsum in furorem vertit, vt tela in filias & vxorem iaciat.

HERCVLIS FVRENTIS

Argumentum, per alium.

Queritur Iuno multivoli Iovis furta, & pellices enumerat, earumque liberos; in Herculem tamen potissimùm invehitur, auctum recenti gloriâ victis inferis; Acharonta movet, & furorem Argos reverso Herculi immittit. Absente Hercule Lycus exul Thebanus, urbe occupatâ, Creonte rege ac filijs necatis, confugientem ad aras Megaram Herculis vxorem, ni sibi nubat, flammis cremare minatur. Supervenit Hercules, & debitâ Lycum socioscque cæde vlciscitur: Deindè sacrificaturus, vertitur in insaniam; propriam vxorem atq; filios interficit, recedente denique vesaniâ, & miseriâ suâ cognitâ, vitæ manum inferre suæ statuit: sed evictus Amphitruonis precibus atque lacrymis, ignoscit sibi, & cum Theseo Athenas pergit.

II.

THYESTES.

Atreus & Thyestes, è Pelope & Hippodamiâ, fratres fuerunt. Thyestes autẽ adulterium commisit cum vxore Atrei; propter quod Atreus in odium Thyestes vehementer exarsit: nec contentus, quòd occupato regno fratrem

trem egiſſet in exilium, ſed volens in eum crudeliùs deſævire, finxit ſe velle ei reconciliari, & ab eo filijs in obſides acceptis, partitus cum eo regnum eſt, quem poſtea vocavit ad convivium, & interfectis filijs obſidibus, dedit eos patri veſcendos, & eorum cruorem vino commiſcuit, quod dedit ei bibere. Super quo ſcelere Sol indignatus, à Mycœnis fugit. Convivio finito, apportavit patri capita filiorum, nuncians ei quòd reſiduam partem comederit.

EIVSDEM TRAGOEDIÆ

Argumentum, per alium.

Viciſſitate regnandi pactâ, annis alternis Pelopis filij, Atreus & Thyeſtes, Argis imperabant. Interea Thyeſtes aureum arietem, regni fatum, avertit, & Aëropen vxorem fratris in adulterium pellicit: mox pœnas metuens fratri dare, fugit in exilium. Sic evaſiſſe dolens Atreus, quod vi nequibat, dolo conatur. in gratiam redire ſe ſimulat; oblatâ regni parte, fratrem invitat, & perſuadet: Ei convivanti, liberos tres, antè aras immolatos inſtar victimarum, & partim aſſos, partim elixos, ignoranti epulandos proponit, ſanguinemque potandum propinat. ſic fit filiorum parens ſepulchrum. Denique capita illi & manus crudelis Atreus offert; & quid comederit, quid biberit, enarrat. Luget Thyeſtes, & deflet calamitates ſuas; lætatur è contra frater, & exultat in tam ſævo parricidio, quod ipſe Phœbus videre non ſuſtinuerat.

III.

THEBAIS.

Oedipus qui patrẽ occiderat, & matrẽ duxerat in vxorẽ, & ob ſcelera ſeipſum excœcaverat (vt in aliâ habetur Tragœdiâ) duos filios genuit ex matre, vxore ſuâ, Etheoclẽ & Polynicẽ, & filiã Antigonẽ. Filij adulti patrẽ expulerũt, & inter ſe ſic regnũ diviſerunt, vt vnus vno, alius alio

animo regnaret, illo exulante qui non regnaret. Initio regnavit Etheocles, & vltra tempus pactũ tenuit regnum. Frater exul vxorem duxit filiam regis Adrasti. à quo accepto auxilio, fratrem expugnare voluit. Ceciderunt ambo in bello mutuis vulneribus, vt in Statio habetur. Seneca autẽ non describit finem belli, sed solùm procœmia.

EIVSDEM TRAGOEDIÆ

Argumentum, per alium.

Sponte profectus in exilium Oedipus, conatur Antigonam filiam à se amovere, vt possit sibi vi vitam evitare: contra hæc patrem ad meliora, quà consilio, quà precibus, traducit. Interea Etheocles & Polynices, impiâ regni libidine stimulati, in mutuam cædem feruntur. Interponit se Iocasta mater, & filios nititur in gratiam reducere. negat Polynices. *Desunt cætera.*

IIII.

HIPPOLYTVS.

Hippolytus filius Thesei ex reginâ Amazonum Antiopẽ, quem Phædra noverca vxor Thesei adamavit, qui dum recusaret eam cognoscere, ab eâ falsi criminis delatus, in exilium mittitur. In fugâ territus à marino monstro, præcipitatus inter saxa, exspiravit. Phædra seipsam dolore interfecit.

EIVSDEM TRAGOEDIÆ

Argumentum, per alium.

Pepererat Antiope Amazon Theseo Hippolytũ; qui, cùm venationi deditus Dianam coleret, Venerem aversaretur, cælibem vitam ducere decreverat. captâ illius pulchritudine Phædra noverca, amore vesana, dum abest apud inferos Theseus, iuvenis castitatem blanditijs & pre-

precibus expugnare conatur. Impudicam à se feminam Hippolytus repellit. Igitur deprehensa, mutat amorem in odium; & reverso Theseo, insimulat privignum oblati per vim stupri. Fugerat Hippolytus impudicam domũ: sed dum aliò properat, ecce ibi taurus marinus à Neptuno ad diras Thesei imprecationes immissus; qui se antè currum sistens, quadrupedes consternavit. hi, contemto imperio, quadrigam deturbant, cadentisque corpus per saxa & vepres distrahunt atque dilaniant. Compertâ nece, Phædra rei veritatem marito aperit; seque, super laniatos artus, gladio transfigit. Theseus plangit innoxij filij casum, suamque præcipitem iram, dirumque votum detestatur: laniatos artus colligit, &, quo meliori modo potest, componit.

V.

OEDIPVS.

Cùm Laïus rex Thebarum haberet filium ex vxore Iocastâ, à quo ex oraculo Phœbi deberet interfici, & matri * propriæ subiacere; eum in monte Citherone exposuit, plantis ignito ferro perforatis. Quem quidam pastor inveniens, seni alendum dedit Corinthio, qui puerum detulit ad reginam, quæ eum adoptavit. Sic educatus in domo regis Polybi, putavit se filium eius & reginæ Meropis. Adultus autem, audito quòd occisurus patrem esset, & ducturus matrem in vxorem, sponte ivit in exilium; in quo verum patrem casu quodam occîdit: postea temporis progressu reginam Thebarum viduam duxit vxorem, nesciens quòd mater eius esset. Cùm autem pestis tam bestias quàm homines regni sui vastaret, consulit Creontem fratrem Iocastæ coniugis suæ; qui dixit oraculo Phœbi, esse regnum purgandum illius exilio qui regem Laïum interfeciisset. Cùm autem nesciret se illum esse, adijt vatem Tiresiam; qui ex revelatione deorum infernalium pandit Oedipum esse qui regem interfecerit Laïum, & matrem duxerit in vxorem.

ARGVMENTA

EIVSDEM TRAGOEDIÆ

Argumentum, per alium.

Oedipus Laij & Iocastæ filius, huius etiam maritus, illius occisor, Thebis regnabat, quando dira pestilitas civitatem invasit. Consultus Apollo, Laij necem, interfectoris exilio expiandam, & luis finem fore, respondit. Ignorabatur nomen interfectoris; Creon itaque unà cum Tiresiâ vate mittitur vmbras per necromantiam evocaturus; vt ab illis, quod extispicio & capnomantiâ nequiverant, resciscant quis reus ille, quem Phœbus innuebat. Respondet Laij vmbra, ipsum esse regem Oedipum. negat ille: sed tandem nimiâ curiositate, mala sua sibi & alijs patefacit. Denique ingenti in se ipsum irâ percitus sibi oculos effodit, in pœnam criminum quæ ignarus & imprudens consciverat. Iocasta quoque se gladio confodit. Fugit orbus oculis in exilium.

VI.

TROADES.

Troiâ bello decennali eversâ, indè cùm Græci vellent ad sua remeare, vento contrario classis eorum detinetur. Noctu appáret Achilles Talthybio, arguens Græcos, quòd redire vellent, inferijs sibi debitis nondum celebratis, præcepitque vt Polyxena Priami & Hecubæ filia occideretur ad suum tumulũ. Quam cùm Pyrrhus Achillis filius ab Agamemnone peteret, rex se difficilem exhibuit, eo quòd optaverat eam sibi concubinam. Tandem vates Calchas super detentione Graiæ classis consultus, dixit Polyxenam Achilli immolandam, & Astyanactem parvum Hectoris & Andromachæ filium occidendum; quem à matre absconditum reddi compulit Vlysses, & cum de altissimâ turri præcipitavit. Pyrrhus verò Polyxenam de gremio matris ereptam ad patris tumulum occîdit.

EIVS-

EIVSDEM TARGOEDIÆ

Argumentum, per alium.

Exciſo Ilio, cùm Græci patriam cogitantes, adverſo flante vento, ſolvere non poſſent, noctu apparuit Achillis vmbra, & Polyxenæ ſacrificium, Manibus ſuis offerri, imperavit. Negabat Agamemno, ſe, vt regia virgo in inferias mactaretur, permiſſurũ. Conſultus Calchas, reſpondit, omitti non poſſe. vnam hanc claſſis moram; ſed alteram potiorem, Hectoris filium Aſtyanactem; hunc quóque necandum. Vlyſſes ergo Aſtyanactem è latibulis producit, & de Scœâ portâ deiicit. Pyrrhus, abductam ab Helenâ Polyxenam, & connubialibus veſtimentis ornatam, ad tumulum parentis ſui mactat.

VII.

MEDEA

Iaſoni, ſuadente patruo ſuo Peliâ, navi paratâ, & collectâ nobili ſocietate, adijt Colchos, pro aureo vellere acquirendo; quem Medea filia regis Colchorum adamavit: cuius auxilio conſilioque, defunctus multis periculis, vellus obtinuit. Iaſonem ergo Medea, patriâ & parentibus relictis, ſecuta eſt, & eidem nupta fuit. Creo rex Corinthiorum filiam ſuam traditurus Iaſoni, Medeam ob maleficia iuſſit occidi. ſed interveniente Iaſone, mortis ſupplicium eſt commutatum in exilium. Medea obtentis exilij induciis ad ſpatium vnius diei, Creüſæ filiæ Creontis, iam Iaſoni deſponſatæ, pallam quandam veneno tinctam, carminibuſque conſecratam, dedit; quã dum tractaret Creüſa, accenſus de eâ ignis filiam cum patre & pallâ conſumpſit. nec Medea hoc contenta, proprios filios, quos genuerat Iaſoni, in eius conſpectu interfecit: & deindè aufugit per aërem.

EIVS-

ARGVMENTA

EIVSDEM TRAGOEDIÆ

Argumentum, per alium.

Repudiatâ Medeâ Iaſon, Creuſam Creontis Corinthiorum regis filiam ducit: juſſa in exiliũ proficiſci Colchis, vnius diei inducias impetrat. Interea dona diris venenis illita, per filios ad Creuſam mittit. exornat ſe ijs miſella nova nupta, & repentè flammis erumpentibus, vnà cum patre, qui accurrerat, filiamque complexus eripere conabatur, cumque ipſâ regiâ, incendio abſumitur. Medea ſecum aſportatis in domus faſtigium filijs, in Iaſonis conſpectu crudeliter eos trucidat: & à draconibus mox per aërem Athenas devehitur.

VIII.

AGAMEMNON.

Atreus, Thyeſtis frater, genuit Agamemnonẽ & Menelaum, qui vxores duxerunt duas ſorores, filias Tyndarei & Ledæ, Clytæmneſtram & Helenam. E Clytæmneſtrâ Agamemnon genuit Oreſtem & Electram. Sed cùm Agamemnon profectus eſſet dux Græcorum ad bellum Troianum, Clytæmneſtra adamavit Ægiſthum, quem Thyeſtes ex Pelopeiâ filiâ ſuâ genuit. Agamemnon etiam alias mulieres adamavit, & bello finito Caſſandram filiam regis Priami coniugem accepit. Vnde Clytæmneſtra indignata, cum Ægiſtho mortem Agamemnoni machinata eſt: quem, dum veſtes exueret, Ægiſthus vocatus in ſocietatem cædis, gladio perfodit: cùmq; nondum mortuus vindictam anhelaret, Clytæmneſtra ſecuri arreptâ caput eius dividit. volebat etiam filium Oreſtem occidere, ſed Electra ipſum ſubtraxit, & cuidam Strophio cuſtodiendum tradidit. Clytæmneſtra Electram carceri mancipavit, & Caſſandram iuſſit interfici.

EIVS-

EIVSDEM TRAGOEDIÆ
Argumentum, per alium.

Vivum Thyestes Atreum vlcisci non potuit: nunc excitatur ab inferis, & Ægistho persuadet, vt quemadmodum Clytæmnestram ad adulterij consuetudinem pertraxerat, etiam in mariti cædem inducat. potitur votis impia vmbra. Nam Agamemnonem, à Troiâ, victorem, domi reducem, in ipso convivio, sinuosâ sed impervià veste irretitum, vxor & adulter occidunt; mox & Cassandram ab aris avulsam: Electram verò, quæ Orestem fratrem absconderat, carceri obscuro mancipant.

IX.

HERCVLES OETÆVS.

Eurytus rex Oechaliæ filiam habuit Iõlen, quam Hercules adamavit, eamque à patre petijt; quo denegante, terras eius invasit, patrem occîdit, Iõlen abduxit, & ardentiùs quàm vxorem Deïaneiram dilexit: quod cùm audijsset Deïaneira, Herculi pallam quandam misit tinctam suanguine Centauri Nessi, quem Hercules vulneraverat sagittis toxicatis. Nessus autem cùm pallam sanguine imbuissel, Deïaneiræ dixit, si vnquam ab eâ amor Herculis averteretur, vt ei pallam mitteret, & indutus eam ad eius amorem reverteretur. Hercules ab vxore missam indutus, statim peste veneni corripitur, ita vt caro eius ab ossibus evelleretur, pallâ cuti & ossibus adhærente: vnde dolore nimio agitatus, Lycam, qui pallam apportaverat, interemit. Hercules Philoctetæ armigero suo arcum & sagittas tradens, sibi ipse in Oetâ silvâ pyram paravit, in quam assumptâ pelle leonis & clavâ, morte imploratâ, seipsum imposuit: vbi consumpto, quod in eo mortale fuerat, in cœlum translatus est.

EIVS-

ARGVMENTA
EIVSDEM TRAGOEDIÆ

Argumentum, per alium.

Redibat ab Oechaliæ expugnatione Hercules, Iölen secum adducens, cuius amor belli susceptι causa. Non tulit thori sui violatricem, & antè oculos pellicem, Deianira: sed primò quidem, furore femineo, venena & ferrum cogitat; mox, lenita à nutrice, revocat in memoriam Nessi Centauri consilium & donum. nam hic moriens cruorem vngulæ inditum Deianiræ dederat, monens phyltrum efficacissimum esse, si eo vestes tingerentur. Tunicam ergò hac sanie imbutam, ad maritũ transmisit. detulit Lichas, comes Herculis, iam iam sacrificaturo. induit, & mox vt calor eam attigit, ardentissima febris, & æstus immodici, doloresque gravissimi invadunt, paulatimque vis morbi, carnem & interiora absumit. Iubet ergò dolore victus Hercules, intellecto Nessi dolo, pyram in Oetâ monte exstrui, quâ se ipsum cremet: Licham tamen priùs occîdit. Deianira seipsam conficit, vt marito præmoriatur. Accurrunt Alcmena & Hyllus, & adstant morienti Heroi: eiusque post obitum, Alcmena cineres; Philoctetes mercedem succensæ pyræ sagittas & arcum, refert. Tandem eiulanti matri appáret Hercules, iam Deorum numero adscriptus.

X.

OCTAVIA.

Claudius Imperator ex vxore Messalinâ, quam postea occîdit, filium habuit, Britannicum dictum, & filiam nomine Octaviam. Postea cùm Agrippinam fratris sui
†filiam † vxorem sibi nuptijs copulasset, Octaviam Neroni privigno suo dedit vxorẽ, quem post se, suggerente Agrippinâ, regnare voluit, Britannicum filium imperij faciens exsortem. Nero post Claudium imperans, Octaviam repudiavit, & vxorem aliam duxit Poppæam. Suscitato populi

populi tumultu, propter repudium Octaviæ, Nero in populum desævijt; Octaviam relegavit, & in exilio tandem præcepit interfici.

EIVSDEM TRAGOEDIÆ
Argumentum, per alium.

Claudius primis nuptiis Messalinam duxit; vltimis Agrippinam, quæ ex Domitio Neronem pepererat. Neroni à Claudio desponsa fuit Octavia, Messalinæ & Claudij filia. Nunquam concordes aut benevoli coniuges vixerunt; multis odiorum fomites suggerentibus. Tandem Nero, cùm votis suis, liberè potiundi Poppæâ, (quam effictim deperibat,) eamque in vxorem ducendi, Claudiâ repudiatâ obstare populi favorem videret; qui summo studio Octaviam in solio & coniugio Neronis tueri contendebat; populi impetum multorum cæde repressit; Octaviam in Pandatariam deportari, & denique ibidem necari iussit.

Nomenclator
DOCTORVM VIRORVM,
Quorum operâ hæ Tragœdiæ plurimum sunt illustratæ.

Anonymus Scholiastes, *manuscriptus in Bibliothecâ Palatinâ; qui sua Ioan. Botticelle inscripsit. vnde potest iudicari, an sit vetus.*

Gellius Bernardinus Marmita, *Parmensis*; *cuius* Commentaria *edita Venetijs anno 1492.*

Daniel Caietanus, *Cremonensis*; *cuius* Commentaria *ibidem excusa anno 1493.*

Iudocus Badius Ascensius; *cuius* Commentaria *edita Parisijs anno 1515. Præfert editio hæc emendationem* Maserij *& aliorum duorum.*

Hieronymus Avantius, *Veronensis*; *hic (vt testatur ipse in Præfatione)*

fatione) ad tria millia errata atque inversa loca veterum exemplariorum collatione auxilioque restituit. Edidit Aldus anno 1517. Venetiis.

Henrico-Petriana *Basiliensis editio, anni 1529; in cuius margine quædam* Lectiones variæ.

Gryphiana *Lugdunensis editio, anni 1536.*

Georgius Fabricius; *eius Seneca additâ* Lectionis diversitate, &c. *prodijt Lipsiæ anno 1566.*

M. Anton. Delrius; *cuius* Adversaria *amplissima excusa sunt primùm typis Plantinianis anno 1576. Recusa deindè eadem, & adiectus insuper novus* Commentarius *cum alijs, anno 1594. Antverpiæ apud Plantini Viduam & Ioan. Moretum. Quæ omnia nuper repetita sunt à Parisiensibus.*

Iustus Lipsius; *cuius* Animadversiones *editæ Lugduni Batavorum anno 1588.*

Franciscus F. F. Raphelengius; *eius* Castigationes *ibidem excusæ anno eodem.*

Q. Sept. Florens Christianus; *eius* Scholia *Parisijs edita apud Fred. Morellium, anno 1589.*

Hieronymus Commelinus; *is Senecam cum octo-novem Mss. contulit, &* Variarum lectionum *libellum conscripsit: Heidelbergæ anno 1589.*

Iosephus Scaliger; *eius* Animadversiones *scriptæ circa annum 1598; excusæ postea Lugd. Bat. anno 1611.*

Ianus Gruterus; *eius accuratissimæ* Notæ *prodierunt è Bibliopolio Commeliniano, anno 1604.*

Daniel Heinsius; *eius* Animadversiones *editæ Lugd. Bat. anno 1611. Prodeunt eædem nunc auctiores & emendatiores.*

Ioannes Isaacius Pontanus; *eius* Notæ *nunc primùm in lucem emittuntur.*

Petrus Scriverius; *is Tragœdias istas decem recensuit ac diligenter castigavit,* EDITIONEMQVE *hanc novam adornavit.*

L. AN-

L. ANNAEI

SENECAE

HERCVLES

FVRENS.

Dramatis Perſonæ.

IVNO. HERCVLES. LYCVS.
MEGARA. AMPHITRYON. THESEVS.
CHORVS THEBANORVM.

ACTVS PRIMVS.

IVNO.

SOROR Tonantis (hoc enim ſolum mihi
Nomen relictum eſt) ſemper-alienum Iovem,
Ac templa ſummi vidua deſerui ætheris;
Locumque, cœlo pulſa, pellicibus dedi.
Tellus colenda eſt: pellices cœlum tenent.
Hinc, Arctos alta parte glacialis poli
Sublime claſſes ſidus Argolicas agit;
Hinc, qua tepenti vere laxatur dies,
Tyriæ per vndas vector Europæ nitet;
Illinc, timendum ratibus ac ponto gregem

Paſſim vagantes exerunt Atlantides.
Fera coma hinc exterret Orion deos:
Suaſque Perſeus aureus ſtellas habet.
Hinc, clara gemini ſigna Tyndaridæ micant:
Quibuſque natis mobilis tellus ſtetit.
Nec ipſe tantum Bacchus, aut Bacchi parens,
Adiere ſuperos: ne qua pars probro vacet,
Mundus puellæ ſerta Gnoſſiacæ gerit.
Sed vetera querimur: vna me dira ac fera
Thebana nuribus ſparſa tellus impiis,
Quoties novercam fecit? aſcendat licet,
Meumque victrix teneat Alcmene locum;
Pariterque natus aſtra promiſſa occupet,
In cuius ortus mundus impediit diem,
Tarduſque Eoo Phœbus effulſit mari,
Retinere merſum iuſſus Oceano iubar.
Non ſic abibunt odia. vivaces aget
Violentus iras animus, & ſævus dolor
Æterna bella pace ſublata geret.
Quid bella? quidquid horridum tellus creat
Inimica; quidquid pontus aut aër tulit
Terribile, dirum, peſtilens, atrox, ferum;
Fractum atque domitum eſt. ſuperat, & creſcit malis;
Iraque noſtra fruitur: in laudes ſuas
Mea vertit odia. dum nimis ſæva impero,
Patrem probavi: gloriæ feci locum:
Qua Sol relucens, quaque reponens diem,
Binos propinqua tingit Æthiopas face,
Indomita virtus colitur; & toto Deus
Narratur orbe. Monſtra iam deſunt mihi;
Minorque labor eſt Herculi iuſſa exequi,
Quam mihi iubere. lætus imperia excipit.

Qua

Quo fera tyranni iussa violento queant
Nocere iuveni? nempe pro telis gerit,
Quæ timuit, & quæ fudit: armatus venit
Leone & hydra. Nec satis terræ patent:
Effregit ecce limen inferni Iovis,
Et opima victi regis ad superos refert.
Parum est reverti: fœdus Vmbrarum petit.
Vidi ipsa, vidi nocte discussa inferûm,
Et Dite domito, spolia iactantem patri
Fraterna. cur non victum & oppressum trahit
Ipsum catenis paria sortitum Iovi?
Ereboque capto potitur, & retegit Styga?
Patefacta ab imis Manibus retro via est,
Et sacra diræ Mortis in aperto iacent.
At ille, rupto carcere Vmbrarum, ferox
De me triumphat, & superbifica manu
Atrum per vrbeis ducit Argolicas canem.
Viso labantem Cerbero vidi diem,
Pavidumque solem: me quoque invasit tremor,
Et tetra monstri colla devicti intuens,
Timui imperasse. Levia sed nimium queror,
Cœlo timendum est; regna ne summa occupet,
Qui vicit ima. sceptra præripiet patri.
Nec in astra lenta veniet, vt Bacchus, via:
Iter ruina quæret, & vacuo volet
Regnare mundo. Robore expenso tumet,
Et posse cœlum viribus vinci suis
Didicit ferendo. subidit mundo caput,
Nec flexit humeros molis immensæ labor,
Mediusque collo sedit Herculeo polus.
Immota cervix sidera & cœlum tulit,
Et me prementem. Quærit ad superos viam.

Perge ira, perge, & magna meditantem opprime.
Congredere; manibus ipsa iam lacera tuis.
Quid tanta mandas odia? discedant feræ:
Ipse imperando sessus Eurystheus vacet.
Titanas ausos rumpere imperium Iovis
Emitte: Siculi verticis laxa specum.
Tellus gigante Doris excusso tremens,
Supposita monstri colla terrifici levet.
Sublimis alias Luna concipiat feras.
Sed vicit ista. Quæris Alcidæ parem?
Nemo est, nisi ipse. bella iam secum gerat.
Adsint ab imo Tartari fundo excitæ
Eumenides: ignem flammeæ spargant comæ:
Viperea sævæ verbera incutiant manus.
I nunc, superbe, cœlitum sedes pete;
Humana temne. iam Styga & Manes, ferox,
Fugisse credis? heic tibi ostendam inferos.
Revocabo in alta conditam caligine
Vltra nocentum exilia Discordem deam,
Quam munit ingens montis oppositi specus.
Educam, & imo Ditis e regno extraham
Quidquid relictum est. veniat invisum Scelus,
Suumque lambens sanguinem Impietas ferox,
Errorque, & in se semper armatus Furor.
Hoc hoc ministro noster vtatur dolor.
Incipite famulæ Ditis; ardentem incitæ
Concutite pinum: & agmen horrendum anguibus
Megæra ducat; atque luctifica manu
Vastam rogo flagrante corripiat trabem.
Hoc agite. pœnas petite violatæ Stygis:
Concutite pectus: acrior mentem excoquat
Quam qui caminis ignis Ætnæis furit.

Vt possit

Vt poſſit animo captus Alcides agi,
Magno furore percitus, nobis prius
Inſaniendum eſt. Iuno, cur nondum furis?
In me, ſorores, mente dejectam mea
Primam facem verſate; ſi quidquam apparo
Dignum noverca. iam odia mutentur mea.
Natos reverſus videat incolumes, precor,
Manuque fortis redeat. inveni diem,
Inviſa quo nos Herculis virtus iuvet:
Me pariter & ſe vincat; & cupiat mori
Ab inferis reverſus. heic proſit mihi,
Iove eße genitum. ſtabo, & vt certo exeant
Emiſſa nervo tela, librabo manum:
Regam furentis arma: pugnanti Herculi
Tandem favebo. ſcelere perfecto, licet,
Admittat illos genitor in cœlum manus.
Movenda iam ſunt bella; clareſcet dies,
Ortuque Titan lucidus croceo ſubit.

CHORVS THEBANORVM.

Iam rara micant ſidera prono
Languida mundo: nox victa vagos
Contrahit ignes: luce renata
Cogit nitidum Phoſphoros agmen:
Signum celſi glaciale poli
Septem ſtellis Arcades vrſæ
Lucem verſo temone vocant:
Iam cœruleis evectus equis
Titan ſummum proſpicit Oetan:
Iam Cadmeis inclyta baccis
Aſperſa die dumeta rubent:

VETVS LIBRARIVS. Aliqui habent hũc Chorum, aliqui non.

Phœbique fugit reditura ſoror.
Labor exoritur durus, & omneis
Agitat curas, aperitque domos.
Paſtor gelida cana pruina
Grege dimiſſo pabula carpit.
Ludit prato liber aperto
Nondum rupta fronte iuvencus.
Vacuæ reparant vbera matres.
Errat curſu levis incerto
Molli petulans hœdus in herba.
Pendet ſummo ſtridula ramo,
Pennaſque novo tradere ſoli
Geſtit querulos inter nidos
Thracia pellex, turbaque circum
Confuſa ſonat, murmure miſto
Teſtata diem. carbaſa ventis
Credit, dubius navita vitæ,
Laxos aura complente ſinus.
Hic exeſis pendens ſcopulis,
Aut deceptos inſtruit hamos;
Aut ſuſpenſus ſpectat preſſa
Præmia dextra. ſentit tremulum
Linea piſcem.
Hæc, innocuæ quibus eſt vitæ
Tranquilla quies, & læta ſuo
Parvoque domus, ſpes & in agris.
* *Turbine magno ſpes ſollicitæ*
Vrbibus errant, trepidique metus.
Ille ſuperbos aditus regum,
Duraſque fores, expers ſomni,
Colit: hic nullo fine beatus
Componit opes, gazis inhians,

* Hic incipit Chorus in melioribus exemplaribus, omiſsis verſiculis antecedentibus. Alii libri hunc Chorũ partiuntur in duos & hic annotatur, SECVNDVS CHORVS.

Et congesto pauper in auro est.
Illum populi favor attonitum,
Fluctuque magis mobile vulgus
Aura tumidum tollit inani:
Hic clamosi rabiosa fori
Iurgia vendens improbus, iras
Et verba locat. Novit paucos
Secura quies, qui velocis
Memores ævi, tempora numquam
Reditura tenent. Dum fata sinunt,
Vivite læti. properat cursu
Vita citato, volucrique die
Rota præcipitis vertitur anni.
Duræ peragunt pensa Sorores,
Nec sua retro fila revolvunt.
At gens hominum fertur rapidis
Obvia fatis, incerta sui:
Stygias vltro quærimus vndas.
Nimium, Alcide, pectore forti
Properas mœstos visere Manes.
Certo veniunt ordine Parcæ.
Nulli iusso cessare licet,
Nulli scriptum proferre diem.
Recipit populos vrna citatos.
Alium multis gloria terris
Tradat, & omneis fama per vrbes
Garrula laudet, cœloque parens
Tollat & astris: alius currru
Sublimis eat. me mea tellus
Lare secreto tutoque tegat.
Venit ad pigros cana senectus:
Humilique loco, sed certa sedet

Sordida parvæ fortuna domus:
Alte virtus animosa cadit.
Sed mœsta venit crine soluto
Megara, parvum comitata gregem:
Tarduſque senio graditur Alcidæ parens.

ACTVS SECVNDVS.

MEGARA. AMPHITRYON.

MEG. *O magne Olympi rector, & mundi arbiter,*
Iam ſtatue tandem gravibus ærumnis modũ,
Finemque cladi. nulla lux vnquam mihi
Secura fulſit. finis alterius mali
Gradus eſt futuri. protenus reduci novus
Paratur hoſtis, ante quam lætam domum
Contingat, aliud iuſſus ad bellum exeat.
Nec vlla requies, tempus aut vllum datur,
Niſi dum iubetur: ſequitur a primo ſtatim
Infeſta Iuno. nunquid immunis fuit
Infantis ætas? monſtra ſuperavit prius,
Quam noſſe poſſet. gemina criſtati caput
Angues ferebant ora, quos contra obvius
Reptavit infans; igneos ſerpentium
Oculos remiſſo pectore ac placido intuens,
Arctos ſerenis vultibus nodos tulit;
Et tumida tenera guttura elidens manu,
Proluſit hydræ. Mænali pernix fera,
Multo decorum præferens auro caput,
Deprenſa curſu eſt. maximus Nemeæ timor
Gemuit lacertis preſſus Herculeis leo.
Quid ſtabula memorem dira Biſtonij gregis,
Suiſque regem pabulum armentis datum?

Solitum

Solitumque denſis hiſpidum Erymanthi iugis
Arcadica quatere nemora Mænalium ſuem?
Taurumque centum non levem populis metum?
Inter remotos gentis Heſperiæ greges
Paſtor triformis littoris Tarteſſii
Peremptus, acta eſt præda ab Occaſu vltimo.
Notum Cithæron pavit Oceano pecus.
Penetrare iuſſus Solis æſtivi plagas,
Et aduſta medius regna quæ torret dies,
Vtrinque monteis ſolvit abrupto obice,
Et iam ruenti fecit Oceano viam.
Poſt hæc, adortus nemoris opulenti domos,
Aurifera vigilis ſpolia ſerpentis tulit.
Quid? ſæva Lernæ monſtra, numeroſum malum,
Non igne demum vicit, & docuit mori?
Solitaſque pinnis condere obductis diem
Petiit ab ipſis nubibus Stymphalidas?
Non vicit illum cœlibis-ſempertori
Regina gentis vidua Thermodontiæ:
Nec ad omne clarum facinus audaces manus
Stabuli fugavit turpis Augiæ labor.
Quid iſta proſunt? orbe defenſo caret.
Senſere terræ pacis auctorem ſuæ
Abeſſe terris. proſperum ac felix ſcelus,
Virtus vocatur. ſontibus parent boni.
Ius eſt in armis, opprimit leges timor.
Ante ora vidi noſtra, truculenta manu
Gnatos paterni cadere regni vindices;
Ipſamque Cadmi nobilis ſtirpem vltimam
Occidere. vidi regium capitis decus
Cum capite raptum. quis ſatis Thebas fleat?
Ferax deorum terra quem dominum tremit?

E cuius arvis, eque fecundo ſinu
Stricto inventus orta cum ferro ſtetit;
Cuiuſque muros natus Amphion Iove
Struxit, canoro ſaxa modulatu trahens;
In cuius vrbem non ſemel divûm parens
Cœlo relicto venit; hæc quæ cœlites
Recepit, & quæ fecit, & (fas ſit loqui)
Fortaſſe faciet, ſordido premitur iugo.
Cadmea proles, civitaſque Amphionis,
Quo decidiſtis? tremitis ignavum exulem,
Suis carentem finibus, noſtris gravem?
Qui ſcelera terra, quique perſequitur mari,
Ac ſæva iuſta ſceptra confregit manu,
Nunc ſervit abſens, fertque quæ ferri vetat:
Tenetque Thebas exul Herculeas Lycus.
Sed non tenebit. aderit, & pœnas petet,
Subituſque ad aſtra emerget: inveniet viam,
Aut faciet. Adſis ſoſpes & remees tuis:
Tandemque venias victor ad victam domum.
Emerge coniux, atque diſpulſas manu
Abrumpe tenebras: nulla ſi vetito via,
Iterque clauſum eſt, orbe diducto redi;
Et quidquid atra nocte poſſeſſum latet,
Emitte tecum. dirutis qualis iugis
Præceps citato flumini quærens iter,
Quondam dediſti; ſciſſa cum vaſto impetu
Patuere Tempe. pectore impulſus tuo
Huc mons & illuc cecidit, & rupto aggere
Nova cucurrit Theſſalus torrens via.
Talis parentes, liberos, patriam petens,
Erumpe; rerum terminos tecum efferens:
Et quidquid avida tot per annorum gradus

Abſcondit ætas, redde ; & oblitos ſui,
Luciſque pavidos ante te populos age.
Indigna te ſunt ſpolia, ſi tantum refers,
Quantum imperatum eſt. Magna ſi nimium loquor,
Ignara noſtræ ſortis, adde illum mihi,
Quo te tuamque dexteram amplectar, diem ;
Redituſque lentos nec mei memores querar.
Tibi, ô deorum ductor, inermiti ferent
Centena tauri colla : tibi frugum potens,
Secreta reddam ſacra : tibi multa fide
Longas Eleuſin tacita iactabo faces.
Tum reſtitutas fratribus rebor meis
Animas, & ipſum regna moderantem ſua
Florere patrem. ſi qua te maior tenet
Clauſum poteſtas ; ſequimur. aut omneis tuos
Defende reditu ſoſpes ; aut omneis trahe.
Trahes, nec vllus eriget fractos deus.
AMPH. *O ſocia noſtri ſanguinis, caſta fide*
Servans torum gnatoſque magnanimi Herculis,
Meliora mente concipe, atque animum excita.
Aderit profecto, qualis ex omni ſolet
Labore, maior. MEG. *Quod nimis miſeri volunt,*
Hoc facile credunt. AMPH. *Immo quod metuũt nimis,*
Nunquam amoveri poſſe, nec tolli putant.
Prona eſt timori ſemper in peius fides.
MEG. *Demerſus, ac defoſſus, & toto inſuper*
Oppreſſus orbe, quam viam ad ſuperos habet ?
AMPH. *Quam tunc habebat, cum per arentem plagam*
Et fluctuantes more turbati maris
Abiit arenas ; biſque diſcedens fretum,
Et bis recurrens : cumque deſerta rate
Deprenſus hæſit Syrtium brevibus vadis,

Et pup-

Et puppe fixa maria ſuperavit pedes.
MEG. *Iniqua raro maximis virtutibus*
Fortuna parcit: nemo ſe tuto diu
Periculis offerre tam crebris poteſt:
Quem ſæpe tranſit caſus, aliquando invenit.
Sed ecce, ſævus ac minas vultu gerens,
Et qualis animo eſt, talis inceſſu venit
Aliena dextra ſceptra concutiens Lycus,
Vrbis regens opulenta Thebanæ loca,
Et omne quidquid vberi cingit ſolo
Obliqua Phocis, quidquid Iſmenos rigat,
Quidquid Citharon vertice excelſo videt,
Et bina findens Iſthmos exilis freta.

LYCVS.

LYC. *Non vetera patriæ iura poſſideo domus*
Ignavus hæres: nobiles non ſunt mihi
Avi, nec altis inclytum titulis genus;
Sed clara virtus. qui genus iactat ſuum,
Aliena laudat. Rapta ſed trepida manu
Sceptra obtinentur: omnis in ferro eſt ſalus.
Quod civibus tenere te invitis ſcias,
Strictus tuetur enſis. alieno in loco
Haud ſtabile regnum eſt. vna ſed noſtras poteſt
Fundare vires, iuncta regali face
Thalamiſque Megara. ducet e genere inclyto
Novitas colorem noſtra. non equidem reor
Fore vt recuſet, ac meos ſpernat toros.
Quod ſi impotenti pertinax animo abnuet,
Stat tollere omnem penitus Herculeam domum.
Invidia faſtum ac ſermo popularis premet?

Ars prima regni, posse te invidiam pati.
Tentemus igitur: fors dedit nobis locum.
Namque ipsa tristi vestis obtentu caput
Velata, iuxtim præsides astat deos,
Laterique adhæret verus Alcidæ sator.
MEG: *Quidnam iste, nostri generis exitium ac lues,*
Novi parat? quid tentat? LYC. *O clarum trahens*
A stirpe nomen regia, facilis mea
Parumper aure verba patienti excipe.
Si æterna semper odia mortales agant,
Nec cœptus vnquam cedat ex animis furor,
Sed arma felix teneat, infelix paret;
Nihil relinquent bella: tum vastis ager
Squallebit arvis. subdita tectis face
Altus sepultas obruet gentes cinis.
Pacem reduci velle, victori expedit;
Victo necesse est. particeps regno veni:
Sociemus animos. pignus hoc fidei cape:
Continge dextram. quid truci vultu siles?
MEG. *Egone vt parentis sanguine aspersam manum,*
Fratrumque gemina cæde contingam? prius
Extinguet Ortus, referet Occasus diem:
Pax ante fida nivibus & flammis erit:
Et Scylla Siculum iunget Ausonio latus:
Priusque multo vicibus alternis fugax
Euripus vnda stabit Euboica piger.
Patrem abstulisti, regna, germanos, larem,
Patriam: quid vltra est? vna res superest mihi,
Fratre ac parente carior, regno ac lare,
Odium tui: quod esse cum populo mihi
Commune doleo. pars quota ex isto mea est?
Dominare tumidus, spiritus altos gere:

Sequitur

Sequitur ſuperbos vltor a tergo Deus.
Thebana novi regna. quid matres loquar
Paſſas & auſas ſcelera? quid geminum nefas,
Miſtumque nomen coniugis, nati, & patris?
Quid bina fratrum caſtra? quid totidem rogos?
Riget ſuperba Tantalis luctu parens,
Mœſtuſque Phrygio manat in Sipylo lapis.
Quin ipſe torvum ſubrigens criſta caput
Illyrica Cadmus regna permenſus fuga,
Longas reliquit corporis tracti notas.
Hæc te manent exempla. dominare vt lubet;
Dum ſolita regni fata te noſtri vocent.
LYC. *Agedum, efferatas rabida voces amove:*
Et diſce regum imperia ab Alcide pati.
Ego rapta quamvis ſceptra victrici geram
Dextra, geramque cuncta ſine legum metu
Quas arma vincunt, pauca pro cauſa loquar
Noſtra. cruento cecidit in bello pater?
Cecidere fratres? arma non ſervant modum,
Nec temperari facile, nec reprimi poteſt
Stricti enſis ira. bella delectat cruor.
Sed ille regno pro ſuo; nos improba
Cupidine acti: quæritur belli exitus,
Non cauſa. Sed nunc pereat omnis memoria.
Cum victor arma poſuit, & victum decet
Deponere odia. non vt inflexo genu
Regnantem adores, petimus. hoc ipſum placet,
Animo ruinas quod capis magno tuas.
Es rege coniux digna: ſociemus toros.
MEG. *Gelidus per artus vadit exangueis tremor.*
Quod facinus aures pepulit? haud equidem horrui,
Cum pace rupta bellicus muros fragor

Cicum-

Circumſonaret. pertuli intrepide omnia.
Thalamos tremiſco; capta nunc videor mihi.
Gravent catenæ corpus, & longa fame
Mors protrahatur lenta, non vincet fidem
Vis vlla noſtram: moriar, Alcide, tua.
LYC. *Animoſne merſus inferis coniux facit?*
MEG. *Inferna tetigit, poſſet vt ſupera aſſequi.*
LYC. *Telluris illum pondus immenſæ premit.*
MEG. *Nullo premetur onere, qui cœlum tulit.*
LYC. *Cogêre.* MEG. *Cogi qui poteſt, neſcit mori.*
LYC. *Effare, thalamis quod novis potius parem*
Regale munus? MEG. *Aut tuam mortem, aut meam.*
LYC. *Moriere demens?* MEG. *Coniugi occurram meo.*
LYC. *Sceptroque noſtro potior eſt famulus tibi?*
MEG. *Quot iſte famulus tradidit reges neci!*
LYC. *Cur ergo regi ſervit, & patitur iugum?*
MEG. *Imperia dura tolle, quid virtus erit?*
LYC. *Obici feris monſtriſque, virtutem putas?*
MEG. *Virtutis eſt domare quæ cuncti pavent.*
LYC. *Tenebræ loquentem magna Tartareæ premunt.*
MEG. *Non eſt ad aſtra mollis e terris via.*
LYC. *Quo patre genitus cœlitum penetrat domos?*
AMPH. *Miſeranda coniux Herculis magni ſile:*
Partes meæ hæ ſunt, reddere Alcidæ patrem,
Genuſque verum. poſt tot ingentis viri
Memoranda facta, poſtque pacatum manu
Quodcunque Titan ortus & labens videt,
Poſt monſtra tot perdomita, poſt Phlegram impio
Sparſam cruore, poſtque defenſos deos;
Nondum liquet de patre? mentimur Iovem?
Iunonis odio crede. LYC. *Quid violas Iovem?*
Mortale cœlo non poteſt iungi genus.

AMPH.

AMPH. *Communis ista pluribus causa est deis.*
LYC. *Famuline fuerant ante quam fierent dei?*
AMPH. *Pastor Pheræos Delius pavit greges.*
LYC. *Sed non per omnes exul erravit plagas.*
AMPH. *Quem profuga terra mater errantiedidit.*
LYC. *Non monstra, sævas Phœbus aut timuit feras.*
AMPH. *Primus sagittas imbuit Phœbi draco.*
Quam gravia parvus tulerit, ignoras, mala.
E matris vtero fulmine eiectus puer,
Mox fulminanti proximus patri stetit.
Quid? qui gubernat astra, qui nubes quatit,
Non latuit infans rupis exesæ specu?
Sollicita tanti pretia natales habent,
Semperque magno constitit, nasci deum.
LYC. *Quemcunque miserum videris, hominem scias.*
AMPH. *Quemcunque fortem videris, miserum neges.*
LYC. *Fortem vocemus, cuius ex humeris leo*
Donum puellæ factus, & clava excidit,
Fulsitque pictum veste Sidonia latus?
Fortem vocemus, cuius horrentes comæ
Maduere nardo? laude qui notas manus
Ad non virilem tympani movit sonum,
Mitra ferocem barbara frontem premens?
AMPH. *Non erubescit Bacchus effusos tener*
Sparsisse crines, nec manu molli levem
Vibrasse thyrsum, cum parum forti gradu
Auro decorum syrma barbaricum trahit.
Post multa virtus opera laxari solet.
LYC. *Hoc Euryti fatetur eversi domus,*
Pecorumque ritu virginum oppressi greges.
Hoc nulla Iuno, nullus Eurystheus iubet:
Ipsius hæc sunt opera. AMPH. *Non nosti omnia.*

Ipsius

Ipſius opus eſt, ceſtibus fractus ſuis
Eryx, & Eryci iunctus Antæus Libys.
Et qui hoſpitali cæde manantes foci
Bibere iuſtum ſanguinem Buſiridis.
Ipſius opus eſt, vulneri & ferro obvius
Mortem coactus ante Geryonem pati:
Nec vnus vna Geryon victus manu.
Eris inter iſtos; qui tamen nullo ſtupro
Læſere thalamos. LYC. *Quod Iovi, hoc regi licet;*
Iovi dediſti coniugem, regi dabis.
Et te magiſtro non novum hoc diſcet nurus,
Etiam viro probante, meliorem ſequi.
Sin copulari pertinax tedis negat;
Vel ex coacta nobilem partum feram.
MEG. *Vmbræ Creontis, & penates Labdaci,*
Et nuptiales impii Oedipodæ faces,
Nunc ſolita noſtro fata coniugio date.
Nunc, nunc cruentæ regis Ægypti nurus,
Adeſte, multo ſanguine infectæ manus,
Deeſt vna numero Danais: explebo nefas.
LYC. *Coniugia quoniam pervicax noſtra abnuis,*
Regemque terres; ſceptra quid poſſint, ſcies.
Complectere aras, nullus eripiet deus
Te mihi: nec, orbe ſi remolito, queat
Ad ſupera victor numina Alcides vehi.
Congerite ſilvas, templa ſupplicibus ſuis
Iniecta flagrent: coniugem & totum gregem
Conſumat vnus igne ſubiecto rogus.
AMPH. *Hoc munus a te, genitor Alcidæ, peto,*
Rogare quod me deceat, vt primus cadam.
LYC. *Qui morte cunctos luere ſupplicium iubet,*
Neſcit tyrannus eſſe. diverſa irroga:

Miserum veta perire ; felicem iube.
Ego, dum cremandis trabibus accrescit rogus,
Sacro regentem maria votivo rogem.
AMPH. *Proh numinum vis summa, proh cœlestium*
Rector parensque ; cuius excussis tremunt
Humana telis ; impiam regis feri
Compesce dextram. Quid deos frustra precor ?
Ubicunque es, audi nate. Cur subito labant
Agitata motu templa ? cur mugit solum ?
Infernus imo sonuit e fundo fragor.
Audimur : en, en sonitus Herculei gradus.

CHORVS THEBANORVM.

O fortuna viris invida fortibus,
Quam non aqua bonis præmia dividis !
Euristheus facili regnet in otio:
Alcmena genitus bella per omnia
Monstris exagitet cœliferam manum :
Serpentis resecet colla feracia ;
Deceptis referat mala sororibus,
Cum somno dederit pervigiles genas
Pomis divitibus præpositus draco.
Intravit Scythiæ multivagas domos,
Et gentes patriis sedibus hospitas :
Calcavitque freti terga rigentia,
Et mutis tacitum littoribus mare.
Illic dura carent æquora fluctibus ;
Et, qua plena rates carbasa tenderant,
Intonsis teritur semita Sarmatis.
Stat pontus vicibus mobilis annuis,
Navem nunc facilis, nunc equitem pati.
Illic qua viduis gentibus imperat,

Aurati

Aurato religans ilia baltheo,
Detraxit ſpolium nobile corpori,
Et peltam, & nivei vincula pectoris,
Victorem poſito ſuſpiciens genu.
Qua ſpe præcipites actus ad inferos,
Audax ire vias irremeabiles,
Vidiſti Siculæ regna Proſerpinæ?
Illic nulla Noto, nulla Favonio
Conſurgunt tumidis fluctibus æquora:
Non illic geminum Tyndaridæ genus
Succurrunt timidis ſidera navibus:
Stat nigro pelagus gurgite languidum;
Et, cum Mors avidis pallida dentibus
Gentes innumeras Manibus intulit,
Vno tot populi remige tranſeunt.
Evincas vtinam iura feræ Stygis,
Parcarumque colos non revocabiles:
Heic, qui rex populis pluribus imperat,
Bello cum peteres Neſtoream Pylon,
Tecum conſeruit peſtiferas manus,
Telum ter gemina cuſpide præferens:
Effugit tenui vulnere ſaucius,
Et mortis dominus pertimuit mori.
Fatum rumpe manu; triſtis & inferis
Proſpectus pateat lucis, & invius
Limes det faciles ad ſuperos vias.
Immites potuit flectere cantibus
Vmbrarum dominos, & prece ſupplici
Orpheus, Eurydicen dum repetit ſuam.
Quæ ſilvas, & aves ſaxaque traxerat
Ars, quæ præbuerat fluminibus moras;
Ad cuius ſonitum conſtiterant feræ;

Mulcet non ſolitis vocibus inferos,
Et ſurdis reſonat clarius in locis.
Deflent Eurydicen Threiciæ nurus,
Deflent & lachrimis difficiles dei;
Et qui fronte nimis crimina tetrica
Quærunt, ac veteres excutiunt reos
Flentes Eurydicen Iuridici ſedent.
Tandem mortis, ait, vincimur arbiter:
Evade ad ſuperos; lege tamen data:
Tu poſt terga tui perge viri comes;
Tu non ante tuam reſpice coniugem,
Quam cum clara deos obtulerit dies,
Spartanique aderit ianua Tænari.
Odit verus amor, nec patitur, moras.
Munus, dum properat cernere, pedidit.
Quæ vinci potuit regia cantibus,
Hæc vinci poterit regia viribus.

ACTVS TERTIVS.

HERCVLES.

O Lucis alme rector, & cœli decus,
Qui alterna curru ſpatia flammifero ambiens,
Illuſtre lætis exeris terris caput;
Da Phœbe veniam, ſi quid illicitum tui
Videre: iuſſus in lucem extuli
Secreta mundi. tuque cœleſtium arbiter
Parenſque, viſus fulmine appoſito tege,
Et tu ſecundo maria qui ſceptro regis,
Imas pete vndas. quiſquis ex alto aſpicit
Terrena, facie pollui metuens nova,
Aciem reflectat, oraque in cœlum erigat,

Portentæ

Portenta fugiens. hoc nefas cernant duo,
Qui advexit, & quæ iussit. In pœnas meas,
Atque in labores non satis terra patent.
Iunonis odio vidi inaccessa omnibus,
Ignota Phœbo; quæque deterior polus
Obscura diro spatia concessit Iovi.
Et si placerent tertiæ sortis loca,
Regnare potui: noctis æternæ chaos,
Et nocte quiddam gravius, & tristes deos,
Et fata vici, morte contempta redii.
Quid restat aliud? vidi, & ostendi inferos.
Da, si quid vltra est. tam diu pateris manus
Cessare nostras, Iuno? quid vinci iubes?
Sed templa quare miles infestus tenet?
Limenque sacrum terror armorum obsidet?

AMPHITRYON. HERCVLES.

THESEVS.

AMPH. *Vtrumne visus vota decipiunt meos?*
An ille domitor orbis, & Graiûm decus,
Tristi silentem nubilo liquit domum?
Estne ille natus? membra lætitia stupent.
O nate! certa & sera Thebarum salus!
Verumne cerno corpus? an vana fruor
Deceptus vmbra? tune es? agnosco toros,
Humerosque, & alto nobilem trunco manum.
HER. *Vnde iste, genitor, squallor, & lugubribus*
Amicta coniux? vnde tam fœdo obsiti
Pædore nati? quæ domum clades gravat?
AMPH. *Socer est peremptus: regna possedit Lycus;*
Natos, parentem, coniugem leto petit.

HER. *Ingrata tellus, nemo ad Herculea domus*
Auxilia venit? vidit hoc tantum nefas
Defensus orbis? cur diem questu tero?
Mactetur hostis. THES. *Hanc ferat virtus notam,*
Fiatq; summus hostis Alcidæ Lycus?
Ad hauriendum sanguinem inimicum feror.
HER. *Theseu, resiste: nequa vis subita ingruat.*
Me bella poscunt. differ amplexus parens,
Coniuxque differ: nunciet Diti Lycus
Me iam rediisse. THES. *Flebilem ex oculis fugæ*
Regina vultum: tuque nato sospite
Lachrimas cadentes reprime: si novi Herculem,
Lycus Creonti debitas pœnas dabit:
Lentum est, dabit; dat: hoc quoque est lentum; dedit.
AMPH. *Votum secundet, qui potest, nostrum deus,*
Rebusque lapsis adsit. O magni comes
Magnanime nati, pande virtutum ordinem:
Quam longa mœstos ducat ad Manes via;
Vt vincla tulerit dura Tartareus canis.
THES. *Memorare cogis acta, securæ quoque*
Horrenda menti: vix adhuc certa est fides
Vitalis auræ: torpet acies luminum,
Hebetesque visus vix diem insuetum ferunt.
AMPH. *Pervince, Theseu, quidquid alto pectore*
Remanet pavoris; neve te fructu optimo
Frauda laborum, quæ fuit durum pati,
Meminisse dulce est. fare casus horridos.
THES. *Fas omne mundi, teque dominantem precor*
Regno capaci; teque, quam tota irrita
Quæsivit Ætna mater; vt iura abdita
Et operta terris, liceat impune eloqui.
Spartana tellus nobile attollit iugum.

Densis

Denſis vbi æquor Tænarus ſilvis premit:
Heic ora ſolvit Ditis inviſi domus,
Hiatque rupes alta, & immenſo ſpecu
Ingens vorago faucibus vaſtis patet,
Latumque pandit omnibus populis iter.
Non cœca tenebris incipit primo via:
Tenuis relictæ lucis à tergo nitor,
Fulgorque dubius ſolis afflicti cadit,
Et ludit aciem. nocte ſic mixta ſolet
Præbere lumen primus aut ſerus dies.
Hinc ampla vacuis ſpatia laxantur locis;
In quæ omne merſum pereat humanum genus.
Nec ire labor eſt, ipſa deducit via:
Vt ſæpe puppes æſtus invitas rapit;
Sic pronus aër vrget atque avidum chaos:
Gradumque retro flectere haud vnquam ſinunt
Vmbræ tenaces. intus immenſo ſinu
Placido quieta labitur Lethe vado,
Demitque curas: neve remeandi amplius
Pateat facultas, flexibus multis gravem
Involvit amnem. qualis incerta vagus
Mæander vnda ludit, & cedit ſibi,
Inſtatque; dubius, littus an fontem petat:
Palus inertis fœda Cocyti iacet;
Hic vultur, illic luctifer bubo gemit,
Omenque triſte reſonat infauſtæ ſtrigis;
Horrent opaca fronde nigrantes comæ,
Taxo imminente; quam tenet ſegnis Sopor,
Fameſque mœſta tabido rictu iacens;
Pudorque ſerus conſcios vultus tegit:
Metus, Pavorque, Funus, & frendens Dolor,
Aterque Luctus ſequitur, & Morbus tremens,

Et cincta ferro Bella: in extremo abdita
Iners Senectus adiuvat baculo gradum.
AMPH. *Estne aliqua tellus Cereris aut Bacchi ferax?*
THES. *Non prata viridi læta facie germinant;*
Nec adulta leni fluctuat Zephyro seges;
Non vlla ramos silva pomiferos habet:
Sterilis profundi vastitas squallet soli,
Et fœda tellus torpet æterno situ;
Rerumque mœstus finis & mundi vltima:
Immotus aër hæret; & pigro sedet.
Nox atra mundo, cuncta mœrore horrida,
Ipsaque morte peior est Mortis locus.
AMPH. *Quid, ille opaca qui regit sceptro loca,*
Qua sede positus temperat populos leves?
THES. *Est in recessu Tartari obscuro locus,*
Quem gravibus vmbris spissa caligo alligat.
A fonte discors manat hinc vno latex:
Alter quieto similis (hunc iurant Dei)
Tacente sacram devehens fluvio Styga:
At hic tumultu rapitur ingenti ferox,
Et saxa fluctu volvit Acheron invius
Renavigari. cingitur duplici vado
Adversa Ditis regia, atque ingens domus
Vmbrante luco tegitur: hic vasto specu
Pendent tyranni limina: hoc vmbris iter;
Hæc porta regni, campus hanc circa iacet,
In quo superbo degerit vultu sedens
Animas recentes. dira majestas deo,
Frons torva; fratrum quæ tamen speciem gerat,
Gentisque tantæ: vultus est illi Iovis,
Sed fulminantis, magna pars regni trucis
Est ipse dominus; cuius aspectum timet,

Quid-

Quidquid timetur. AMPH. *Verane est fama, inferis*
Tam sera reddi iura, & oblitos sui
Sceleris nocentes debitas pœnas dare?
Quis iste viri rector, atque æqui arbiter?
THES. *Non vnus alta sede quæsitor sedens*
Iudicia trepidis sera sortitur reis.
Auditur illo Gnossius Minos foro;
Rhadamantus illo; Thetidis hoc audit socer.
Quod quisque fecit, patitur: auctorem scelus
Repetit, suoque premitur exemplo nocens.
Vidi cruentos carcere includi duces,
Et impotentis terga plebeia manu
Scindi tyranni. Quisquis est placide potens,
Dominusque vitæ servat innocuas manus,
Et incruentum mitis imperium regit,
Animoque parcit; longa permensus diu
Felicis ævi spatia, vel cœlum petit,
Vel læta felix nemoris Elysii loca,
Iudex futurus. Sanguine humano abstine,
Quicunque regnas. scelera taxantur modo
Maiore vestra. AMPH. *Certus inclusos tenet*
Locus nocentes? vtque fert fama, impios
Supplicia vinclis sæva pepetuis domant?
THES. *Rapitur volucri tortus Ixion rota.*
Cervice saxum grande Sisyphia sedet.
In amne medio faucibus siccis senex
Sectatur vndas, abluit mentum latex;
Fidemq; cum iam sæpe decepto dedit,
Perit vnda in ore: poma destituunt famem.
Præbet volucri Tityus æternas dapes.
Vrnasq; frustra Danaides plenas ferunt.
Errant furentes impiæ Cadmeides.

Terretq; menſas avida Phineas avis.
AMPH. *Nunc ede nati nobilem pugnam mei.*
Patrui volentis munus, an ſpolium refert?
THES. *Ferale tardis imminet ſaxum vadis,*
Stupente vbi vnda ſegne torpeſcit fretum:
Hunc ſervat amnem cultu & aſpectu horridus,
Pavidoſque manes ſqualliduſ geſtat ſenex;
Impexa pendet barba, deformem ſinum
Nodus coercet, concavæ lucent genæ,
Regit ipſe conto portitor longo ratem:
Hic onere vacuam littori puppim applicans
Repetebat vmbras; poſcit Alcides viam,
Cedente turba: dirus exclamat Charon;
Quo pergis audax? ſiſte properantem gradum.
Non paſſus vllas natus Alcmena moras,
Ipſo coactum navitam conto domat,
Scanditque puppem. cymba populorum capax
Succubuit vni. ſedit, & gravior ratis
Vtrimque Lethen latere titubanti bibit.
Tunc vaſta trepidant monſtra, Centauri truces,
Lapithæque multo in bella ſuccenſi mero.
Stygiæ paludis vltimos quærens ſinus
Fecunda mergit capita Lernæus labos.
Poſt hæc avari Ditis apparet domus:
Hic ſævus vmbras territat Stygius canis,
Qui trina vaſto capita concutiens ſono
Regnum tuetur: ſordidum tabo caput
Lambunt colubræ: viperis horrent iubæ:
Longuſque torta ſibilat cauda draco;
Par ira formæ. ſenſit vt motus pedum,
Attollit hirtas angue vibrato comas,
Miſſumque captat aure ſubiecta ſonum,

Sentire

Sentire & vmbras ſolitus. vt propior ſtetit
Iove natus, antro ſedit incertus canis,
Et vterque timuit. ecce, latratu gravi
Loca muta terret, ſibilat tortos minax
Serpens per armos: vocis horrendæ fragor
Per ora miſſus terna felices quoque
Exterret vmbras. ſolvit à læva ferox
Tunc ipſe rictus, & Cleonæum caput
Opponit, ac ſe tegmine ingenti clepit:
Victrice magnum dextera robur gerens,
Huc nunc & illuc verbere aſſiduo rotat,
Ingeminat ictus. domitus infregit minas,
Et cuncta laſſus capita ſubmiſit canis,
Antroque toto ceſſit. extimuit ſedens
Vterque ſolio dominus; & duci iubet:
Me quoque petenti munus Alcidæ dedit.
Tunc gravia monſtri colla permulcens manu
Adamante texto vincit: oblitus ſui
Cuſtos opaci pervigil regni canis
Componit aures timidus; & patiens trahi,
Herumque faſſus, ore ſubmiſſa obſequens
Vtrumque cauda pulſat anguifera latus.
Poſtquam eſt ad oras Tænari ventum, & nitor
Percuſſit oculos lucis ignotæ, bonos
Reſumit animos vinctus, & vaſtas furens
Quaſſat catenas: pene victorem abſtulit,
Pronumque retro vexit, & movit gradu.
Tunc & meas reſpexit Alcides manus:
Geminis vterque viribus tractum canem
Ira furentem, & bella tentantem irrita,
Intulimus orbi. vidit vt clarum æthera,
Et pura nitidi ſpatia conſpexit poli,

Oborta

Obortâ nox eſt, lumina in terram dedit,
Compreſſit oculos, & diem inviſum expulit,
Aciemque retro flexit, atque omni petiit
Cervice terram: tum ſub Herculea caput
Abſcondit vmbra. Denſa ſed læto venit
Clamore turba, frontibus laurum gerens,
Magnig; meritas Herculis laudes canit.

CHORVS THEBANORVM.

Natus Euryſtheus properante partu,
Iuſſerat mundi penetrare fundum:
Deerat hoc ſolum numero laborum,
Tertiæ regem ſpoliare ſortis.
Auſus eſt cœcos aditus inire,
Ducit ad manes via qua remotos
Triſtis, & ſilva metuenda nigra:
Sed frequens magna comitante turba.
Quantus incedit populus per vrbes
Ad novi ludos avidus theatri:
Quantus Eleum coit ad Tonantem,
Quinta cum ſacrum revocavit æſtas:
Quanta, cum longæ redit hora noctis,
Creſcere & ſomnos cupiens quietos
Libra, Phœbeos tenet æqua currus,
Turba ſecretam Cererem frequentat,
Et citi tectis properant relictis
Attici noctem celebrare myſtæ:
Tanta per campos agitur ſilentes
Turba: pars tarda gradiens ſenecta,
Triſtis, & longa ſatiata vita:
Pars adhuc currit melioris ævi,
Virgines nondum thalamis ingatæ,

Et comis nondum positis cphebi,
Matris & nomen modo doctus infans:
His datum solis, minus vt timerent,
Igne prælato relevare noctem.
Cæteri vadunt per opaca tristes:
Qualis est nobis animus, remota
Luce, cum mœstus sibi quisque sentit
Obrutum tota caput esse terra.
Stat chaos densum, tenebræque turpes,
Et color noctis malus, ac silentis
Otium mundi, vacuæque nubes.
Sera nos illo referat senectus.
Nemo ad id sero venit, vnde nunquam,
Cum semel venit, potuit reverti.
Quid iuvat durum properare fatum?
Omnis hæc magnis vaga turba terris
Ibit ad Manes, facietque inerti
Vela Cocyto. tibi crescit omne,
Et quod Occasus videt, & quod Ortus:
Parce venturis; tibi, Mors, paramur:
Sis licet segnis, properamus ipsi.
Prima quæ vitam dedit hora, carpsit.
Thebis læta dies adest:
Aras tangite supplices,
Pingues cædite victimas:
Permistæ maribus nurus
Solemnes agitent choros:
Cessent deposito iugo
Arvi fertilis incolæ.
Pax est Herculea manu
Auroram inter & Hesperum:
Et qua Sol medium tenens

Vmbras corporibus negat.
Quodcunque abluitur ſolum
Longo Tethyos ambitu,
Alcidæ domuit labor.
Tranſvectus vada Tartarî
Pacatis redit inferis.
Iam nullus ſuperest timor:
Nil vltra iacet inferos.
Stantes ſacrificus comas
Dilecta tege populo.

ACTVS QVARTVS.

HERCVLES. THESEVS. AMPHITRYON. MEGARA.

HER. *VLtrice dextra fuſus adverſo Lycus*
Terram cecîdit ore: tum quiſquis comes
Fuerat tyranni, iacuit & pœnæ comes.
Nunc ſacra patri victor & ſuperis feram,
Cæſiſque meritas victimis aras colam.
Te, te, laborum ſocia & adiutrix, precor,
Belligera Pallas, cuius in læva ciet
Ægis feroces ore ſaxifico minas.
Adſit Lycurgi domitor & rubri maris,
Tectam virenti cuſpidem thyrſo gerens:
Geminumque numen, Phœbus & Phœbi ſoror,
Soror ſagittis aptior, Phœbus lyræ;
Fraterque quiſquis incolit cœlum meus,
Non ex noverca frater; huc appellite
Greges opimos. quidquid Indorum ſeges,
Arabeſque odoris quidquid arboribus legunt,

Conferte

Conferte in aras; pinguis exundet vapor.
Populea noſtras arbor exornet comas:
Te ramus oleæ fronde gentili tegat,
Theſeu: Tonantem noſtra adorabit manus.
THES. *Dii conditores vrbis, & ſilveſtria*
Trucis antra Zethi, nobiles Dirces aquas,
Laremque regis advenæ Tyrium colens,
Date thura flammis. AMPH. *Nate, manantes prius*
Manus cruenta cæde & hoſtili expia.
HER. *Vtinam cruorem capitis inviſi Deis*
Libare poſſem, gratior nullus liquor
Tinxiſſet aras. victima haud vlla amplior
Poteſt, magiſque opima mactari Iovi,
Quam rex iniquus. AMPH. *Finiat genitor tuos*
Opta labores: detur aliquando otium,
Quieſque feſſis. HER. *Ipſe concipiam preces*
Iove meque dignas. Stet ſuo cœlum loco,
Telluſque & æther: aſtra inoffenſos agant
Æterna curſus: alta pax gentes alat:
Ferrum omne teneat ruris innocui labor:
Enſeſque lateant: nulla tempeſtas fretum
Violenta turbet: nullus irato Iove
Exſiliat ignis: nullus hyberna nive
Nutritus agros amnis everſos trahat:
Venena ceſſent: nulla nocituro gravis
Succo tumeſcat herba: non ſævi ac truces
Regnent tyranni. Si quod etiamnum eſt ſcelus
Latura tellus, properet; & ſi quod parat
Monſtrum, meum ſit. Sed quid hoc? medium diem
Cinxere tenebræ: Phœbus obſcuro meat
Sine nube vultu. quis diem retro fugat,
Agitque in ortus? vnde nox atrum caput

Ignota

Ignota profert ? vnde tot ſtellæ polum
Implent diurnæ ? primus en noſter labor
Cœli refulget parte non minima Leo,
Iraque totus fervet, & morſus parat ;
Iam rapiet aliquod ſidus : ingenti minax
Stat ore, & ignes efflat, & rutila iubam
Cervice iactat : quidquid autumnus gravis,
Hiemſque gelido frigida ſpatio refert,
Vno impetu traſiliet : & verni petet
Frangetq; Tauri colla. AMPH. *Quod ſubitum hoc ma-*
Quo nate vultus huc & huc acres refers ? (lũ eſt?
Acieque falſum turbida cœlum vides ?
HER. *Perdomita tellus, tumida ceſſerunt freta,*
Inferna noſtros regna ſenſere impetus :
Immune cœlum eſt ; dignus Alcidæ labor.
In alta mundi ſpatia ſublimis ferar :
Petatur æther, aſtra promittit pater.
Quid ſi negaret ? non capit terra Herculem,
Tandemque ſuperis reddit. en vltro vocat
Omnis deorum cœtus, & laxat fores,
Vna vetante. recipis, & reſeras polum ?
An contumacis ianuam mundi trabo ?
Dubitatur etiam ? vincla Saturno exuam,
Contraque patris impii regnum impotens
Avum reſolvam. bella Titanes parent
Me duce furentes : ſaxa cum ſilvis feram,
Rapiamque dextra plena Centauris iuga.
Iam monte gemino limitem ad ſuperos agam.
Videat ſub Oſſa Pelion Chiron ſuum :
In cœlum Oympus tertio poſitus gradu
Perveniet, aut mittetur. AMPH. *Infandos procul*
Averte ſenſus : pectoris ſani parum,

Magni

Magni tamen, compesce dementem impetum.
HER. *Quid hoc? gigantes arma pestiferi movent:*
Profugit vmbras Tityus, ac lacerum gerens
Et inane pectus, quam prope à cœlo stetit?
Labat Citharon, alta Pallene tremit,
Marcentque Tempe. rapuit hic Pindi iuga.
Hic rapuit Oeten. sævit horrendum Mimas:
Flammifera Erinnys verbere excusso sonat,
Rogisque adustas propius ac propius sudes
In ora tendit. sæva Tisiphone caput
Serpentibus vallata, post raptum canem,
Portam vacantem clausit opposita face.
Sed ecce proles regis inimici latet,
Lyci nefandum semen. invisо patri
Hæc dextra iam vos reddet. excutiat leves
Nervus sagittas. tela sic mitti decet
Herculea. AMPH. *Quo se cœcus invergit furor?*
Vastum coactis flexit arcum cornibus,
Pharetramque solvit. stridet emissa impetu
Arundo. medio spiculum collo fugit
Vulnere relicto. HER. *Cæteram prolem eruam,*
Omnesque latebras. quid moror? maius mihi
Bellum Mycenis restat: vt Cyclopea
Eversa manibus saxa nostris concidant,
Huc eat & illuc aula disiecto obice,
Rumpatque posteis. columen impulsum labet.
Procumbat omnis regia. hic video abditum
Gnatum scelesti patris. AMPH. *En, blandas manus*
Ad genua tendens, voce miseranda rogat.
Scelus nefandum, triste, & aspectu horridum,
Dextra precantem rapuit, & circa furens
Bis ter rotatum misit: ast illi caput

Sonuit; cerebro tecta disperso madent:
At misera parvum protegens natum sinu
Megara, furenti similis e latebris fugit.
HER. *Licet Tonantis profuga condaris sinu,*
Petet vndecunque temet hæc dextra, & feret.
AMPH. *Quo misera pergis? quam fugam, aut latebras (petis?*
Nullus salutis Hercule infenso est locus:
Amplectere ipsum potius, & blanda prece
Lenire tenta. MEG. *Parce jam conjux precor,*
Agnosce Megaram; natus hic vultus tuos,
Habitusque reddit: cernis, vt tendat manus?
HER. *Teneo novercam: sequere, da pœnas mihi,*
Jugoque pressum libera turpi Iovem.
Sed ante matrem parvulum hoc monstrum auferam.
MEG. *Quo tendis amens? sanguinem fundes tuum?*
AMPH. *Pavefactus infans igneo vultu patris*
Perit ante vulnus: spiritum rapuit timor.
In conjugem nunc clava libratur gravis.
Perfregit ossa: corpori trunco caput
Abest, nec vsquam est. cernere hoc audes nimis
Vivax senectus? si piget luctus, habes
Mortem paratam. pectus in tela indue;
Vel stipitem istum cæde monstrorum illitum
Converte. falsum ac nomini turpem tuo
Remove parentem, ne tuæ laudi obstrepat.
THES. *Quo te ipse, genitor, obvium morti ingeris?*
Quo pergis amens? profuge, & obtectus late,
Vnumque manibus aufer Herculeis scelus.
HER. *Bene habet: pudendi regis excisa est domus,*
Tibi hunc dicatum maximi conjux Iovis
Gregem cecidi. vota persolvi libens
Te digna: & Argos victimas alias dabit.

AMPH.

AMPH. *Nondum litaſti nate, conſumma ſacrum.*
Stat ecce ad aras hoſtia, exſpectat manum.
Cervice prona. præbeo, occurro, inſequor:
Mactа. Quid hoc eſt? errat aciès luminum,
Viſuſque mœror hebetat. An video Herculis
Manus trementes? vultus in ſomnum cadit,
Et feſſa cervix capite ſummiſſo labat;
Flexo genu iam totus ad terram ruit:
Vt cæſa ſilvis ornus, aut portus mari
Datura moles. vivis? an leto dedit
Idem tuus qui miſit ad mortem furor?
Sopor eſt, reciprocos ſpiritus motus agit.
Detur quieti tempus, vt ſomno gravis
Vis victa, morbo pectus oppreſſum levet,
Removete famuli tela, ne repetat furens.

CHORVS THEBANORVM.

Lugeat æther, magnuſque parens
Ætheris alti, telluſque ferax.
Et vaga ponti mobilis vnda.
Tuque ante omnes, qui per terras,
Tractuſque maris fundis radios,
Noctemque fugas ore decoro,
Fervide Titan. obitus pariter
Tecum Alcides vidit & ortus;
Novitque tuas vtraſque domos.
Solvite tantis animum monſtris;
Solvite ſuperi: rectam in melius
Flectite mentem. tuque ô domitor
Somne laborum, requies animi,
Pars humanæ melior vitæ,
Volucer, matris genus Aſtrææ,

Frater duræ languide Mortis,
Veris miſcens falſa, futuri
Certus, & idem peſſimus auctor:
Pater ô rerum, portus vitæ,
Lucis requies, noctiſque comes,
Qui par regi famuloque venis,
Placidus feſſum leniſque fovens:
Pavidum leti genus humanum
Cogis longam diſcere mortem:
Preme devictum torpore gravi.
Sopor indomitos alliget artus;
Nec torva prius pectora linquat,
Quam mens repetat priſtina curſum.
En, fuſus humi ſæva feroci
Corde volutat ſomnia. nondum eſt
Tanti peſtis ſuperata mali:
Clavaque gravi laſſum ſolitus
Mandare caput, quærit vacua
Pondera dextra, motu iactans
Brachia vano: nec adhuc omnes
Expulit æſtus. ſed, vt ingenti
Vexata Noto ſervat longos
Vnda tumultus, & iam vento
Ceſſante tumet. pelle inſanos
Fluctus animi. redeat pietas,
Virtuſque viro: vel ſit potius
Mens veſano concita motu;
Error cœcus, qua cœpit, eat.
Solus te iam præſtare poteſt
Furor inſontem. Proxima puris
Sors eſt manibus, neſcire nefas.
Nunc Herculeis percuſſa ſonent

Pectora palmis: mundum solitos
Ferre lacertos verbera pulsent
Victrice manu: gemitus vastos
Audiat æther, audiat atri
Regina poli, vastisque ferox
Qui colla gerit vincta catenis,
Imo latitans Cerberus antro.
Resonet mœsto clamore chaos,
Lateque patens vnda profundi,
Et, qui melius tua tela tamen
Sensérat, æther.
Pectora tantis obsessa malis
Non sunt ictu ferienda levi:
Vno planctu tria regna sonent.
Et tu collo decus ac telum
Suspensa diu fortis arundo,
Pharetræque leves, date sæva fero
Verbera tergo: cadant humeros
Robora fortes, stipesque potens
Duris oneret pectora nodis:
Plangant tantos arma dolores.
Non vos patriæ laudis comites,
Vlti sævo vulnere reges.
Non Argiva membra palæstra,
Flectere docti, fortes cestu,
Forteſque manu; iam tamen ausi
Telum Scythici leve coryti
Missum certa librare manu,
Tutosque fuga figere cervos,
Nondumque feræ terga iubatæ;
Ite ad Stygios vmbræ portus,
Ite innocuæ, quas in primo

Limine vita ſcelus oppreſſit
Patriuſque furor: ite infauſtum
Genus, ô pueri, noti per iter
Triſte laboris: ite, iratos
Viſite reges.

ACTVS QVINTVS.

HERCVLES. AMPHITRYON. THESEVS.

QVis hic locus? quæ regio? quæ mundi plaga?
Vbi ſum? ſub ortu Solis, an ſub cardine
Glacialis Vrſæ? nunquid Heſperii maris
Extrema tellus hunc dat Oceano modum?
Quas trahimus auras? quod ſolum feſſo ſubeſt?
Certe redimus, vnde proſtrata domo
Video cruenta corpora? an nondum exuit
Simulacra mens inferna? poſt reditus quoque
Oberrat oculos turba feralis meos.
Pudet fateri. paveo: neſcio quod mihi,
Neſcio quod animus grande præſagit malum:
Vbi eſt parens? vbi illa natorum grege
Animoſa coniux? cur latus lævum vacat
Spolio leonis? quonam abiit tegimen meum,
Idemque ſomno mollis Herculeo torus?
Vbi tela? vbi arcus? arma quis vivo mihi
Detrahere potuit? ſpolia quis tanta abſtulit?
Ipſumque quis non Herculis ſomnum horruit?
Libet meum videre victorem, libet.
Exurge victor, quem novum cœlo pater
Genuit relicto: cuius inceſtu ſtetit

Nox longior, quam noſtra. quod cerno nefas?
Nati cruenta cæde confecti iacent:
Perempta coniux. quis Lycus regnum obtinet?
Quis tanta Thebis ſcelera moliri auſus eſt,
Hercule reverſo? quiſquis Iſmeni loca,
Actæa quiſquis arva, qui gemino mari
Pulſata Polopis regna Dardanii colis,
Succurre, ſævæ cladis auctorem indica.
Ruat ira in hoſtes. hoſtis eſt, quiſquis mihi
Non monſtrat hoſtem. victor Alcidæ lates?
Procede: ſeu tu vindicas currus truces
Thracis cruenti, ſive Geryonis pecus,
Libyæve dominos: nulla pugnandi mora eſt.
En nudus aſto, vel meis armis licet
Petas inermem. cur meos Theſeus fugit
Paterque vultus? ora cur condunt ſua?
Differte fletus. quis meos dederit neci
Omnes ſimul, profare: quid genitor ſiles?
At tu ede Theſeu, ſed tua Theſeu fide.
Vterque tacitus ora pudibunda obtegit,
Furtimque lachrimas fundit. in tantis malis
Quid eſt pudendum? nunquid Argivæ potens
Domitnator vrbis? nunquid infeſtum mihi
Parentis agmen clade nos tanta obruit?
Per te, meorum facinorum laudem precor,
Genitor, tuique nominis ſemper mihi
Numen ſecundum; fare, quis fudit domum?
Cui præda iacui? AMPH. *Tacita ſic abeant mala.*
HER. *Vt inultus ego ſim?* AMPH. *Sæpe vindicta obfuit.*
HER. *Quiſquamne ſegnis tanta toleravit mala?*
AMPH. *Maiora quiſquis timuit.* HER. *His etiam pater*
Quidquam timeri maius aut gravius poteſt?

AMPH. *Cladis tuæ pars ista, quam nosti, quota est?*
HER. *Miserere, genitor: supplices tendo manus.*
Quid hoc? manus refugit. hic errat scelus.
Vnde hic cruor? quid illa puerili madens
Arundo leto, tincta Lernæa nece?
Iam tela video nostra, non quæro manum.
Quis potuit arcum flectere? aut quis dextera
Sinuare nervum vix recedentem mihi?
Ad vos revertor: genitor, hoc nostrum est scelus?
Tacuere, nostrum est. AMPH. *Luctus est istic tuus;*
Crimen noverca. casus hic culpa caret.
HER. *Nunc parte ab omni genitor iratus tona,*
Oblite nostri: vindica sera manu
Saltem nepotes: stelliger mundus sonet,
Flammas & hic & ille iaculetur polus:
Rupes ligatum Caspiæ corpus trahant,
Atque ales avida. cur Promethei vacant
Scopuli? paretur vertice immenso feras
Volucresque pascens Caucasi abruptum latus,
Nudumque silvis. illa, quæ Pontum Scythen
Symplegas arctat, hinc & hinc vinctas manus
Distendat alto: cumque revocata vice
In se coibunt saxa, quæ in cœlum exprimunt
Actis vtrinque rupibus medium mare,
Ego in quieta montium iaceam mora.
Quin structum acervans nemore congesto aggerem;
Cruore corpus impio sparsum cremem?
Sic, sic agendum est; inferis reddam Herculem.
AMPH. *Nondum tumultu pectus attonitum caret.*
Mutavit iras: quodque habet proprium furor,
In se ipse sævit. HER. *Dira Furiarum loca*
Et inferorum carcer, & sonti plaga

Decre-

Decreta turbæ, & ſi quod exilium latet
Vlterius Erebo, Cerbero ignotum & mihi,
Huc me abde tellus: Tartari ad finem vltimum
Manſurus ibo, pectus ô nimium ferum!
Quis vos per omnem, liberi, ſparſos domum
Deflere digne poterit? hic durus malis
Lachrimare vultus neſcit. huc enſem date;
Date huc ſagittas; ſtipitem huc vaſtum date,
Tibi tela frangam noſtra; tibi noſtros puer
Rumpemus arcus, ac tuis ſtipes gravis
Ardebit vmbris: ipſa Lernæis frequens
Pharetra telis in tuos ibit rogos.
Dent arma pœnas: vos quoque infauſtas meis
Cremabo telis, ô novercales manus.
THES. *Quis nomen vnquam ſceleris errori dedit?*
HER. *Sæpe error ingens ſceleris obtinuit locum.*
THES. *Nunc Hercule opus eſt. perfer hanc molẽ mali.*
HER. *Non ſic furore ceſſit extinctus pudor,*
Populos vt omnes impio aſpectu fugem.
Arma, arma, Theſeu, flagito propere mihi
Subtracta reddi. ſana ſi mens eſt mihi,
Referte manibus tela: ſi remanet furor,
Pater recede. mortis inveniam viam.
AMPH. *Per ſancta generis ſacra, per ius nominis*
Vtrumque noſtri, ſive me altorem vocas,
Seu tu parentem; perque venerandos piis
Canos, ſenectæ parce deſertæ precor,
Anniſque feſſis: vnicum lapſæ domus
Firmamen, vnum lumen afflicto malis
Temet reſerva. nullus ex te contigit
Fructus laborum. ſemper aut dubium mare,
Aut monſtra timui. quiſquis in toto furit

Rex ſævus orbe, manibus, aut aris nocens,
A me timetur. ſemper abſentis pater
Fructum tui, tactumque & aſpectum peto.
HER. *Cur animam in iſta luce detineam amplius*
Morerque, nihil eſt: cuncta iam amiſi bona.
Meritem, arma, famam, coniugem, natos, manus;
Etiam furorem. nemo polluto queat
Animo mederi: morte ſaisandum eſt ſcelus.
THES. *Perimes parentẽ?* HER. *Facere ne poſſim, occidã,*
THES. *Genitore coram?* HER. *Cernere hunc docui nefas.*
AMPH. *Memoranda potius omnibus facta intuens,*
Vnius à te criminis veniam pete.
HER. *Veniam dabit ſibi ipſe qui nulli dedit?*
Laudanda feci iuſſus, hoc vnum meum eſt.
Succurre genitor, ſive te pietas movet,
Seu triſte fatum, ſive violatæ decus
Virtutis: effer arma; vincatur mea
Fortuna dextra, THES. *Sunt quidem patriæ preces*
Satis efficaces. ſed tamen noſtro quoque
Movere fletu. ſurge, & adverſa impetu
Pefringe ſolito: nunc tuum nulli imparem
Animum malo reſume. nunc magna tibi
Virtute agendum eſt; Herculem iraſci veta.
HER. *Si vivo, feci ſcelera: ſi morior, tuli.*
Purgare terras propero: iamdudum mihi
Monſtrum impium, ſævumque, & immite, ac ferum
Oberrat: agedum dextra, conare aggredi
Ingens opus, labore biſſeno amplius.
Ignave ceſſas? fortis in pueros modo,
Pavidaſque matres? arma niſi dentur mihi,
Aut omne Pindi Thracis exſcindam nemus,
Bacchique lucos, & Citharonis iugæ

Mecum cremabo : tota cum domibus ſuis,
Dominiſque tecta, cum Deis templa omnibus
Thebana ſupra corpus excipiam meum,
Atque vrbe verſa condar. &, ſi fortibus
Leve pondus humeris mœnia immiſſa incident,
Septemque opertus non ſatis portis premar,
Onus omne media parte qua mundus ſedet,
Dirimitque ſuperos, in meum vertam caput.
Redde arma. AMPH. *Vox eſt digna genitore Herculis.*
Hoc en peremptus ſpiculo cecidit puer:
Hoc, Iuno, telum manibus emiſit tuis :
Hoc nunc ego vtar THES. *Ecce, iam (miſerum metu*
Cor palpitat, corpuſque ſollicitum ferit.)
Aptata arundo eſt : ecce, iam facies ſcelus
Votens, ſciensque. pande, quid fieri iubes ?
HER. *Nihil rogamus ; noſter in tuto eſt dolor.*
AMPH. *Natum potes ſervare tu ſolus mihi.*
THES. *Sed ipſe necdum maximum evaſi metum.*
HER. *Miſerum haud potes me facere, felicem potes.*
Sic ſtatue quidquid ſtatuis, vt cauſam tuam
Famamque in arcto ſtare & ancipiti ſcias.
Aut vivis, aut occidis. hanc animam levem,
Feſſamque ſenio, nec minus quaſſam malis,
In ore primo teneo. tam tarde patri
Vitam dat aliquis ? non feram vlterius moram,
Letale ferro pectus impreſſo induam:
Hic, hic iacebit Herculis ſani ſcelus.
HER. *Iam parce, genitor, parce ; iam revoca manum.*
Succumbe virtus, perfer imperium patris.
Eat ad labores hic quoque Herculeos labor ;
Vivamus. artus alleva aflictos ſolo
Theſeu parentis ; dextra contactus pios

Scele-

Scelerata, refugit. AMPH. *Hanc manum amplector li-*
Hac nixus ibo, pectori hanc ægro admovens (bens:
Pellam dolores. HER. *Quem locum profugus petam?*
Vbi me recondam? quave tellure obruam?
Quis Tanais, aut quis Nilus, aut quis Persica
Violentus vnda Tigris, aut Rhenus ferox,
Tagusve Ibera turbidus gaza fluens,
Abluere dextram poterit? Arctoum licet
Mæotis in me gelida transfundat mare,
Et tota Thetys per meas currat manus,
Hærebit altum facinus. in quas impius
Terras recedes? Ortum, an Occasum petes?
Vbique notus perdidi exilio locum.
Me refugit orbis. astra transversos agunt
Obliqua cursus; ipse Titan Cerberum
Meliore vultu vidit. ô fidum caput
Theseu, latebram quære longinquam, abditam:
Quicunque semper sceleris alieni arbiter
Amas nocentes, gratiam meritis refer
Vicemque nostris: redde me infernis precor
Vmbris reductum, meque subiectum tuis
Restitue vinclis. ille me abscondet locus.
Sed & ille novit. THES. *Nostra te tellus manet.*
Illic solutam cæde Gradivus manum
Restituet armis. illa te, Alcide, vocat
Facere innocentes terra quæ superos solet.

FINIS.

L. AN-

L. ANNAEI SENECAE THYESTES.

Dramatis Perſonæ.

THYESTES. ATREVS. TANTALVS.
MEGÆRA. PLISTHENES THYESTIS F.
CHORVS SENVM MYCENÆORVM.
TANTALVS THYESTIS F. } mutæ perſonæ.
ALIVS THYESTIS F. }
SERVVS. NVNCIVS.

ACTVS PRIMVS.

VMBRA TANTALI. MEGÆRA.

TANT. QVIS me furor nunc ſede ab infauſta extrahit,
Avido fugaces ore captantem cibos?
Quis male-deorum Tantalo vivas domos
Oſtendit iterum? peius inventum eſt ſiti
Arente in vndis aliquid, & peius fame
Hiante ſemper? Siſyphi numquid lapis
Geſtandus humeris lubricus noſtris venit?

Aut

Aut membra celeri differens cursu rota?
Aut pœna Tityi: qui specu vasto patens
Visceribus atras pascis effossis aves;
Et nocte reparans quidquid amisit die,
Plenum recenti pabulum monstro iacet.
In quod malum transcribor? ô quisquis novæ
Supplicia functis durus vmbrarum arbiter
Disponis! adde, si quid ad pœnas potes,
Quod ipse custos carceris diri horreat,
Quod mœstus Acheron paveat; ad cuius metum
Nos quoque tremamus. quære: iam nostra subit
E stirpe turba, quæ suum vincat genus,
Ac me innocentem faciat, & inausa audeat.
Regione quidquid impia cessat loci,
Complebo. numquam stante Pelopeia domo,
Minos vacabit. MEG. *Perge detestabilis*
Vmbra, & penateis impios furiis age.
Certetur omni scelere, & alterna vice
Stringantur enses. ne sit irarum modus,
Pudorve. mentes cœcus instiget furor;
Rabies parentum duret, & longum nefas
Eat in nepotes. nec vacet cuiquam vetus
Odisse crimen, semper oriatur novum;
Nec vnum in vno: dumque punitur scelus,
Crescat. superbis fratribus regna excidant,
Repetatque profugos dubia violenta domus
Fortuna reges: inter incertos labet.
Miser ex potente fiat, ex misero potens;
Fluctuque regnum casus assiduo ferat,
Ob scelera pulsi, cum dabit patriam deus,
In scelera redeant: sintque tam inviси omnibus
Quam sibi. nihil sit, ira quod vetitum putet.

Fratrem

Fratrem expaveſcat frater, & natum parens,
Natuſque patrem: liberi pereant male;
Peius tamen naſcantur: immineat viro
Infeſta coniux. bella trans pontum vehant:
Effuſus omnes irriget terras cruor;
Supraque magnos gentium exultet duces
Libido victrix. impia ſtuprum in domo
Leviſſimum ſit. fratris & fas, & fides,
Iuſque omne pereat. non ſit à veſtris malis
Immune cœlum. cum micant ſtellæ polo,
Flammæq; ſervant debitum mundo decus;
Nox atra fiat, excidat cælo dies.
Miſce penateis: odia, cædes, funera
Arceſſe, & imple ſcelere Tantaleam domum,
Ornetur altum columen, & lauro fores
Lætæ vireſcant; dignus adventu tuo
Splendeſcat ignis. Thracium fiat nefas
Maiore numero. dextra cur patrui vacat?
Nondum Thyeſtes liberos deflet ſuos?
Ecquando tollet ignibus jam ſubditis
Spumante aheno? membra per partes eant
Diſcerpta: patrios polluat ſanguis focos:
Epulæ inſtruantur. non novi ſceleris tibi
Conviva venies; liberum dedimus diem,
Tuamque ad iſtas ſolvimus menſas famem,
Ieiunia exple. miſtus in Bacchum cruor
Spectante te potetur. inveni dapes,
Quas ipſe fugeres. Siſte, quo præceps ruis?
TANT. *Ad ſtagna, & amnes, & recedentes aquas,*
Labriſque ab ipſis arboris plenæ fugas,
Abire in atrum carceris liceat mei
Cubile: liceat, ſi parum videor miſer,

Mutare

Mutare ripas: alveo medius tuo
Plegethon relinquar, igneo cinctus freto.
Quicunque pœnas lege Fatorum datas
Pati iuberis: quisquis exeso iaces
Pavidus sub antro, quique venturi times
Montis ruinam: quisquis avidorum feros
Rictus leonum, & dira Furiarum agmina
Implicitus horres: quisquis immissas faces
Semiustus abigis, Tantali vocem excipe
Properantis ad vos: credite experto mihi,
Amate pœnas. quando continget mihi
Effugere superos? MEG. *Ante perturba domum,*
Inferque tecum prælia, & ferri malum
Regibus amorem: concute insano ferum
Pectus tumultu. TANT. *Me pati pœnas decet,*
Non esse pœnam: mittor, vt dirus vapor
Tellure rupta, vel gravem populis luem
Sparsura pestis. ducam in horrendum nefas
Avus nepotes. Magne divorum parens,
Nosterque, quamvis pudeat; ingenti licet
Taxata pœna lingua crucietur, loquar;
Nec hoc tacebo: moneo, ne sacra manus
Violata cæde, neve furiali malo
Aspergat aras. stabo, & arcebo scelus.
Quid ora terres verbere, & tortos ferox
Minaris angues? quid famem infixam intimis
Agitas medullis? flagrat incensum siti
Cor, & perustis flamma visceribus micat.
Sequor.
MEG. *Hunc, ô, furorem divide in totam domum.*
Sic, sic feratur, & suum insensi invicem
Sitiant cruorem: sensit introitus tuos

Domus,

Domus, & nefando tota contactu horruit.
Actum est abunde. gradere ad infernos specus,
Amnemque notum: iam tuum mœstæ pedem
Terræ gravantur. cernis, vt fontes liquor
Introrsus actus linquat; vt ripæ vacent;
Ventusque raras igneus nubes ferat?
Pallescit omnis arbor, ac nudus stetit
Fugiente pomo ramus; & qui fructibus
Illinc propinquis Isthmos atque illinc fremit,
Vicina gracili dividens terra vada,
Longe remotos latus exaudit sonos.
Iam Lerna retro cessit, & Phoronides
Latuere venæ: nec suas profert sacras
Alpheus vndas, & Cithæronis iuga
Stant parte nulla cana deposita nive,
Timentque veterem nobiles Argi sitim.
En ipse Titan dubitat, an iubeat sequi,
Cogatque habenis ire periturum diem.

CHORVS.

Argos de Superis si quis Achaïcum,
Pisæisque domos curribus inclytas:
Isthmi si quis amat regna Corinthii,
Et portus geminos, & mare dissidens:
Si quis Taygeti conspicuas nives,
Quas, cum Sarmaticus tempore frigido
In summis Boreas composuit iugis,
Æstas veliferis solvit Etesiis:
Quem tangit gelido flumine lucidus
Alpheus, stadio notus Olympico:
Advertat placidum numen, & arceat
Alternas scelerum, ne redeant, vices;

Neu ſuccedat avo deterior nepos;
Maiorum & placeat culpa minoribus.
Tandem laſſa feros exuat impetus
Sicci progenies impia Tantali.
Peccatum ſatis eſt. fas valuit nihil,
Aut commune nefas. proditus occidit
Deceptor dominæ Myrtilus, & fide
Vectus qua tulerat nobile reddidit
Mutato pelagus nomine. notior
Nulla eſt Ioniis fabula navibus.
Exceptus gladio parvulus impio
Dum currit patrium natus ad oſculum,
Immatura focis victima concidit:
Diviſuſque tua eſt, Tantale, dextera,
Menſas vt ſtrueres hoſpitibus deis:
Hos æterna fames proſequitur cibos,
Hos æterna ſitis: nec dapibus feris
Decerni potuit pœna decentior.
Stat luſus vacuo gutture Tantalus,
Impendet capiti plurima noxio
Pbineis avibus præda fugacior:
Hinc illinc gravidis frondibus incubat
Incurvata ſuis fetibus, ac tremens
Alludit patulis arbor hiatibus:
Nec, quamvis avidus, nec patiens moræ,
Deceptus toties tangere negligit,
Obliquatque oculos, oraque comprimit,
Incluſisque famem dentibus alligat:
Sed tunc divitias omne nemus ſuas
Demittit propius, pomaque deſuper
Inſultant foliis mitia languidis,
Accenduntque famem; quæ jubet irritas

Exercet

Exercere manus: has vbi protulit,
Et falli libuit; totus in arduum
Autumnus rapitur, ſilvaque mobilis.
Inſtat deinde ſitis non levior fame;
Qua cum percaluit ſanguis, & igneis
Exarſit facibus, ſtat miſer obvios
Fluctus ore vocans, quos profugus latex
Avertit, ſterili deficiens vado,
Conantemque ſequi, deſerit. hic bibit
Altum de rapido gurgite pulverem.

* ἀτελής. *

ACTVS SECVNDVS.

ATREVS. SERVVS.

ATR. *IGnave, iners, enervis, & (quod maximum*
Probrum tyranno rebus in ſummis reor)
Inulte, poſt tot ſcelera, poſt fratris dolos,
Faſque omne ruptum, queſtibus vanis agis
Iras? at Argos fremere iam totum tuis
Debebat armis, omnis & geminum mare
Innare claſſis: iam tuis flammis agros
Lucere & vrbes decuit; ac ſtrictum vndique
Micare ferrum. tota ſub noſtro ſonet
Argolica tellus equite: non ſilvæ tegant
Hoſtem, nec altis montium ſtructæ iugis
Arces. relictis bellicum totus canat
Populus Mycenis. quiſquis inviſum caput
Tegit ac tuetur, clade funeſta occidat.
Hæc ipſa pollens inclyti Pelopis domus
Ruat vel in me, dummodo in fratrem ruat.
Age anime, fac quod nulla poſteritas probet;
Sed nulla taceat. aliquod audendum eſt nefas

Atrox, cruentum; tale, quod frater meus
Suum esse malit. scelera non vlciscēris
Nisi vincis. & quid esse tam sævuum potest,
Quod superet illum? numquid abiectus iacet?
Numquid secundis patitur in rebus modum,
Fessis quietem? novi ego ingenium viri
Indocile: flecti non potest, frangi potest.
Proin antequam se firmet, aut vires paret,
Petatur vltro; ne quiescentem petat.
Aut perdet, aut peribit. in medio est scelus
Positum occupanti. SER. *fama te populi nihil*
Adversa terret? ART. *Maximum hoc regni bonū est,*
Quod facta domini cogitur populus sui
Quam ferre, tam laudare. SER. *Quos cogit metus*
Laudare, eosdem reddit inimicos metus.
At qui favoris gloriam veri petit,
Animo magis quam voce laudari volet.
ART. *Laus vera & humili sæpe contigit viro:*
Non nisi potenti falsa. quod nolunt velint,
SER. *Rex velit honesta; nemo non eadem volet.*
ART. *Vbicunque tantum honesta dominanti licent,*
Precario regnatur, SER. *Vbi non est pudor,*
Nec cura iuris, sanctitas, pietas, fides;
Instabile regnum est. ATR. *Sanctitas, pietas, fides,*
Privata bona sunt: qua iuvat, reges eant.
SER. *Nefas nocere vel malo fratri puta.*
ART. *Fas est in illo, quidquid in fratre est nefas.*
Quid enim reliquit crimine intactum? aut vbi
Sceleri pepercit? coniugem stupro abstulit,
Regnumque furto: specimem antiquum imperii
Fraude est adeptus; fraude turbavit domum,
Est Pelopis altis nobile in stabulis pecus,

Arcanus

Arcanus aries, ductor opulenti gregis;
Cuius per omne corpus infuso coma
Dependet auro, cuius e tergo novi
Aurata reges sceptra Tantalici gerunt;
Possessor huius regnat: hunc tantæ domus
Fortuna sequitur. tuta sepositâ sacer
In parte carpit prata quæ claudit lapis,
Fatale sacro pascuum muro tegens;
Hunc, facinus ingens ausus, assumpta in scelus
Consorte nostri perfidus thalami avehit.
Hinc omne cladis mutuæ fluxit malum.
Per regna trepidus exul erravit mea:
Pars nulla nostri tuta ab insidiis vacat.
Corrupta coniux, imperii quassa est fides,
Domus ægra, dubius sanguis: est certi nihil,
Nisi frater hostis. quid stupes? tandem incipe.
Animosque sume; Tantalum & Pelopem aspice:
Ad hæc manus exempla poscuntur meæ.
Profare, dirum qua caput mactem via.
SER. *Ferro peremptus spiritum inimicum expuat.*
ATR. *De fine pœnæ loqueris, ego pœnam volo.*
Perimat tyrannus lenis. in regno meo
Mors impetratur. SER. *Nulla te pietas movet?*
ATR. *Excede pietas; (si modò nostra in domo*
Vnquam fuisti,) dira Furiarum cohors,
Discorsque Erinnys veniat, & geminas faces
Megæra quatiens. non satis magno meum
Ardet furore pectus: impleri iuvat
Maiore monstro. SER. *Quid novi rabidus struis?*
ATR. *Nil quod doloris capiat assueti modum.*
Nullum relinquam facinus; & nullum est satis.
SER. *Ferrum?* ATR. *parum est.* SER. *Quid ignis?*

ATR. *etiamnum parum est.*
SER. *Quonam ergo telo tantus vtetur dolor?*
ATR. *Ipso Thyeste.* SER. *maius est ira hoc malum.*
ATR. *Fateor. tumultus pectora attonitus quatit,*
Penitusque volvit: rapior, & quo nescio;
Sed rapior. imo mugit e fundo solum;
Tonat dies serenus; ac totis domus
Vt fracta tectis crepuit; & moti lares
Vertere vultum: fiat hoc, fiat nefas,
Quod dii timetis. SER. *Facere quid tandem parat?*
ATR. *Nescio quid animus maius, & solito amplius,*
Supraque fines moris humani timet,
Instatque pigris manibus: haud, quid sit, scio:
Sed grande quiddam est. ita sit; hoc anime incipe.
Dignum est Thyeste facinus, & dignum Atreo.
Vterque faciat. vidit infandas domus
Odrysia mensas. fateor; immane est scelus,
Sed occupatum: maius hoc aliquid dolor
Inveniat. animum filio inspira parens,
Sororque. causa est similis. assiste. & manum
Impelle nostram: liberos avidus parens
Gaudensque laceret, & suos artus edat.
Bene est. abunde est. hic placet pœnæ modus
Tantisper. vbinam est? tam diu cur innocens
Versatur Atreus? tota iam ante oculos meos
Imago cædis errat; ingesta orbitas
In ora patris. anime, quid rursus times?
Et ante rem subsidis? audendum est, age:
Quod est in isto scelere præcipuum nefas,
Hoc ipse faciet. SER. *Sed quibus captus dolis,*
Nostros dabit perductus in laqueos pedem?
Inimica credit cuncta. ATR. *Non poterat capi,*

Nisi

Nisi capere vellet. regna nunc sperat mea:
Hac spe minanti fulmen occurret Jovi;
Hac spe subibit gurgitis tumidi minas;
Dubiumque Libyca Syrtis intrabit fretum;
Hac spe, quod esse maximum retur malum,
Fratrem videbit: SER. *Quis fidem pacis dabit?*
Cui tanta credet? ATR. *Credula est spes improba.*
Gnatis tamen mandata, quæ patruo ferant,
Dabimus: relictis exul hospitiis, vagus,
Regno vt miserias mutet, atque Argos regat
Ex parte dominus. si nimis durus preces
Spernet Thyestes; liberos eius rudes,
Malisque fessos gravibus, & faciles capi,
Preces movebunt. hinc vetus regni furor,
Illinc egestas tristis, hinc durus labor,
Quamvis rigentem tot malis subigent virum.
SER. *Iam tempus illi fecit ærumnas leves.*
ATR. *Erras: malorum sensus accrescit die.*
Leve est miserias ferre, perferre est grave.
SER. *Alios ministros consiliis istis lege:*
Peiora iuvenes facile præcepta audiunt:
In patre facient, quidquid in patruo doces.
Sæpe in magistrum scelera redierunt sua.
ATR. *Vt nemo doceat fraudis & sceleris vias,*
Regnum docebit. ne mali fiant, times?
Nascuntur istud. quod vocas sævum, asperum,
Agique dire credis, & nimium impie,
Fortasse & illic agitur. SER. *Hanc fraudem scient*
Gnati parari: tacita tam rudibus fides
Non est in annis, detegent forsan dolos.
ATR. *Tacere multis discitur vitæ malis.*
SER. *Ipsosne, per quos fallere alium cogitas,*

Falles? ATR. *at ipſi crimine & culpa vacent.*
Quid enim eſt neceſſe liberos ſceleri meo
Inſerere? per nos odia ſe noſtra explicent:
Male agis, recedis anime: ſi parcis tuis,
Parces & illi: conſilî Agamemnon mei
Sciens miniſter fiat, & patris cliens
Menelaus adſit. prolis incertæ fides
Ex hoc paratur ſcelere. ſi bella abnuunt,
Et gerere nolunt odia; ſi patruum vocant;
Pater eſt, eatur. multa ſed trepidus ſolet
Detegere vultus; magna nolentem quoque
Conſilia produnt: neſciant quantæ rei
Fiant miniſtri, noſtra tu cœpta occule.
SER. *Haud ſum monendus. iſta noſtro in pectore*
Fides, timorque; ſed magis claudet fides.

CHORVS.

Eadem regia nobilis,
Antiqui genus Inachi,
Fratrum compoſuit minas.
Quis vos exagitat furor,
Alternis dare ſanguinem,
Et ſceptrum ſcelere aggredi?
Neſcitis cupidi arcium,
Regnum quo jaceat loco.
Regem non faciunt opes,
Non veſtis Tyriæ color,
Non frontis nota regiæ,
Non auro nitidæ trabes.
Rex eſt, qui poſuit metus,
Et diri mala pectoris:
Quem non ambitio impotens,

Et nunquam ſtabilis favor
Vulgi præcipitis movet.
Non quidquid fodit Occidens;
Aut vnda Tagus aurea
Claro devehit alveo:
Non quidquid Libycis terit
Fervens area meſſibus.
Quem non concutiet cadens
Obliqui via fulminis:
Non Eurus rapiens mare;
Aut ſævo rapidus freto
Ventoſi tumor Adriæ,
Quem non lancea militis,
Non ſtrictus domuit chalybs:
Qui tuto poſitus loco,
Infra ſe videt omnia:
Occurritque ſuo libens
Fato: nec queritur mori.
Reges conveniant licet
Qui ſparſos agitant Dacas;
Qui rubri vada littoris;
Et gemmis mare lucidum
Late ſanguineum tenent:
Aut qui Caſpia fortibus
Recludunt iuga Sarmatis:
Certet Danubium licet
Audet qui pedes ingredi;
Et quocunque loco jacent
Seres vellere nobiles,
Mens regnum bona poſſidet.
Nil vllis opus eſt equis;
Nil armis, & inertibus

Telis, quæ procul ingerit
Parthus, cum ſimulat fugas:
Admotis nihil eſt opus
Vrbes ſternere machinis,
Longe ſaxa rotantibus.
Rex eſt, qui metuit nihil.
* *Rex eſt, quiq; cupit nihil.* * Al. Rex eſt, qui cupiet nihil.
Hoc regnum ſibi quiſque dat.
Stet quicunque volet potens
Aulæ culmine lubrico:
Me dulcis ſaturet quies.
Obſcuro poſitus loco,
Leni perfruar otio.
Nullis nota Quiritibus
Ætas per tacitum fluat.
Sic cum tranſierint mei
Nullo cum ſtrepitu dies,
Plebeius moriar ſenex.
Illi mors gravis incubat,
Qui notus nimis omnibus,
Ignotus moritur ſibi.

ACTVS TERTIVS.

THYESTES. PLISTHENES. TANTALVS iunior, & Frater tertius, mutæ perſonæ.

THY. *O Ptata patriæ tecta, & Argolicas opes,*
Miſeriſque ſummum ac maximum exulibus
Tactum ſoli natalis, & patrios deos (bonum,
(Si ſunt tamen dij) cerno; Cyclopum ſacras
Turres, labore maius humano decus,

Celo-

Celebrata iuveni ſtadia, per quæ nobilis
Palmam paterno non ſemel curru tuli.
Occurret Argos, populus occurret frequens;
Sed nempe & Atreus. repete ſilveſtres fugas,
Saltuſque denſos potius, & mixtam feris
Similemque vitam. clarus hic regni nitor
Fulgore non eſt quod oculos falſo auferat.
Cum quid datur ſpectabis, & dantem aſpices
Modo inter illa, quæ putant cuncti aſpera
Fortis fui, lætuſque: nunc contra in metus
Revolvor. animus hæret, ac retro cupit
Corpus referre: moveo nolentem gradum.
PLIS. *Pigro (quid hoc eſt?) genitor inceßu ſtupet,*
Vultumque verſat, ſeque in incerto tenet.
THY. *Quid anime pendes? quidve conſilium diu*
Tam facile torques? rebus incertiſſimis,
Fratri atque regno credis? ac metuis mala
Iam victa, iam manſueta, & ærumnas fugis
Bene collocatas? eſſe iam miſerum iuvat.
Reflecte greßum, dum licet, teque eripe.
PLIS. *Quæ cauſa cogit, genitor, a patria gradum*
Referre viſa? cur bonis tantis ſinum
Subducis? ira frater abiecta redit;
Partemque regni reddit: & laceræ domus
Componit artus, teque reſtituit tibi.
THY. *Cauſam timoris, ipſe quam ignoro, exigis.*
Nihil timendum video; ſed timeo tamen.
Placet ire: pigris membra ſed genubus labant,
Alioque, quam quo nitor, adductus feror.
Sic concitatam remige & velo ratem
Æſtus, reſiſtens remigi & vento, refert.
PLIS. *Pervince quidquid obſtat, & mentem impedit;*

Redu-

Reducemque quanta præmia exſpectent, vide.
Pater, potes regnare. THY. *cum poſſim mori?*
PLIS. *Summa eſt poteſtas.* THY. *nulla, ſi cupias nihil.*
PLIS. *Gnatis relinques.* TH. *non capit regnum duos.*
PLIS. *Miſer eſſe mavult, eſſe qui felix poteſt?*
TH. *Mihi crede, falſis magna nominibus placent.*
Fruſtra timentur dura. dum excelſus ſteti,
Nunquam pavere deſtiti, atque ipſum mei
Ferrum timere lateris. ò, quantum bonum eſt,
Obſtare nulli! capere ſecuras dapes
Humi iacentem! ſcelera non intrant caſas.
Tutuſque menſa capitur anguſta cibus.
Venenum in auro bibitur. expertus loquor,
Malam bonæ præferre fortunam licet.
Non vertice alti montis impoſitam domum,
Et eminentem civitas humilis tremit;
Nec fulget altis ſplendidum tectis ebur;
Somnoſque non defendit excubitor meos:
Non claſſibus piſcamur; & retro mare
Iacta fugamus mole: non ventrem improbum
Alimus tributo gentium; nullus mihi
Vltra Getas metatur & Parthos ager:
Non thure colimur; nec meæ, excluſo Iove,
Ornantur aræ: nulla culminibus meis
Impoſita nutat ſilva; nec fumant manu
Succenſa multâ ſtagna: nec ſomno dies,
Bacchoque nox ducenda pervigili datur.
Sed non timemus. tuta ſine telo eſt domus.
Rebuſque parvis alta præſtatur quies.
Immane regnum eſt, poſſe ſine regno pati.
PLIS. *Nec abnuendum eſt, ſi dat imperium deus.*
THY. *Nec appetendum.* PLIS. *Frater, vt regnes, roga.*

THY.

THY. *Rogat? timendum eſt. errat hic aliquis dolus.*
PLIS. *Redire pietas, vnde ſummota eſt, ſolet:*
Reparatque vires iuſtus amiſſas amor.
THY. *Amat Thyeſten frater? æthereas prius*
Perſundet Arctos pontus; & Siculi rapax
Conſiſtet æſtus vnda, & Ionio ſeges
Matura pelago ſurget; & lucem dabit
Nox atra terris: ante cum flammis aquæ,
Cum morte vita, cum mari ventus fidtm
Fœduſque iungent. PLIS. *Quã tamen fraudem times?*
THY. *Omnem. timori quem meo ſtatuam modum?*
Quantum poteſt, tantum odit. PLIS. *In te quid poteſt?*
THY. *Pro me nihil iam metuo: vos facitis mihi*
Atrea temendum. PLIS. *Decipi captus times?*
Serum eſt cavendt tempus in mediis malis.
THY. *Eatur: vnum, genitor, hoc teſtor tamen;*
Ego vos ſequor, non duco. PLIS. *Reſpiciat deus*
Bene cogitata. perge non dubio gradu.

ATREVS. THYESTES. PLISTHENES.

TANTALVS F. & Tertius frater, mutæ perſonæ.

ATR. *Plagis tenetur cluſa diſpoſitis fera.*
Et ipſum, & vna generis inviſi indolem
Iunctam parenti cerno. iam tuto in loco
Verſantur odia: venit in noſtras manus
Tandem Thyeſtes; venit, & totus quidem.
Vix tempero animo, vix dolor frenos capit.
Sic cum feras veſtigat, & longo ſagax
Loro tenetur Vmber, ac preſſo vias
Scrutatur ore; dum procul lento ſuem
Odore ſentit, paret, & tacito locum

Roſtro

Roſtro pererrat: præda cum proprior fuit;
Cervice tota pugnat, & gemitu vocat
Dominum morantem, ſeque retinenti eripit.
Cum ſpirat ira ſanguinem, neſcit tegi.
Tamen tegatur. aſpice, vt multo gravis
Squallore vultus obruat mœſtos coma:
Quam fœda iaceat barba. præſtatur fides.
Fratrem iuvat videre: complexus mihi
Redde expetitos. quidquid irarum fuit,
Tranſierit. ex hoc ſanguis ac pietas die
Colantur: animis odia damnata excidant.
THY. *Diluere poſſem cuncta, niſi talis fores.*
Sed fateor, Atreu, fateor, admiſi omnia
Quæ credidiſti. peſſimam cauſam meam
Hodierna pietas fecit. eſt prorſus nocens,
Quicunque viſus tam bono fratri eſt nocens.
Lachrimis agendum eſt: ſupplicem primus vides.
Hæ te precantur pedibus intactæ manus.
Ponatur omnis ira, & ex animo tumor
Eraſus abeat: obſides fidei accipe
Hos innocentes. ATR. *Frater, a genubus manus*
Auſer, meoſque potius amplexus pete.
Vos quoque, ſenum præſidia, vos iuvenes, meo
Pendete collo. ſquallidam veſtem exue,
Oculiſque noſtris parce, & ornatus cape,
Pares meis: lætuſque fraterni imperij
Capeße partem. maior hæc laus eſt mea,
Fratri paternum reddere incolumi decus.
Habere regnum, caſus eſt: virtus, dare.
THY. *Dij paria, frater, pretia pro tantis tibi*
Meritis rependant. regiam capitis notam
Squallor recuſat noſter, & ſceptrum manus

Infau-

Infausta refugit. liceat in media mihi
Latere turba. ATR. *Recipit hoc regnum duos.*
THY. *Meum esse credo, quidquid est, frater, tuum.*
ATR. *Quis influentis dona Fortunæ abnuit?*
THY. *Expertus est quicunque quam facile effluant.*
ATR. *Fratrem potiri gloria ingenti vetas?*
THY. *Tua jam peracta gloria est, restat mea.*
Respuere certum est regna consilium mihi.
ATR. *Meam relinquam, nisi tuam partem accipis.*
THY. *Accipio. regni nomen imposiți feram:*
Sed iura & arma servient mecum tibi.
ATR. *Imposita capiti vincla venerando gere.*
Ego destinatas victimas Superis dabo.

CHORVS.

Credat hoc quisquam? ferus ille & acer,
Nec potens mentis, truculentus Atreus,
Fratris aspectu stupefactus hæsit.
Nulla vis maior pietate vera est.
Iurgia externis inimica durant,
Quos amor verus tenuit, tenebit.
Ira cum magnis agitata causis
Gratiam rupit, cecinitque bellum,
Cum leves frenis sonuere turmæ,
Fulsit hinc illinc agitatus ensis;
Quem movet crebro furibundus ictu
Sanguinem Mavors cupiens recentem,
Opprimit ferrum, manibusque iunctis
Ducit ad pacem pietas negantes.
Otium tanto subitum è tumultu
Quis deus fecit? modò per Mycenas
Arma civilis crepuere belli.

Pallida

Pallidæ matres tenuere natos;
Vxor armato timuit marito,
Cum manum invitus sequeretur ensis,
Sordidus pacis vitio quietæ.
Ille labentes renovare muros;
Hic situ quassas stabilire turres;
Ferreis portas cohibere claustris
Ille certabat; paviduque pinnis
Anxiæ nocti vigil incubabat.
Peior est bello timor ipse belli,
Iam minæ sævi ceeidere ferri;
Iam silet murmur grave classicorum;
Iam tacet stridor litui strepentis;
Alta pax vrbi revocata lætæ est.
Sic vbi ex alto tumuere fluctus,
Brutium Coro feriente pontum;
Scylla pulsatis resonat cavernis,
Ac mare intortum timuere nautæ,
Quod rapax haustum revomit Charybdis;
Et ferus Cyclops metuit parentem
Rupe ferventis residens in Ætnæ,
Ne superfusis violetur vndis
Ignis æternis resonans caminis;
Et putat mergi sua posse pauper
Regna Laertes, Ithaca tremente;
Si suæ ventis cecidere vires,
Mitius stagno pelagus recumbit;
Alta quæ navis timuit secare
Hinc & hinc fusis spacioſa velis,
Strata ludenti patuere cymbæ:
Et vacat mersos numerare pisces;
Hic vbi ingenti modo sub procella

Cycla-

Cyclades pomum tixnuere motæ.
Nulla ſors longa eſt. dolor ac voluptas
Invicem cedunt. brevior voluptas.
Ima permutat brevis hora ſummis.
Ille qui donat diadema fronti,
Quem genu nixæ tremuere gentes,
Cuius ad nutum poſuere bella
Medus, & Phœbi propioris Indus;
Et Dacæ Parthis equitem minati;
Anxius ſceptrum tenet, & moventes
Cuncta divitias; metuitque caſus
Mobiles rerum, dubiumque tempus.
Vos, quibus rector maris atque terræ
Ius dedit magnum necis atque vitæ,
Ponite inflatos tumidoſque vultus:
Quidquid à vobis minor extimeſcit,
Maior hoc vobis dominus minatur.
Omne ſub regno graviore regnum eſt.
Quem dies vidit veniens ſuperbum,
Hunc dies vidit fugiens iacentem.
Nemo confidat nimium ſecundis,
Nemo deſperet meliora lapſis.
Miſcet hæc illis, prohibetque Clotho
Stare fortunam. rotat omne fatum.
Nemo tam divos habuit faventeis,
Craſtinum vt poſſit ſibi polliceri.
Res Deus noſtras celeri citatas
Turbine verſat.

ACTVS QVARTVS.

NVNCIVS. CHORVS.

NVN. *Qvis me per auras turbo præcipitem vehet,*
Atraque nube involvet, vt tantum nefas
Eripiat oculis? ô domus, Pelopi quoque
Et Tantalo pudenda! CHO. *Quid portas novi?*
NVN. *Quænam ista regio est, Argos & Sparte impios*
Sortita fratres? & maris gemini premens
Fauces Corinthus? an feris Ister fugam
Præbens Alanis? an sub æterna nive
Hyrcana tellus? an vagi passim Scythæ?
CHO. *Quis hic nefandi est conscius monstri locus?*
Effare: & istud pande, quodcumque est malum.
NVN. *Si steterit animus, si metu corpus rigens*
Remittet artus. hæret in vultu trucis
Imago facti. ferte me insanæ procul
Illo procellæ; ferte, quo fertur dies
Hinc raptus. CHO. *Animos gravius incertos tenes.*
Quid sit, quod horres, effer; auctorem indica.
Non quæro quis sit, sed vter. effare ocius.
NVN. *In arce summa Pelopeæ pars est domus*
Conversa ad Austros; cuius extremum latus
Æquale monti crescit, atque vrbem premit,
Et contumacem regibus populum suis
Habet sub ictu: fulget hic turbæ capax
Immane tectum, cuius auratas trabes
Variis columnæ nobiles maculis ferunt.
Post ista vulgo nota, quæ populi colunt,
In multa dives spatia discedit domus.
Arcana in imo regio secessu patet,
Alta vetustum valle compescens nemus,

Pene-

Penetrale regni. nulla qua lætos ſolet
Præbere ramos arbor, aut ferro coli:
Sed taxus, & cupreſſus, & nigra ilice
Obſcura nutat ſilva; quam ſupra eminens
Deſpectat alte quercus, & vincit nemus.
Hinc auſpicari regna Tantalidæ ſolent,
Hinc petere lapſis rebus & dubiis opem.
Affixa inhærent dona: vocales tubæ;
Fractique currus; ſpolia Myrtoi maris;
Victæque falſis axibus pendent rotæ;
Et omne gentis facinus. hoc Phrygius loco
Fixus tiaras Pelopis: hic præda hoſtium;
Et de triumpho picta Barbarico chlamys.
Fons ſtat ſub umbra triſtis, & nigra piger
Hæret palude. talis eſt diræ Stygis
Deformis unda, quæ facit cœlo fidem.
Hic nocte tota gemere ferales deos,
Fama eſt: catenis lucus excuſſis ſonat,
Vlulantque Manes. Quidquid audire eſt metus,
Illic videtur. errat antiquis vetus
Emiſſa buſtis turba, & inſultant loco
Maiora notis monſtra. Quin tota ſolet
Micare flamma ſilva, & excelſæ trabes
Ardent ſine igni. ſæpe latratu nemus
Trino remugit: ſæpe ſimulachris domus
Attonita magnis. nec dies ſedat metum.
Nox propria luco eſt, & ſuperſtitio inferûm
In luce media regnat. Hinc orantibus
Reſponſa dantur certa, cum ingenti ſono
Laxantur adyto fata, & immugit ſpecus
Vocem Deo ſolvente. Quo poſtquam furens
Intravit Atreus liberos fratris trahens,

Ornantur aræ. quis queat digne eloqui?
Post terga iuvenum nobiles religat manus,
Et mœsta vitta capita purpurea ligat:
Non thura desunt, non sacer Bacchi liquor,
Tangensve salsa victimam culter mola.
Servatur omnis ordo, ne tantum nefas
Non rite fiat. CHO. *Quis manum ferro admovet?*
NVN. *Ipse est sacerdos. ipse funesta prece*
Letale carmen ore violento canit.
Stat ipse ad aras. ipse devotos neci
Contrectat, & componit, & ferro admovet.
Attendit ipse. nulla pars sacri perit.
Lucus tremiscit. tota succusso solo
Nutavit aula, dubia quo pondus daret,
Ac fluctuanti similis. è læva æthere
Atrum cucurrit limitem sidus trahens.
Libata in ignes vina mutato fluunt
Cruenta Baccho. regium capiti decus
Bis terque lapsum est. flevit in templis ebur.
Movêre cunctos monstra: sed solus sibi
Immotus Atreus constat, atque ultro deos
Terret minantes. iamque dimissa mora
Assiluit aris, torvum & obliquum intuens.
Ieiuna silvis qualis in Gangeticis
Inter iuvencos tigris erravit duos,
Utriusque prædæ cupida, quo primos ferat
Incerta morsus, flectit huc rictus suos,
Illo reflectit, & famem dubiam tenet;
Sic dirus Atreus capita devota impiæ
Speculatur iræ. quem prius mactet sibi,
Dubitat; secunda deinde quem cæde immolet.
Nec interest: sed dubitat. & tantum scelus

Iuvat

Iuvat ordinare. CHO. *Quem tamen ferro occupat?*
NVN. *Primus locus (ne deesse pietatem putes)*
Avo dicatur; Tantalus prima hostia est.
CHO. *Quo iuvenis animo, quo tulit vultu necem?*
NVN. *Stetit sui securus, & non est preces*
Perire frustra passus: ast illi ferus
In vulnere ensem abscondit, & penitus premens
Iugulo manum commisit. educto stetit
Ferro cadaver: cumque dubitasset diu
Hac parte an illa caderet, in patruum cadit.
Tunc ille ad aras Plisthenem sævus trahit,
Adicitque fratri: colla percussa amputat.
Cervice cæsa truncus in pronum ruit:
Querulum cucurrit murmure incerto caput.
CHO. *Quid deinde gemina cæde perfunctus facit?*
Puerone parcit? an scelus sceleri ingerit?
NVN. *Silva iubatus qualis Armenia leo*
In cæde multa victor armento incubat,
Cruore rictus madidus, & pulsa fame
Non ponit iras; hinc & hinc tauros premens
Vitulis minatur, dente iam lasso piger:
Non aliter Atreus sævit, atque ira tumet,
Ferrumque gemina cæde perfusum tenens,
Oblitus in quem rueret; infesta manu
Exegit vltra corpus. at pueri statim
Pectore receptus ensis, in tergo exstitit.
Cadit ille, & aras sanguine extinguens suo,
Per vtrumque vulnus moritur. CHO. *O sævum scelus!*
NVN. *Exhorruistis? hactenus non stat nefas.*
Plus est. CHO. *An vltra maius aut atrocius*
Natura recipit? NVN. *Sceleris hunc finem putas?*
Gradus est. CHO. *Quid vltra potuit? abiecit feris*

Laniandа forſan corpora, atque igne arcuit.
NVN. *Vtinam arcuiſſet! ne tegat functos humus,*
Ne ſolvat ignis, avibus epulandos licet
Feriſque triſte pabulum ſævis trabat;
Votum eſt ſub hoc, quod eſſe ſupplicium ſolet.
Pater inſepultos ſpectet. ô nullo ſcelus
Credibile in ævo, quodque poſteritas neget!
Erepta vivis exta pectoribus tremunt,
Spirantque venæ, corque adhuc pavidum ſalit.
At ille fibras tractat, ac fata inſpicit;
Et adhuc calentes viſcerum venas notat.
Poſtquam hoſtiæ placuere, ſecurus vacat
Iam fratris epulis. ipſe diviſum ſecat
In membra corpus; amputat trunco tenus
Humeros patentes, & lacertorum moras;
Denudat artus dirus, atque oſſa amputat:
Tantum ora ſervat, & datas fidei manus.
Hæc verubus hærent viſcera, & lentis data
Stillant caminis: illa flammatus latex,
Quærente aheno, iactat: impoſitas dapes
Tranſiliit ignis, inque crepitantes focos
Bis ter regeſtus, & pati iuſſus moram,
Invitus ardet. ſtridet in verubus iecur.
Nec facile dicam, corpora an flammæ magis
Gemuere. piceus ignis in fumos abit:
Et ipſe fumus triſtis, ac nebula gravis
Non rectus exit, ſeque in excelſum levans,
Ipſos penates nube deformi obſidet.
O Phœbe patiens, fugeris retro licet,
Medioque ruptum merſeris cœlo diem;
Sero occidiſti: lancinat gnatos pater,
Artuſque mandit ore funeſto ſuos.

Nitet fluente madidus vnguento comam,
Graviſque vino : ſæpe præcluſæ cibum
Tenuere fauces. in malis vnum hoc tuis
Bonum eſt, Thyeſta, quod mala ignoras tua.
Sed & hoc peribit. verterit currus licet,
Sibi ipſe Titan obvium ducens iter ;
Tenebriſque facinus obruat tetrum novis,
Nox miſſa ab ortu tempore alieno gravis ;
Tamen videndum eſt. tota pateſient mala.

CHORVS.

Quo terrarum ſuperûmque parens,
Cuius ad ortus noctis opacæ
Decus omne fugit, quo vertis iter,
Medioque diem perdis Olympo ?
Cur Phœbe tuos rapis aſpectus ?
Nondum ſeræ nuncius horæ
Nocturna vocat lumina veſper :
Nondum Heſperiæ flexura rotæ
Iubet emeritos ſolvere currus :
Nondum in noctem vergente die
Tertia miſit buccina ſignum :
Stupet ad ſubitæ tempora cœnæ
Nondum feſſis bubus arator :
Quid te ætherio pepulit curſu ?
Quæ cauſa tuos limite certo
Dejecit equos ? numquid aperto
Carcere Ditis victi tentant
Bella gigantes ? numquid Tityus
Pectore feſſo renovat veteres
Saucius iras ? num reiecto
Latus explicuit monte Typhoeus ?

Numquid ſtruitur via Phlegræos
Alta per hoſtes? & Theſſalicum
Threſſa premitur Pelion Oſſa?
Solitæ mundi periere vices:
Nihil Occaſus, nihil Ortus erit.
Stupet Eoos aſſueta deo
Tradere frenos, genitrix primæ
Roſcida lucis, perverſa ſui
Lumina regni. neſcit feſſos
Tingere currus, nec fumantes
Sudore iubas mergere ponto.
Ipſe inſueto novus hoſpitio
Sol auroram videt occiduus,
Tenebrasque iubet ſurgere, nondum
Nocte parata. non ſuccedunt
Aſtra, nec vllo micat igne polus.
Nec Luna graves digerit vmbras.
Sed quidquid id eſt, vtinam nox ſit.
Trepidant, trepidant pectora magno
Percuſſa metu, ne fatali
Cuncta ruina quaſſata labent,
Iterumque deos hominesque premat
Deforme chaos: iterum terras,
Et mare & ignes, & vaga picti
Sidera mundi Natura tegat.
Non æternæ facis exortu
Dux aſtrorum ſecula ducens
Dabit Æſtatis Brumæque notas.
Non Phœbeis obvia flammis
Demet nocti Luna timores,
Vincetque ſui fratris habenas,
Curvo brevius limite currens.

Ibit

Ibit in vnum congesta sinum
Turba deorum.
Hic, qui sacris pervius astris
Secat obliquo tramite zonas,
Flectens longos Signifer annos,
Lapsa videbit sidera labens.
Hic, qui nondum vere benigno
Reddit Zephyro vela tepenti,
Aries præceps ibit in vndas,
Per quas pavidam vexerat Hellen.
Hic, qui nitido Taurus cornu
Præfert Hyadas, secum Geminos
Trahet, & curvi brachia Cancri.
Leo flammiferis æstibus ardens
Iterum e cœlo cadet Herculeus.
Cadet in terras Virgo relictas;
Iustæque cadent pondera Libræ;
Secumque trahent Scorpion acrem.
Et, qui nervo tenet Æmonio
Pennata senex spicula Chiron,
Rupto perdet spicula nervo.
Pigram referens hiemem gelidus
Cadet Ægoceros, frangetque tuam,
Quisquis es, Vrnam. tecum excedent
Vltima cœli sidera Pisces.
Monstraque numquam persusa mari
Merget condens omnia Gurges.
Et qui medias dividit Vrsas,
Fluminis instar, lubricus Anguis:
Magnoque minor iuncta Draconi
Frigida duro Cynosura gelu:
Custosque sui tardus plaustri

Iam non ſtabilis ruet Arctophylax.
Nos è tanto viſi populo
Digni, premeret quos everſo
Cardine mundus.
In nos ætas vltima venit.
O nos dura ſorte creatos,
Seu perdidimus ſolem miſeri,
Sive expulimus! Abeant queſtus.
Diſcede timor. Vitæ eſt avidus,
Quisquis non vult, mundo ſecum
Pereunte, mori.

ACTVS QVINTVS.

ATREVS.

AEqualis aſtris gradior, & cunctos ſuper
Alium ſuperbo vertice attingens polum.
Nunc decora regni teneo, nunc ſolium patris.
Dimitto ſuperos: ſumma votorum attigi.
Bene eſt; abunde eſt; iam ſat eſt etiam mihi.
Sed cur ſatis ſit? pergam, & implebo patrem
Funere ſuorum: ne quid obſtaret pudor,
Dies receſſit. perge, dum cœlum vocat.
Vtinam quidem tenere fugientes deos
Poſſem, & coactos trahere, vt vltricem dapem
Omnes viderent! quod ſat eſt, videat pater.
Etiam die nolente diſcutiam tibi
Tenebras, miſeriæ ſub quibus latitant tuæ.
Nimis diu conviva ſecuro iaces
Hilarique vultu. iam ſatis menſis datum eſt,
Satiſque Baccho. ſobrio tanta ad mala
Opus eſt Thyeſte. turba famularis fores

Tem-

Templi relaxa; festa patefiat domus.
Libet videre, capita natorum intuens
Quos det colores, verba quæ primus dolor
Effundat, aut vt spiritu expulso stupens
Corpus rigescat. fructus hic operis mei est.
Miserum videre nolo, sed dum fit miser.
Aperta multa tecta collucent face.
Resupinus ipse purpura atque auro incubat,
Vino gravatum fulciens læva caput.
Eructat. ô me cœlitum excelsissimum,
Regumque regem! vota transcendi mea.
Satur est, capaci ducit argento merum.
Ne parce potu, restat etiamnum cruor
Tot hostiarum. veteris hunc Bacchi color
Abscondet. hoc hæc mensa claudatur scypho.
Mistum suorum sanguinem genitor bibat;
Meum bibisset. ecce iam cantus ciet,
Festasque voces, nec satis menti imperat.

THYESTES.

Pectora longis hebetata malis,
Iam sollicitas ponite curas.
Fugiat mœror, fugiatque pavor,
Fugiat trepidi comes exilij
Tristis egestas, rebusque gravis
Pudor afflictis. magis vnde cadas,
Quam quo, refert. magnum, ex alto
Culmine lapsum, stabilem in plano
Figere gressum: magnum, ingenti
Strage malorum pressum, fracti
Pondera regni non inflexa
Cervice pati; nec degenerem

Victum-

Victumque malis, rectum impositas
Ferre ruinas. sed iam sævi
Nubila fati pelle, ac miseri
Temporis omnes dimitte notas:
Redeant vultus ad læta boni.
Veterem ex animo mitte Thyesten.
Proprium hoc miseros sequitur vitium,
Numquam rebus credere lætis.
Redeat felix Fortuna licet,
Tamen afflictos gaudere piget.
Quid me revocas, festumque vetas
Celebrare diem? quid flere iubes
Nulla surgens dolor ex causa?
Quis me prohibet flore recenti
Vincire comam? prohibet, prohibet.
Vernæ capiti fluxere rosæ;
Pingui madidus crinis amomo
Inter subitos stetit horrores;
Imber vultu nolente cadit.
Venit in medias voces gemitus;
Mœror lachrimas amat assuetas.
Flendi miseris dira cupido est.
Libet infaustos mittere questus.
Libet & Tyrio saturas ostro
Rumpere vestes. vlulare libet.
Mittit luctus signa futuri
Mens, ante sui præsaga mali.
Instat nautis fera tempestas,
Cum sine vento tranquilla tument.
Quos tibi vultus, quosve tumultus
Fingis demens? credula præsta
Pectora fratri. iam quidquid id est,

Vel

Vel ſine cauſa, vel ſero times.
Nolo infelix; ſed vagus intro
Terror oberrat; ſubitos fundunt
Oculi fletus, nec cauſa ſubeſt.
Dolor, an metus eſt? an habet lachrimas
Magna voluptas?

ATREVS. THYESTES.

ATR. *Feſtum diem, germane, conſenſu pari*
Celebremus: hic eſt ſceptra qui firmet mea,
Solidamque pacis alliget certa fidem.
THY. *Satias dapis me, nec minus Bacchi tenet.*
Augere cumulus hic voluptatem poteſt,
Si cum meis gaudere felici datur.
ATR. *Heic eſſe natos crede in amplexu patris.*
Heic ſunt, eruntque; nulla pars prolis tuæ
Tibi ſubtrahetur: ora, quæ exoptas, dabo,
Totumque turba iam ſua implebo patrem.
Satiaberis, ne metue: nunc miſti meis,
Jucunda menſæ ſacra iuvenilis colant.
Sed accientur. poculum infuſo cape
Gentile Baccho. THY. *Capio fraternæ dapis*
Donum. paternis vina libentur deis,
Tunc hauriantur. Sed quid hoc? non vult manus
Parêre: creſcit pondus, & dextram gravat.
Admotus ipſis Bacchus a labris fugit,
Circaque rictus ore decepto effluit.
En, ipſa trepido menſa ſubſiluit ſolo.
Vix lucet ignis. ipſe quin æther gravis
Inter diem noctemque deſertus ſtupet.
Quid hoc? magis magisque concuſſi labant
Convexa cœli: ſpiſſior denſis coit

Caligo

Caligo tenebris, noxque se in noctem abdidit.
Fugit omne sidus. quidquid est, fratri, precor,
Gnatisque parcat; omnis in vile hoc caput
Abeat procella. redde iam gnatos mihi.
ATR. *Reddam, & tibi illos nullus eripiet dies.*
THY. *Quis hic tumultus viscera exagitat mea?*
Quid tremuit intus? sentio impatiens onus,
Meumque gemitu non meo pectus gemit.
Adeste nati, genitor infelix vocat:
Adeste; visis fugiet hic vobis dolor.
Unde obloquuntur? ATR. *Expedi amplexus pater.*
Venêre. gnatos ecquid agnoscis tuos?
THY. *Agnosco fratrem. sustines tantum nefas*
Gestare tellus? non ad infernam Styga
Te nosque mergis? rupta & ingenti via
Ad chaos inane regna cum rege abripis?
Non tota ab imo tecta convellens solo
Vertis Mycenas? stare circa Tantalum,
Avosque nostros, si quis intra Tartara est,
Vterque iam debuimus. hinc compagibus
Et hinc revulsis huc tuam immani sinu
Demitte vallem, nosque defossos tege
Acheronte toto: noxiæ supra caput
Animæ vagentur nostrum, & ardenti freto
Phlegethon arenas igneus tortas agens,
Exitia supra nostra violentus fluat.
Immota tellus pondus ignavum iaces?
ATR. *Recipe hosce citius: liberis tandem tuis*
Dim expetitis, nulla per fratrem est mora,
Fruere: osculare: divide amplexus tribus.
THY. *Hoc fœdus? hæc est gratia? hæc fratris fides?*
Sic odia ponis? non peto, incolumes pater

Gnatos

Gnatos vt habeam: ſcelere quod ſalvo dari
Odioque poſſit, frater hoc fratrem rogo;
Sepelire liceat. redde, quod cernas ſtatim
Vri. nihil te genitor habiturus rogo,
Sed perditurus. ATR. *Quidquid è gnatis tuis*
Supereſt, habebis: quodque non ſupereſt, habes.
THY. *Virumne ſævis pabulum alitibus iacent?*
An belluis ſervantur? an paſcunt feras?
ATR. *Epulatus ipſe es impia gnatos dape.*
THY. *Hoc eſt deos quod puduit! hoc egit diem*
Averſum in ortus! quas miſer voces dabo,
Queſtuſque quos? quæ verba ſufficient mihi?
Abſciſſa cerno capita, & avulſas manus,
Et rupta fractis cruribus veſtigia.
Hoc eſt, quod avidus capere non potuit pater.
Volvuntur intus viſcera, & clauſum nefas
Sine exitu luctatur, & quærit viam.
Da, frater, enſem. ſanguinis multum mei
Habet ille. ferro liberis demus viam.
Negatur enſis. pectora illiſo ſonent
Concuſſa planctu. ſuſtine, infelix, manum;
Parcamus vmbris. tale quis vidit nefas?
Quis inhoſpitalis Caucaſi rupem aſperam
Heniochus habitans? quiſve Cecropiis metus
Terris Procruſtes? genitor en gnatos premo,
Premorque gnatis. ſceleris eſt aliquis modus?
ATR. *Sceleri modus debetur, vbi facias ſcelus,*
Non vbi reponas. hoc quoque exiguum eſt mihi.
Ex vulnere ipſo ſanguinem calidum in tua
Diffundere ora debui; vt viventium
Biberes cruorem. verba ſunt iræ data;
Dum propero, ferro vulnera impreſſo dedi.

Cecidi

Cecidi ad aras, cæde votiva focos
Placavi: & artus, corpore exanimo amputans,
In parva carpsi frusta: & hæc ferventibus
Demersi ahenis. illa lentis ignibus
Stillare iussi. membra, nervosque abscidi
Viventibus: gracilique traiectas veru
Mugire fibras vidi, & aggessi manu
Mea ipse flammas. omnia hæc melius pater
Fecisse potuit. cecidit incassum dolor.
Scidit ore natos impio, sed nesciens,
Sed nescientes. THY. *Clusa littoribus vagis*
Audite maria. vos dei audite hoc scelus,
Quocumque diffugistis. audite Inferi.
Audite Terræ. Noxque Tartarea gravis
Et atra nube, vocibus nostris vaca.
Tibi sum relictus. sola tu miserum vides,
Tu quoque sine astris. vota non faciam improba,
Pro me nihil precabor. ecquid iam potest
Pro me esse? vobis vota prospicient mea.
Tu summe cœli rector, ætheriæ potens
Dominator aulæ, nubibus totum horridis
Convolve mundum, bella ventorum vndique
Committe; & omni parte violentum intona:
Manuque, non qua tecta & immeritas domos
Telo petis minore; sed qua montium
Tergemina moles cecidit, & qui montibus
Stabant pares gigantes; hac arma expedi,
Ignesque torque. vindica amissum diem.
Iaculare flammas; lumen ereptum polo
Fulminibus exple. causa, ne dubites diu,
Vtriusque mala sit: si minus; mala sit mea.
Me pete. trisulco flammeam telo facem

Per

Per pectus hoc transmitte. si gnatos pater
Humare, & igni tradere extremo volo,
Ego sum cremandus. si nihil superos movet,
Nullumque telis impios numen petit;
Æterna nox permaneat, & tenebris tegat
Immensa longis scelera. nil Titan queror,
Si perseveras. ATR. *Nunc meas laudo manus,*
Nunc parta vera est palma. perdideram scelus,
Nisi sic doleres. liberos nasci mihi
Nunc credo; castis nunc fidem reddi toris.
THY. *Quid liberi meruere?* ATR. *Quod fuerant tui.*
THY. *Gnatos parenti?* ATR. *Fateor; & quod me iuvat,*
Certos. THY. *Piorum præsides testor deos.* (lus?
ATR. *Quid coniugales?* THY. *Scelere quis pensat sce-*
ATR. *Scio quid queraris. scelere prærepto doles:*
Nec, quod nefandas hauseris, tangit, dapes:
Quod non pararis. fuerat hic animus tibi
Instruere similes insscio fratri cibos,
Et adiuvante liberos matre aggredi,
Similique leto sternere. hoc unum obstitit,
Tuos putasti. THY. *Vindices aderunt dei:*
His puniendum vota te tradunt mea.
ATR. *Te puniendum liberis trado tuis.*

FINIS.

L. ANNAEI SENECAE THEBAIS.

Dramatis Perſonæ.

OEDIPVS. ANTIGONE.
NVNCIVS. IOCASTA.
POLYNICES.

ACTVS PRIMVS.

OEDIPVS. ANTIGONE.

OED. COEci parentis regimen, ac feſſi vnicum
Patris levamen, gnata, quam tanti eſt mihi
Genuiſſe vel ſic; deſere infauſtum patrem.
In recta quid deflectis errantem gradum?
Permitte labi. melius inveniam viam
Quam quæro ſolus, quæ me ab hac vita extrahat,
Et hoc nefandi capitis aſpectu levet
Cœlum atque terras. quantulum hac egi manu?
Non video noxæ conſcium noſtræ diem:
Sed videor. hinc iam ſolve inhærentem manum,
Et patere cœcum, qua volet, ferri pedem.
Ibo, ibo, qua prærupta protendit iuga

Meu

Meus Cithæron; qua peragrato celer
Per saxa monte iacuit Actæon, suis
Nova præda canibus; qua per obscurum nemus,
Silvamque opacæ vallis instinctas deo
Egit sorores mater, & gaudens malo,
Vibrante thyrso prætulit fixum caput;
Vel qua cucurrit corpus invisum trahens
Zethi inventus, qua per horrentes rubos
Tauri ferocis sanguis ostentat fugas;
Vel qua alta maria vertice immenso premit,
Inoq; præceps qua scelus fugiens suum,
Novumque faciens, mater insiluit freto
Mersura gnatum, seque. felices, quibus
Fortuna melior tam bonas matres dedit!
Est alius istis noster in silvis locus,
Qui me reposcit; hunc petam cursu incito:
Non hæsitabit gressus, huc omni duce
Spoliatus ibo. quid moror sedes meas?
Montem Cithæron redde, & hospitium mihi:
Illud meum restitue, vt exspirem senex,
Vbi debui infans. recipe supplicium vetus
Semper-cruente, sæve, crudelis; ferox,
Cum occidis, & cum parcis. olim iam tuum
Est hoc cadaver. perage mandatum patris,
Iam & matris. animus gestit antiqua exequi
Supplicia. quid me, gnata, pestifero tenes
Amore vinctum? quid tenes? genitor vocat.
Sequor, sequor. iam parce. sanguineum gerens
Insigne regni Laïus rapti furit.
Et ecce inanes manibus infestis petit
Foditque vultus. gnata, genitorem vides?
Ego video. tandem spiritum inimicum exue.

Desertor anime, fortis in partem tui,
Omitte pœnas languidas longæ moræ,
Mortemque totam recipe. quid segnis trabo?
Quid vivo? nullum facere iam possum scelus.
Possum miser. prædico, discede à patre;
Discede, virgo. timeo post matrem omnia.
ANT. *Vis nulla, genitor, à tuo nostram manum*
Corpore resolvet. nemo me comitem tibi
Eripiet vmquam. Labdaci claram domum,
Opulenta ferro regna germani petant;
Pars summa patris optimi è regno mea est
Pater ipse. non hunc auferet frater mihi,
Thebana rapto sceptra qui regno tenet;
Non hunc catervas alter Argolicas agens.
Non si revulso Iuppiter mundo tonet,
Mediumque nostros fulmen in nexus cadat,
Manum hanc remittam. prohibeas, genitor, licet;
Regam abnuentem, dirigam invitum gradum.
In plana tendis? vado. prærupta expetis?
Non obsto, sed præcedo. quo vis vtere
Duce me: duobus omnis eligitur via.
Perire sine me non potes; mecum potes.
Heic alta rupes arduo surgit iugo,
Spectatque longe spatia subiecti maris.
Vis hanc petamus? nudus heic pendet silex;
Heic scissa tellus faucibus ruptis hiat.
Vis hanc petamus? heic rapax torrens cadit,
Parteſque lapsi montis exesas rotat.
In hunc ruamus, dum prior, quo vis, eo;
Non deprecor, non hortor. extingui cupis,
Votumque, genitor, maximum mors est tibi?
Si moreris, antecedo: si vivis, sequor.

Sed

Sed flecte mentem; pectus antiquum advoca;
Victasque magno pectore ærumnas doma.
Resiste. tantis in malis vinci malum est.
OED. Vnde in nefanda specimen egregium domo?
Vnde ista generi virgo dissimilis suo?
Fortuna, credis? aliquis est ex me pius?
Non esset vnquam (fata bene novi mea)
Nisi vt noceret. ipsa se in leges novas
Natura vertet; regeret in fontem citas
Revolutus vndas amnis; & noctem afferet
Phœbea lampas; Hesperus faciet diem.
Vt ad miserias aliquid accedat meas;
Pii quoque erimus. vnica OEdipodæ est salus;
Non esse salvum. liceat vlcisci patrem
Adhuc inultum. dextra quid cessas iners
Exigere pœnas? quidquid exactum est adhuc,
Matri dedisti. mitte genitoris manum,
Animosa virgo. funus extendis meum,
Longasque vivi ducis exequias patris.
Aliquando terra corpus invisum tege.
Peccas honesta mente. pietatem vocas,
Patrem insepultum trahere. qui cogit mori
Nolentem, in æquo est, quique properantem impedit.
Occidere est, vetare cupientem mori.
Nec tamen in æquo est. alterum gravius reor.
Malo imperari, quam eripi mortem mihi.
Desiste cœpto, virgo. ius vitæ ac necis
Meæ penes me est. regna deserui libens,
Regnum mei retineo. si fida es comes,
Ensem parenti trade; sed notum nece
Ensem paterna. tradis? an gnati tenent
Cum regno & illum? faciet, vbicumque est, scelus.

Ibi ſit. relinquo. gnatus hunc habeat meus,
Sed vterque. flammas potius & vaſtum aggerem
Compone. in altos ipſe me immittam rogos.
Erectam ad ignes funebrem adſcendam ſtruem,
Pectuſque ſolvam durum, & in cineres dabo
Hoc quidquid in me vivit. vbi ſævum eſt mare?
Duc, vbi ſit altis prærutum ſaxis iugum,
Vbi torta rapidus ducat Iſmenos vada:
Duc, vbi feræ ſint, vbi fretum, vbi præceps locus,
Si dux es. illuc ire morituro placet,
Vbi ſedit alta rupe ſemifero dolos
Sphinx ore nectens. dirige huc greſſus pedum,
Heic ſiſte patrem. dira ne ſedes vacet,
Monſtrum repone maius. hoc ſaxum inſidens
Obſcura noſtræ verba fortunæ loquar,
Quæ nemo ſolvat. quiſquis Aſſyrio loca
Poſſeſſa regi ſcindis, [& Cadmi nemus
Serpente notum, ſacra quo Dirce latet
Supplex ad aras quiſquis Euroten bibis;
Spartenque fratre nobilem gemino colis;
Quicumque Elim, Parnaſon,] & Bœotios
Colonus agros vberis tondes ſoli;
Adverte mentem: ſæva Thebarum lues
Luctifica cœcis verba committens modis,
Quid ſimile poſuit? quid tam inextricabile?
Avi gener, patriſque rivalis ſui,
Frater ſuorum liberûm, & fratrum parens;
Vno avia partu liberos peperit viro,
Ac ſibi nepotes. monſtra quis tanta explicet?
Ego ipſe, victæ ſpolia qui Sphingis tuli,
Hærebo, fati tardus interpres mei.
Quid perdis vltra verba? quid pectus ferum

Mollire

Mollire tentas precibus? hoc animo ſedet,
Effundere hanc cum morte luctantem diu
Animam, & tenebras petere. nam ſceleri hæc meo
Parum alta nox eſt. Tartaro condi iuvat,
Et ſi quid vltra Tartarum eſt. tandem libet,
Quod olim oportet. morte prohiberi haud queo.
Ferrum negabis? noxias lapſo vias
Cludes? & arctis colla laqueis inſeri
Prohibebis? herbas, quæ ferunt letum, auferes?
Quid iſta tandem cura proficiet tua?
Vbique mors eſt. optime hoc cavit Deus.
Eripere vitam nemo non homini poteſt;
At nemo mortem: mille ad hanc aditus patent.
Nil quæro. dextra noſter & nuda ſolet
Bene animus vti. dextra nunc toto impetu,
Toto dolore, viribus totis veni.
Non deſtino vnum vulneri noſtro locum.
Totus nocens ſum. qua voles, mortem exige.
Effringe corpus. corque tot ſcelerum capax
Evelle. totos viſcerum nuda ſinus.
Fractum incitatis ictibus guttur ſonet;
Laceræve fixis vnguibus venæ fluant.
Aut dirige iras, quo ſoles. hæc vulnera
Reſciſſa multo ſanguine ac tabe irriga.
Hac extrahe animam, duram, inexpugnabilem.
Et tu, parens, vbicumque pœnarum arbiter
Adſtas mearum (non ego hoc tantum ſcelus
Vlla expiari credidi pœna ſatis
Vmquam, nec iſta morte contentus fui,
Nec me redemi parte: membratim tibi
Volui perire) debitum tandem exige:
Nunc ſolvo pœnas; tunc tibi inferias dedi:

Ades, atque inertem dexteram introrsus preme,
Magisque merge. timida tum parvo caput
Libavit haustu, vixque cupientes sequi
Eduxit oculos. hæret etiam nunc mihi
Ille animus, hæret; cum recusantem manum
Pressere vultus. audias verum, OEdipe:
Minus eruisti lumina audacter tua,
Quam præstitisti. nunc manum cerebro indue.
Hac parte mortem perage, qua cœpsti mori.
ANT. *Pauca, ô parens magnanime, miserandæ precor*
Vt verba gnatæ mente placata audias.
Non te vt reducam veteris ad specimen domus,
Habitumque regni flore pollentem inclyto,
Peto; ast vt iras tempore aut ipsa mora
Fractas remisso pectore ac placido feras.
Et hoc decebat roboris tanti virum,
Non esse sub dolore, nec victum malis
Dare terga. non est, vt putas, virtus, pater,
Timere vitam, sed malis ingentibus
Obstare, nec se vertere, ac retro dare.
Qui fata proculcavit, ac vitæ bona
Projecit, atque abcidit, & casus suos
Oneravit; ipsi, ceu deo, nullo est opus,
Quare ipse mortem cupiat, aut quare petat.
Vtrumque timidi est velle. contempsit mori,
Qui non cupiscit. cuius haud vltra mala
Exire possunt, in loco tuto est situs.
Quis iam deorum (velle fac) quidquam potest
Malis tuis adiicere? iam nec tu potes,
Nisi hoc, vt esse te putes dignum nece.
Non es; nec vlla pectus hoc culpa attigit.
Et hoc magis te, genitor, insontem voca,

Quòd

Quod innocens es, dijs quoque invitis. quid eſt
Quod te efferarit; quod novos ſuffixerit
Stimulos dolori? quid te ad infernas agit
Sedes? quid ex his pellit? vt careas die?
Cares. vt altis nobilem muris domum,
Patriamque fugias? patria tibi vivo perijt.
Gnatos fugis, matremque? ab aſpectu omnium
Fortuna te ſummovit: & quidquid poteſt
Auferre cuiquam mors, tibi hoc vita abſtulit.
Regni tumultus, turba fortunæ prior
Abſceſſit ante iuſta. quem, genitor, fugis?
OED. *Me fugio; fugio conſcium ſcelerum omnium*
Pectus, manumque hanc fugio, & hoc cœlum, & deos:
Et dira fugio ſcelera, quæ feci. nocens
Ego hoc ſolum, frugifera quo ſurgit Ceres,
Premo? has ego auras ore peſtifero traho?
Ego laticis hauſtu ſatior? aut vllo fruor
Almæ parentis munere? ego caſtam manum
Nefandus, inceſtificus, execrabilis
Attrecto? ego vllos aure concipio ſonos,
Per quos parentis nomen, aut gnati audiam?
Vtinam quidem reſcindere has quirem vias,
Manibuſque adactis omne, quo voces meant,
Aditusque verbis tramite anguſto patet,
Eruere poßem, gnata: iam ſenſum tui,
Quæ pars meorum es criminum, infelix pater
Fugiſſem. inhæret ac recrudeſcit nefas
Subinde; & aures ingerunt quidquid mihi
Negaſtis oculi. cur caput tenebris grave
Non mitto ad vmbras Ditis æternas? quid heic
Manes meos detineo? quid terram gravo?
Miſtusque ſuperis erro? quid reſtat mali?

Regnum

Regnum, parentes, liberi, virtus quoque,
Et ingenij ſolertis eximium decus
Periere. cuncta ſors mihi infeſta abſtulit.
Lachrimæ ſupererant. has quoque eripui mihi.
Abſiſte. nullas animus admittit preces,
Novamque pœnam ſceleribus quærit parem.
Et eſſe par quæ poterit? infanti quoque
Decreta mors eſt. fata quis tam triſtia
Sortitus vmquam? videram nondum diem,
Uterique nondum ſolveram cluſi moras;
Et iam timebar. protinus quoſdam editos
Nox occupavit, & novæ luci abſtulit.
Mors me anteceſſit. aliquis intra viſcera
Materna letum præcocis fati tulit:
Sed numquid & peccavit? abſtruſum, abditum,
Dubiumque an eſſem, ſceleris infandi reum
Deus egit. illo teſte damnavit parens,
Calidoque teneros tranſtudit ferro pedes,
Et in alta nemora pabulum miſit feris,
Avibus & avidis, quas Citharon noxius
Cruore ſæpe regio attractas alit.
Sed quem deus damnavit, abiecit pater,
Mors quoque refugit. præſtiti Delphis fidem.
Genitorem adortus impia ſtravi nece.
Hoc alia pietas redimet? occidi partem,
Sed matrem amavi. proloqui hymenæum pudet,
Tedaſque noſtras. has quoque invitum pati
Te coge pœnas. facinus ignotum, efferum,
Inuſitatum effare, quod populi horreant,
Quod eſſe factum nulla non ætas neget,
Quod patricidam pudeat. in patrios toros
Tuli paterno ſanguine aſperſas manus.

Sceleriſ-

Sceleriſque pretium maius accepi ſcelus.
Leve eſt paternum facinus. in thalamos meos
Deducta mater, ne parum ſcelerum foret,
Fecunda. nullum crimen hoc maius poteſt
Natura ferre, ſi quod etiamnum eſt tamen;
Qui facere poſſent, dedimus. abieci necis
Pretium paternæ ſceptrum, & hoc iterum manus
Armavit alias. optime regni mei
Fatum ipſe novi: nemo ſine ſacro feret
Illud cruore. magna præſagit mala
Paternus animus. jacta iam ſunt ſeminæ
Cladis futuræ. ſpernitur pacti fides.
Hic occupato cedere imperio negat:
Ius ille, & icti fœderis teſtes deos
Invocat, & Argos exul atque vrbes movet
Graias in arma. non levis feſſis venit
Ruina Thebis. tela, flammæ, vulnera
Inſtant, & iſtis ſi quod eſt maius malum;
Vt eſſe genitos nemo non ex me ſciat.
ANT. *Si nulla, genitor, cauſa videndi tibi eſt,*
Hæc vna abunde eſt, vt pater gnatos regas
Graviter furentes. tu impij belli minas
Avertere vnus, tuque vecordes potes
Inhibere iuvenes, civibus pacem dare,
Patriæ quietem, fœderi læſo fidem.
Vitam tibi ipſe ſi negas, multis negas.
OED. *Illis parentis vllus aut æqui eſt amor,*
Avidis cruoris, imperij, armorum, doli,
Diris, ſceleſtis; breviter vt dicam, meis?
Certant in omne facinus, & penſi nihil
Ducunt, vbi illos ira præcipites agat:
Nefaſque nullum, per nefas nati, putant.

Non

Non patris illos tangit afflicti pudor,
Non patria, regno pectus attonitum furit.
Scio quo ferantur, quanta moliri parent:
Ideoque leti quæro maturi viam,
Morique propero, dum in domo nemo est mea
Nocentior me, gnata, quid genubus meis
Fles advoluta? quid prece indomitum domas?
Vnum hoc habet fortuna, quo possim capi,
Invictus aliis. sola tu affectus potes
Mollire duros, sola pietatem in domo
Docere nostra. nil grave aut miserum est mihi;
Quod te sciam voluisse. tu tantum impera.
Hic OEdipus Ægæa tranabit freta,
Iubente te; flammasque, quas Siculo vomit
De monte tellus igneos volvens globos,
Excipiet ore; seque serpenti offeret,
Quæ sæva furto nemoris Herculeo furit;
Iubente te præbebit alitibus iecur,
Iubente vivet. ———

ACTVS SECVNDVS.

NVNCIVS. OEDIPVS. ANTIGONE.

——— NVN. *Regia stirpe edite:*
Thebæ paventes arma fraterna invocant,
Rogantque tectis arceas patriis faces.
Non sunt minæ. iam propius accessit malum.
Nam regna repetens frater & pactas vices
In bella cunctos Græciæ populos agit;
Septena muros castra Thebanos premunt.
Succurre; prohibe pariter & bellum & nefas.
OED. *Ego ille sum, qui scelera committi vetem,*

Et

Et abſtinere ſanguine à caro manus
Doceam? magiſter iuris & amoris pij
Ego ſum? meorum facinorum exempla appetunt.
Me nunc ſequuntur. laudo, & agnoſco libens.
Exhortor, aliquid vt patre hoc dignum gerant.
Agite ô propago clara, generoſam indolem
Probate factis; gloriam ac laudes meas
Superate: & aliquid facite, propter quod patrem
Adhuc iuvet vixiſſe. facietis, ſcio.
Sic eſtis orti. ſcelere defungi haud levi,
Haud vſitato, tanta nobilitas poteſt.
Ferte arma. facibus petite penetrales deos,
Frugemque flamma metite natalis ſoli.
Miſcete cuncta. rapite in exitium omnia.
Dejicite paſſim mœnia, in planum date.
Templis deos obruite, maculatos lares
Conflate. ab imo tota conſidat domus.
Urbs concremetur. primus à thalamis meis
Incipiat ignis. ANT. *Mitte violentum impetum*
Doloris, ac te publica exorent mala,
Auctorque placidæ liberis pacis veni.
OED. *Vides modeſtæ deditum menti ſenem?*
Placidæque amantem pacis ad partes vocas?
Tumet animus ira, fervet immenſum dolor,
Maiuſque, quam quod caſus & iuvenum furor
Conatur, aliquid cupio. non ſatis eſt adhuc
Civile bellum. frater in fratrem ruat.
Nec hoc ſat eſt. quod debet, vt fiat nefas
De more noſtro, quod meos deceat toros;
Date arma patri. nemo me ex his eruat
Silvis: latebo rupis exeſæ cavo,
Aut ſepe denſa corpus abſtruſum tegam.

Hinc

Hinc aucupabor verba rumoris vagi,
Et ſæva fratrum bella, quod poſſum, audiam.

* * * *

ACTVS TERTIVS.

* ἀκέφαλος *

IOCASTA. ANTIGONE. NVNCIVS.

IOC. *Felix Agaue, facinus horrendum, manu*
Qua fecerat, geſtavit; & ſpolium tulit
Cruenta nati Mænas in partes dati.
Fecit ſcelus, ſed miſera non vltra ſuum
Scelus hoc cucurrit. hoc leve eſt, quod ſum nocens;
Feci nocentes. hoc quoque etiamnum leve eſt;
Peperi nocentes. deerat ærumnis meis,
Vt & hoſtem amarem. Bruma ter poſuit nives,
Et tertia iam falce decubuit Ceres,
Vt exul errat gnatus, & patria caret,
Profuguſque regum auxilia Graiorum rogat.
Gener eſt Adraſti, cuius imperio mare,
Quod cingit Iſthmon, regitur. hic gentes ſuas,
Septemque ſecum regna ad auxilium trahit
Generi. quid optem, quidve decernam, haud ſcio.
Regnum repoſcit. cauſa repetentis bona eſt;
Mala, ſic petentis. vota qua faciam parens?
Vtrumque natum video. nil poſſum pie
Pietate ſalva facere. quodcumque alteri
Optabo nato, fiet alterius malo.
Sed vtrumque quamvis diligam affectu pari;
Quo cauſa melior, ſorsque deterior trahit,

Incli-

Inclinat animus, ſemper infirmo favens.
Miſeros magis fortuna conciliat ſuis.
NVN. *Regina, dum tu flebiles queſtus cies,*
Terisque tempus, tota nudatis ſtetit
Acies in armis. æra iam bellum cient,
Aquilaque pugnam ſignifer mota vacat.
Septena reges bella diſpoſiti parant.
Animo pari Cadmea progenies ſubit.
Curſu citato miles hinc illinc ruit.
Vide, vt atra nubes pulvere abſcondat diem,
Fumoque ſimiles campus in cœlum erigat.
Nebulas, equeſtri fracta quas tellus pede
Submittit: &, ſi verametuentes vident,
Infeſta fulgent ſigna: ſubrectis adeſt
Frons prima telis: aurea clarum nota
Nomen ducum vexilla præſcriptum ferunt.
I, redde amorem fratribus, pacem omnibus;
Et impia arma matris oppoſitu impedi.
ANT. *Perge, ô parens, & concita celerem gradum;*
Compeſce tela, fratribus ferrum excute.
Nudum inter enſes pectus infeſtos tene.
Aut ſolve bellum, mater, aut prima excipe.
IOC. *Ibo, ibo, & armis obvium opponam caput.*
Stabo inter arma. petere qui fratrem volet,
Petat ante matrem. tela, qui fuerit pius,
Rogante ponat matre: qui non eſt pius,
Incipiat à me. fervidos iuvenes anus
Tenebo. nullum teſte me fiet nefas.
Aut ſi quod & me teſte committi poteſt,
Non fiet vnum. ANT. *Signa collatis micant*
Vicina ſignis: clamor hoſtilis fremit:
Scelus in propinquo eſt: occupa, mater, preces.

Et ecce motos fletibus credas meis ;
Sic agmen armis ſegne compoſitis venit.
Procedit acies tarda, ſed properant duces.
IOC. *Quis me procellæ turbine inſanæ vehens*
Volucer per auras ventus ætherias aget ?
Quæ Sphinx, vel atra nube ſubtexens diem
Stymphalis, avidis præpetem pennis feret ?
Aut quæ per altas aëris rapiet vias
Harpyia, ſævi regis obſervans famem,
Et inter acies projiciet raptam duas ?
NVN. *Vadit furenti ſimilis, aut etiam furit,*
Sagitta qualis Parthica velox manu
Excuſſa fertur; qualis inſano ratis
Premente vento rapitur ; aut qualis cadit
Delapſa cœlo ſtella, cum ſtringens polum
Rectam citatis ignibus rumpit viam ;
Attonita curſu fugit, & binas ſtatim
Diduxit acies. victa materna prece
Hæſere bella, iamque in alternam necem
Illinc & hinc miſcere cupientes manum,
Vibrata dextra tela ſuſpenſa tenent.
Paci favetur. omnium ferrum latet
Ceſſatque. telum vibrat in fratrum manu.
Laniata canas mater oſtendit comas ;
Rogat abnuentes : irrigat fletu genas.
Negare matri, qui diu dubitat, poteſt.

ACTVS QVARTVS.

IOCASTA. POLYNICES.

In me arma & ignes vertite. in me omnis ruat
Vnam inventus ; quæque ab Inachio venit

Anim-

Animosa muro; quæque Thebana ferox
Descendit arce. civis atque hostis simul
Hunc petite ventrem, qui dedit fratres viro.
Mea membra passim spargite, ac divellite:
Ego utrumque peperi. ponitis ferrum ocius
Ac dico, & ex æquo mihi dextras datis?
Date, dum piæ sunt. error invitos adhuc
Fecit nocentes. omne Fortunæ fuit
Peccantis in nos crimen. hoc primum nefas
Inter scientes geritur. in vestra manu est,
Vtrum velitis. sancta si pietas placet,
Donate matrem pace. si placuit scelus,
Maius paratum est. media se opponit parens.
Proinde bellum tollite, aut belli moram.
Sollicita cui nunc mater alterna prece
Verba admovebo? misera quem amplectar prius?
In utramque partem ducor affectu pari.
Hic abfuit. sed pacta si fratrum valent,
Nunc alter aberit. ergo iam numquam duos,
Nisi sic, videbo? iunge complexus prior
Tu, tot labores totque perpessus mala,
Longo parentem fessus exilio vides.
Accede propius. clude vagina impium
Ensem; & trementem iamque cupientem excuti
Hastam solo defige. maternum tuo
Coire pectus pectori clypeus vetat.
Hunc quoque repone. vinculo frontem exue,
Tegimenque capitis triste belligeri leva,
Et ora matri redde. quo vultus refers,
Acieque pavida fratris observas manum?
Affusa totum corpus amplexu tegam.
Tuo cruori per meum fiet via.

Quid dubius hæres? an times matris fidem?
POL. *Timeo: nihil iam iura naturæ valent.*
Post ista fratrum exempla, ne matri quidem
Fides habenda est. IOC. *Redde iam capulo manum,*
Adstringe galeam, læva se clypeo ingerat;
Dum frater exarmatur, armatus mane:
Tu pone ferrum, causa qui es ferri prior.
Si pacis odium est, furere si bello placet,
Inducias te mater exiguas rogat,
Ferat vt reverso post fugam nato oscula
Vel prima, vel suprema. dum pacem peto,
Audite inermes: ille te, tu illum times;
Ego vtrumque, sed pro vtroque. quid strictum abnuis
Recondere ensem? qualibet gaude mora.
Id gerere bellum cupitis, in quo est optimum
Vinci. vereris fratris infesti dolos?
Quoties necesse est fallere, aut falli à suis,
Patiare potius ipse, quam facias, scelus.
Sed ne verere: mater insidias & hinc
Et rursus illinc abiget. exoro, an patri
Invideo vestro? veni, vt arcerem nefas,
An vt viderem propius? hic ferrum abdidit
Reclinis hastæ, & arma defixa incubant.
Ad te preces nunc, nate, maternas feram,
Sed ante lachrimas. teneo longo tempore
Petita votis ora. te, profugum solo
Patrio, penates regis externi tegunt:
Te maria tot diversa, tot casus vagum
Egere: non te duxit in thalamos parens
Comitata primos, nec sua festas manu
Ornavit ædes, nec sua lætas faces
Vitta revinxit. dona non auri & graves

Gazas

Gazas ſocer, non arva, non vrbeis dedit.
Dotale bellum eſt. hoſtium es factus gener,
Patria remotus, hoſpes alieni laris,
Externa conſecutus, expulſus tuis,
Sine crimine exul. ne quid è fatis tibi
Deeſſet paternis, hoc quoque ex illis habes,
Erraße thalamis. nate, poſt multos mihi
Remiße ſoles; nate, ſollicitæ metus
Et ſpes parentis; cuius aſpectum deos
Semper rogavi; cum tuus reditus mihi
Tantum eſſet erepturus adventu tuo,
Quantum daturus; quando pro te deſinam,
Dixi, timere? dixit irridens Deus,
Ipſum timebis. nempe, niſi bellum foret,
Ego te carerem: nempe, ſi tu non fores,
Bello carerem. triſte conſpectus datur
Pretium tui, durumque: ſed matri placet.
Hinc modò recedant arma, dum nullum nefas
Mars ſævus audet. hoc quoque eſt magnum nefas;
Tam prope fuiße. ſtupeo, & exſanguis tremo,
Cum ſtare fratreis hinc & hinc video duos
Sceleris ſub ictu. membra quaſſantur metu.
Quam penè mater maius adſpexi nefas,
Quam quod miſer videre non potuit pater!
Licet timore facinoris tanti vacem,
Videamque iam nil tale, ſum infelix tamen,
Quod pene vidi. per decem menſum graves
Uteri labores, perque pietate inclytas
Precor ſorores, & per irati ſibi
Genas parentis; ſcelere quas nullo nocens,
Erroris à ſe dira ſupplicia exigens,
Hauſit; nefandas mœnibus patrijs faces

Averte: ſigna bellici retro agminis
Flecte, vt recedas, magna pars ſceleris tamen
Veſtri peracta eſt. vidit hoſtili grege
Campos repleri patria, fulgentes procul
Armis catervas: vidit equitatu levi
Cadmea frangi prata, & excelſos rotis
Volitare proceres; igne flagrantes trabes
Fumare, cineri quæ petunt noſtras domos;
Fratreſque (facinus quod novum & Thebis fuit)
In ſe ruentes. totus hoc exercitus,
Et populus omnis, & vtraque hoc vidit ſoror,
Genitrixque vidit: nam pater debet ſibi,
Quod iſta non ſpectavit. occurrat tibi
Nunc OEdipus: quo iudice, erroris quoque
Pœnæ petuntur. ne, precor, ferro erue
Patriam, ac penates; neve, quas regere expetis,
Everte Thebas. quis tenet mentem furor?
Patriam petendo perdis. vt fiat tua,
Vis eſſe nullam? quin tuæ cauſæ nocet
Ipſum hoc, quod armis vertis infeſtis ſolum,
Segeteſque aduſtas ſternis, & totos fugam
Edis per agros. nemo ſic vaſtat ſua.
Quæ corripi igne, quæ meti gladio iubes,
Aliena credis. rex ſit è vobis vter,
Manente regno, quærite. hæc telis petes
Flammiſque tecta? poteris has Amphionis
Quaſſare moles? nulla quas ſtruxit manus,
Stridente tardum machina ducens onus;
Sed convocatus vocis & citharæ ſono
Per ſe ipſe turres venit in ſummas lapis.
Hæc ſaxa franges victor? hinc ſpolia auferes,
Victoſque duces patris æqualis tui?

Matres

Matres ab ipso coniugum raptas sinu
Sævus catena miles imposita trahet?
Vt adulta virgo mixta captivo gregi
Thebana nuribus munus Argolicis eat?
An & ipsa palmas vincta post tergum datas
Mater triumphi præda fraterni vehar?
Potesne cives lætus exitio datos
Videre passim? mœnibus caris potes
Hostem admovere? sanguine & flamma potes
Implere Thebas? tam ferum & durum geris
Sævumque in iras pectus, & nondum imperas?
Quid sceptra facient? pone vesanos, precor,
Animi tumores, teque pietati refer.
POL. *Vt profugus errem semper? vt patria arcear,*
Opemque gentis hospes externæ sequar?
Quid paterer aliud, si fefellissem fidem,
Si peieraßem? fraudis alienæ dabo
Pœnas; at ille præmium scelerum feret?
Iubes abire, matris imperio obsequor.
Da, quo revertar. regia frater mea
Habitet superbus; parva me abscondat casa?
Hanc da repulso. liceat exiguo lare
Pensare regnum. coniugi donum datus
Arbitria thalamis dura felicis feram,
Humilisque socerum lixa dominantem sequar?
In servitutem cadere de regno, grave est.
IOC. *Si regna quæris, nec potest sceptro manus*
Vacare sævo; multa, quæ possunt peti
In orbe toto, quælibet tellus dabit.
Hinc nota Baccho Tmolus attollit iuga,
Qua lata terris spatia frugiferis iacent,
Et qua trahens opulenta Pactolus vada

Inundat auro rura. nec lætis minus
Mæandros arvis flectit errantes aquas,
Rapiduſque campos fertiles Hebrus ſecat.
Hinc grata Cereri Gargara, & dives ſolum
Quod Xanthus ambit nivibus Idæis tumens:
Hinc, qua relinquit nomen Ionij maris,
Fauces Abydi Seſtos oppoſitæ premit:
Aut, qua latus iam proprior Orienti dedit,
Tutamque crebris portubus Lyciam videt:
Hæc regna ferro quære. in hos populos ferat
Socer arma fortis: has paret ſceptro tuo
Tradatque gentes. hoc adhuc regnum puta
Tenere patrem. melius exilium eſt tibi,
Quam reditus iſte. crimine alieno exulas,
Tuo redibis. melius vſus viribus,
Nova regna nullo ſcelere maculata appetes.
Quin ipſe frater, arma comitatus tua,
Tibi militabit. vade, & id bellum gere,
In quo pater materque pugnanti tibi
Favere poſſint. regna cum ſcelere, omnibus
Sunt exiliis graviora. nunc belli mala
Propone; dubias Martis incerti vices.
Licet omne tecum Græciæ robur trahas;
Licet arma longe miles ac late explicet;
Fortuna belli ſemper ancipiti in loco eſt,
Quodcunque Mars decernit. exæquat duos,
Licet impares ſint, gladius: & ſpes & metus
Sors cœca verſat. præmium incertum petis,
Certum ſcelus. Faviſſe fac votis deos
Omnes tuis: ceſſere, & averſi fugam
Petiere. cives clade funeſta iacent.
Obtexit agros miles. Exultes licet,

Victorque fratris spolia deiecti geras;
Frangenda palma est. Quale tu id bellum putas,
In quo exsecrandum victor admitit nefas,
Si gaudet? hunc, quem vincere infelix cupis,
Cum viceris, lugebis. infaustas, age,
Dimitte pugnas. libera patriam metu,
Luctu parentes. POL. *Sceleris & fraudis suæ*
Pœnas nefandus frater vt nullas ferat?
IOC. *Ne metue; pœnas & quidem solvet graves.*
Regnabit. POL. *Hæcne est pœna?* IOC. *Si dubitas, avo*
Patrique crede. Cadmus hoc dicet tibi,
Cadmique proles. sceptra Thebarum fuit
Impune nulli gerere; nec quisquam fide
Ruptâ tenebat illa. iam numeres, licet,
Fratrem inter istos. POL. *Numero: & est tanti mihi*
Cum regibus iacere. IOC. *Te turbæ exulum*
Adscribo. regna, dummodo invisus tuis.
POL. *Regnare non vult, esse qui invisus timet.*
Simul ista mundi conditor posuit Deus,
Odium atque regnum. regis, & magni, reor,
Odia ista premere. multa dominantem vetat
Amor suorum. plus in iratos licet.
Qui vult amari, languida regnet manu.
Invisa numquam imperia retinentur diu.
IOC. *Præcepta melius imperii reges dabunt;*
Exilia tu dispone. POL. *Pro regno velim*
Patriam, penates, coniugem flammis dare.
Imperia pretio quolibet, constant bene.

* * * * *

FINIS

deest, &

magna pars huius Tragœdiæ intercidit.

L. ANNAEI SENECAE HIPPOLYTVS.

Dramatis Perſonæ.

HIPPOLYTVS. PHAEDRA. THESEVS.
CHORVS CIVIVM ATHENIENSIVM.
NVNCIVS. NVTRIX. FAMVLI.

ACTVS PRIMVS.

HIPPOLYTVS.

ITE, vmbroſas cingite ſilvas,
Summaque montis iuga Cecropij;
Celeri planta luſtrate vagi
Quæ ſaxoſo loca Parnetho
Subiecta iacent; quæ Thriaſiis
Vallibus amnis rapida currens
Verberat vnda; ſcandite colles
Semper canos nive Riphæa.
Hac hac alij, qua nemus alta
Texitur alno; qua prata iacent,
Quæ rorifera mulcens aura
Zephyrus vernas evocat herbas;
[Vbi per glacies lenis Iliſſus]

Vbi Mæander ſuper æquales*
Labitur agros piger, & ſteriles
Amne maligno radit arenas.
Vos, qua Marathon tramite lævo
Saltus aperit, qua comitatæ
Gregibus parvis nocturna petunt
Pabula fetæ. vos, qua tepidis
Subditus Auſtris, frigora mollit
Durus Acharnan, alius rupem
Dulcis Hymetti: parvas alius
Calcet Aphidnas. pars illa diu
Vacat immunis, qua curvati
Littora ponti Sunion vrget.
Si quem tangit gloria ſilvæ,
Vocat hunc Philipis. hic verſatur*
Metus agricolis, vulnere multo
Iam notus aper. At vos laxas
Canibus tacitis mittite habenas:
Teneant acres lora Moloſſos.
Et pugnaces tendant Creſſæ
Fortia trito vincula collo.
At Spartanos (genus eſt audax
Avidumque feræ) nodo cautus
Propiore liga. veniet tempus,
Cum latratu cava ſaxa ſonent:
Nunc demiſſi nare ſagaci
Captent auras, luſtraque preſſo
Quærant roſtro: dum lux dubia eſt;
Dum ſigna pedum roſcida tellus
Impreſſa tenet; alius raras
Cervice gravi portare plagas,
Alius teretes properet laqueos.

* Ms. Melanes.

Picta rubenti linea pinna
Vano cludat terrore feras.
Tibi libretur missile telum.
Tu grave dextra lævaque simul
Robur lato dirige ferro.
Tu præcipites clamore feras
Subsessor ages: tu iam victor
Curvo solves viscera cultro.
Ades en comiti Diva virago,
Cuius regno pars terrarum
Secreta vacat: cuius certis
Petitur telis fera, quæ gelidum
Potat Araxen, & quæ stanti
Ludit in Istro: tua Getulos
Dextra leones, tua Cretæas
Sequitur servas: nunc veloces
Figis damas leviore manu.
Tibi dant variæ pectora tigres,
Tibi villosi terga bisontes,
Latisque feri cornibus uri.
Quidquid solis pascitur arvis,
Sive illud inops novit Garamas,
Sive illud Arabs divite silva,
Sive ferocis iuga Pyrenes,
Sive Hyrcani celant saltus,
Vacuisque vagus Sarmata campis,
Arcus metuit, Diana, tuos.
Tua si gratus numina cultor
Tulit in saltus; retia vinctas
Tenuere feras; nulli laqueum
Rupere pedes; fertur plaustro
Præda gementi. tum rostra canes

Sanguine multo rubicunda gerunt;
Repetitque casas rustica longo
Turba triumpho.
En, Diva favet. signum arguti
Misere canes. vocor in silvas.
Hac, hac pergam, qua via longum
Compensat iter.

PHÆDRA. NVTRIX.

PHÆ. *O magna vasti Creta dominatrix freti,*
Cuius per omne littus innumeræ rates
Tenuere pontum, quidquid Assyria tenus
Tellure Nereus pervium rostris secat;
Cur me in penates obsidem invisos datam,
Hostique nuptam, degere ætatem in malis
Lachrimisque cogis? profugus en coniux abest,
Præstatque nuptæ, quam solet, Theseus fidem.
Fortis per altas invii retro lacus
Vadit tenebras miles audacis proci;
Solio vt revulsam regis inferni abstrahat,
Pergit furoris socius. haud illum timor,
Pudorque tenuit. stupra & illicitos toros
Acheronte in imo quærit Hippolyti pater.
Sed maior alius incubat mœstæ dolor.
Non me quies nocturna, non altus sopor
Solüere curis: alitur & crescit malum,
Et ardet intus; qualis Ætnæo vapor
Exundat antro. Palladis telæ vacant,
Et inter ipsas pensa labuntur manus.
Non colere donis templa votivis libet;
Non inter aras, Atthidum mistam choris,
Iactare tacitis conscias sacris faces;

Nec

Nec adire caſtis precibus aut ritu pio
Adiudicatæ præſidem terræ deam.
Iuvat excitatas conſequi curſu feras,
Et rigida molli geſa iaculari manu.
Quo tendis, anime? quid furens ſaltus amas?
Fatale miſeræ matris agnoſco malum.
Peccare noſter novit in ſilvis amor.
Genitrix, tui me miſeret: infando malo
Correpta, pecoris efferi ſævum ducem
Audax amaſti. torvus, impatiens iugi,
Adulter ille, ductor indomiti gregis.
Sed amabat aliquid: quis meas miſeræ deus,
Aut quis iuvare Dædalus flammas queat?
Non, ſi ille remeet arte Mopſopia potens,
Qui noſtra cœca monſtra concluſit domo,
Promittat vllam caſibus noſtris opem.
Stirpem peroſa Solis inviſi Venus,
Per nos catenas vindicat Martis ſui,
Suaſque. probis omne Phœbeum genus
Onerat nefandis. nulla Minois levi
Defuncta amore eſt. iungitur ſemper nefas.
NVT. *Theſea coniux, clara progenies Iovis,*
Nefanda caſto pectore extur ba ocius:
Extingue flammas: neve te diræ ſpei
Præbe obſequentem. Quiſquis in primo obſtitit
Pepulitque amorem, tutus ac victor fuit.
Qui blandiendo dulce nutrivit malum,
Sero recuſat ferre, quod ſubiit, iugum.
Nec me fugit, quam durus & veri inſolens
Ad recta flecti regius nolit tumor.
PHAE. *Quemcumque dederit exitum casus, feram.*
Fortem facit vicina libertas ſenem.

NVT.

NVT. *Obſtare primum eſt velle, nec labi via:*
Pudor eſt ſecundus, noſſe peccandi modum.
Quo miſera pergis? quid domum infamem gravas,
Superaſque matrem? maius eſt monſtro nefas.
Nam monſtra fato, moribus ſcelera imputes.
Si, quod maritus ſupera non cernit loca,
Tutum eſſe facinus credis, & vacuum metu;
Erras. teneri crede Lethæo abditum
Theſea profundo; ferre perpetuam Stygem.
Quid ille, lato maria qui regno premit,
Populiſque reddit iura centenis pater,
Latere tantum facinus occultum ſinet?
Sagax parentum eſt cura. credamus tamen
Aſtu doloque tegere nos tantum nefas.
Quid ille rebus lumen infundens ſuum
Matris parens? quid ille, qui mundum quatit,
Vibrans coruſca fulmen Ætnæum manu,
Sator deorum? credis hoc poſſe effici,
Inter videntes, omnia vt lateas, avos?
Sed, vt ſecundus numinum abſcondat favor
Coitus nefandos, vtque contingat ſtupro
Negata magnis ſceleribus ſemper fides:
Quid pœna præſens, conſciæ mentis pavor;
Animuſque culpa plenus, & ſemet timens?
Scelus aliqua tutum, nulla ſecurum tulit.
Compeſce amoris impii flammas, precor,
Nefaſque, quod non vlla tellus barbara
Commiſit vnquam, non vagus campis Geta,
Nec inhoſpitalis Taurus, aut ſparſus Scythes.
Expelle facinus mente caſtifica horridum;
Memorque matris, metue concubitus novos.
Miſcere thalamos patris & gnati apparas?

Vtere-

Uteroque prolem capere confuſam impio?
Perge, & nefandis verte naturam ignibus.
Cur monſtra ceſſant? aula cur fratris vacat?
Prodigia toties orbis inſueta audiet,
Natura toties legibus cedet ſuis,
Quoties amabit Creſſa? PHÆ. *Quæ memoras, ſcio*
Vera eſſe, Nutrix: ſed furor cogit ſequi
Peiora. vadit animus in præceps ſciens,
Remeatque, fruſtra ſana conſilia appetens.
Sic cum gravatam navita adverſa ratem
Propellit vnda, cedit in vanum labor,
Et victa prono puppis aufertur vado.
Quod ratio poſcit, vincit ac regnat furor,
Potenſque tota mente dominatur Deus.
Hic Volucer omni regnat in terra potens,
Ipſumque flammis torret indomitis Iovem.
Gradivus iſtas belliger ſenſit faces;
Opifex triſulci fulminis ſenſit deus;
Et, qui furentes ſemper Ætnæis iugis
Verſat caminos, igne tam parvo calet.
Ipſumque Phœbum, tela qui nervo regit,
Figit ſagitta certior miſſa Puer:
Volitatque cœlo pariter & terræ gravis.
NVT. *Deum eſſe Amorem, turpe ſervitio favens*
Finxit libido: quoq; liberior foret,
Titulum furori numinis falſi addidit.
Natum per omnes ſcilicet terras vagum
Erycina mittit. ille per cœlum volans
Proterva tenera tela molitur manu;
Regnumque tantum minimus in ſuperis habet.
Vana iſta demens animus adſcivit ſibi,
Veneriſque numen finxit, atque arcus Dei.

Quiſ-

Quiſquis ſecundis rebus exultat nimis,
Fluitque luxu, ſemper inſolita appetens;
Hunc illa magnæ dira fortunæ comes
Subit libido: non placent ſuetæ dapes,
Non tecta ſani moris, aut vilis cibus.
Cur in penates rarius tenues ſubit
Hæc delicatos eligens peſtis domos?
Cur ſancta parvis habitat in tectis Venus,
Mediumque ſanos vulgus affectus tenet.
Et ſe coërcent modica? contra divites,
Regnoque fulti, plura, quam fas eſt, petunt?
Quod non poteſt, vult poſſe, qui nimium poteſt.
Quid deceat alto præditam ſolio, vides.
Metue ac verere ſceptra remeantis viri.
PHÆ. *Amoris in me maximum regnum fero,*
Redituſque nullos metuo. non unquam amplius
Convexa tetigit ſupera, qui merſus ſemel
Adijt ſilentem nocte perpetua domum.
NVT. *Ne crede. Ditis cluſerit regnum licet,*
Caniſque diras Stygius obſervet fores:
Solus negatas inveniet Theſeus vias.
PHÆ. *Veniam ille amori forſitan noſtro dabit.*
NVT. *Immitis etiam conjugi caſtæ fuit.*
Experta ſævam eſt barbara Antiope manum.
Sed poſſe flecti coniugem iratum puta:
Quis huius animum flectet intractabilem?
Exoſus omne feminæ nomen fugit.
Immitis annos cælibi vitæ dicat.
Connubia vitat. genus Amazonium ſcias.
PHÆ. *Hunc in nivoſi collis hærentem iugis,*
Et aſpera agili ſaxa calcantem pede,
Sequi per alta, nemora, per montes, placet.

NVT.

NVT. *Se ſiſtet illè, ſeque mulcendum dabit,*
Caſtoſque ritus Venere non caſta exuet?
Tibi ponet odium, cuius odio forſitan
Perſequitur omnes. PHÆ. *Precibus haud vinci poteſt?*
NVT. *Ferus eſt.* PHÆ. *Amore didicimus vinci feros.*
NVT. *Fugiet.* PHÆ. *Per ipſa maria, ſi fugiat, ſequar.*
NVT. *Patris memento.* PHÆ. *Meminimus matris ſimul.*
NVT. *Genus omne profugit.* PHÆ. *Pellicis careo metu.*
NVT. *Aderit maritus.* PHÆ. *nempe Pirithoi comes.*
NVT. *Aderitque genitor.* PHÆ. *mitis Ariadnæ pater.*
NVT. *Per has ſenectæ ſplendidas ſupplex comas,*
Feſſumque curis pectus, & cara vbera,
Precor, furorem ſiſte, teque ipſam adiuva.
Pars ſanitatis, velle ſanari, fuit.
PHÆ. *Non omnis animo ceſſit ingenuo pudor.*
Paremus, altrix. qui regi non vult, amor
Vincatur. haud te, fama, maculari ſinam.
Hæc ſola ratio eſt, vnicum effugium mali.
Virum ſequamur. morte prævertam nefas.
NVT. *Moderare, alumna, mentis effrenæ impetus.*
Animos coërce. dignam ob hoc vita reor,
Quod eſſe temet autumas dignam nece.
PHÆ. *Decreta mors eſt. quæritur fati genus.*
Laqueone vitam ſiniam, an ferro incubem?
An miſſa præceps arce Palladia cadam?
Prô, caſtitatis vindicem armemus manum.
NVT. *Sic te ſenectus noſtra præcipiti ſinat*
Perire leto? ſiſte furibundum impetum.
[*Haud facile quiſquam ad vitam revocari poteſt*].
PHÆ. *Prohibere ratio nulla periturum poteſt,*
Vbi quis mori conſtituit, & debet mori.
NVT. *Solamen annis vnicum feſſis, hera,*

Si tam

Si tam protervus incubat menti furor,
Contemne famam. fama vix vero favet,
Peius merenti melior, & peior bono.
Tentemus animum tristem & intractabilem:
Meus iste labor est, aggredi iuvenem ferum,
Mentemque savam flectere immitis viri.

CHORVS.

Diva, non miti generata ponto,
Quam vocat matrem geminus Cupido,
Impotens flammis simul & sagittis,
Iste lascivus Puer ac renidens
Tela quam certo moderatur arcu!
Labitur totas furor in medullas,
Igne furtivo populante venas.
Non habet latam data plaga frontem,
Sed vorat tectas penitus medullas.
Nulla pax isti Puero. per orbem
Spargit effusas agilis sagittas.
Quæque nascentem videt ora Solem,
Quæque ad Hesperias iacet ora metas,
Si qua ferventi subiecta Cancro est,
Si qua Parrhasiæ glacialis Ursæ
Semper errantes patitur colonos,
Novit hos æstus. iuvenum feroces
Concitat flammas: senibusque fessis
Rursus extinctos revocat calores:
Virginum ignoto ferit igne pectus:
Et iubet cœlo Superos relicto
Vultibus falsis habitare terras.
Thessali Phœbus pecoris magister
Egit armentum, positoque plectro

Impari tauros calamo vocavit.
Induit formas quoties minores,
Ipſe qui cœlum nebulaſque ducit?
Candidas ales modo movit alas,
Dulcior vocem moriente cygno.
Fronte nunc torva petulans iuvencus
Virginum ſtravit ſua terga ludo,
Perque fraternos nova regna fluctus,
Vngula lentos imitante remos,
Pectore adverſo domuit profundum;
Pro ſua vector timidus rapina.
Arſit obſcuri Dea clara mundi
Nocte deſerta, nitidoſque fratri
Tradidit currus aliter regendos.
Ille nocturnas agitare bigas
Diſcit, & gyro breviore flecti.
Nec ſuum tempus tenuere noctes,
Et dies tardo remeavit ortu,
Dum tremunt axes graviore curru.
Natus Alcmena poſuit pharetram,
Et minax vaſti ſpolium leonis;
Paſſus aptari digitis ſmaragdos,
Et dari legem rudibus capillis:
Crura diſtincto religavit auro,
Luteo plantas cohibente ſocco.
Et manu, clavam modo qua gerebat,
Fila deduxit properante fuſo.
Vidit Perſes, ditiſque ferax
Lydia regni, deiecta feri
Terga leonis; humeriſque, quibus
Sederat alti regia cœli,
Tenuem Tyrio ſtamine pallam.

Sacer eſt ignis, (credite læſis)
Nimiumque potens. qua terra ſalo
Cingitur alto, quaque ætherio
Candida mundo ſidera currunt;
Hæc regna tenet Puer immitis:
Spicula cuius ſentit in imis
Cærulus vndis grex Nereidum,
Flammamque nequit relevare mari.
Ignes ſentit genus aligerum.
Venere inſtincti quam magna gerunt
Grege pro toto bella iuvenci!
Si coniugio timuere ſuo,
Poſcunt timidi prælia cervi;
Et mugitu dant concepti
Signa furoris. tunc virgatas
India tigres decolor horret.
Tunc vulnificos acuit dentes
Aper, & toto eſt ſpumeus ore.
Pœni quatiunt colla leones,
Cum movit amor. tum ſilva gemit
Murmure ſævo.
Amat inſani bellua ponti,
Lucaque boves. vindicat omnes
Natura ſibi. nihil immune eſt.
Odiumque perit, cum iuſſit amor:
Veteres cedunt ignibus iræ.
Quid plura canam? vincit ſævas
Cura novercas.

ACTVS SECVNDVS.

CHORVS. NVTRIX. PHÆDRA.

CHO. *ALtrix, profare, quid feras? quonam in loco eſt?*
NVT. *Spes nulla tantum poſſe leniri malum;*
Finiſque flammis nullus inſanis erit:
Torretur æſtu tacito, & incluſus quoque,
Quamvis tegatur, proditur vultu furor.
Erumpit oculis ignis, & laſſæ genæ
Lucem recuſant. nil idem dubiæ placet;
Artuſque varie iactat incertus dolor.
Nunc vt ſoluto labitur moriens gradu,
Et vix labante ſuſtinet collo caput.
Nunc ſe quieti reddit; & ſomni immemor
Noctem querelis ducit; attolli iubet,
Iterumque poni corpus; & ſolvi comas;
Rurſuſque fingi. ſemper impatiens ſui
Mutatur habitus. nulla iam Cereris ſubit
Cura, aut ſalutis. vadit incerto pede,
Iam viribus defecta. non idem vigor,
Non ora tingens nitida purpureus rubor.
Populatur artus cura. iam greſſus tremunt;
Tenerque nitidi corporis cecidit decor.
Et, qui tenebant ſigna Phœbeæ facis,
Oculi nihil gentile nec patrium micant.
Lachrimæ cadunt per ora, & aſſiduo genæ
Rore irrigantur: qualiter Tauri iugis
Tepido madeſcunt imbre perfuſæ nives.
Sed, en, pateſcunt rigiæ faſtigia:
Reclinis ipſa ſedis auratæ toro,
Solitos amictus mente non ſana abnuit.

PHAE. *Removete, famulæ, purpura atque auro illitas*
Veſtes. procul ſit muricis Tyrij rubor,
Quæ fila ramis vltimi Seres legunt:
Brevis expeditos zona conſtringat ſinus.
Cervix monili vacua; nec niveus lapis
Deducat aures, Indici donum maris.
Odore crinis ſparſus Aſſyrio vacet:
Sic temere iactæ colla perfundant comæ
Humeroſque ſummos; curſibus motæ citis
Ventos ſequantur. læva ſe pharetræ dabit;
Haſtile vibret dextra Theſſalicum manus.
Talis ſeveri mater Hippolyti fuit.
Qualis, relictis frigidi Ponti plagis,
Egit catervas, Atticum pulſans ſolum,
Aut Tanais, aut Mæotis, & nodo comas
Coegit emiſitque, lunata latus
Protecta pelta; talis in ſilvas ferar.
NVT. *Sepone queſtus. non levat miſeros dolor,*
Regina. ſævis ecquis eſt flammis modus?
Agreſte placa virginis numen Deæ.
Regina nemorum, ſola quæ monteis colis,
Et vna ſolis montibus coleris Dea,
Converte triſtes ominum in melius minas,
O magna ſilvas inter & lucos Dea,
Clarumque cœli ſidus, & noctis decus,
Cujus relucet mundus alterna face,
Hecate triformis; en ades cœptis favens.
Animum rigentem triſtis Hippolyti doma,
Amare diſcat, mutuos ignes ferat.
Det facilis aures. mitiga pectus ferum.
Innecte mentem. torvus, averſus, ferox,
In iura Veneris redeat. huc vires tuas

Intende. sic te lucidi vultus ferant,
Et nube rupta cornibus puris eas.
Sic te, regentem frena nocturni ætheris,
Detrahere nunquam Thessali cantus queant;
Nullusque de te gloriam pastor ferat.
Ades invocata. iam faves votis, Dea.
Ipsum intuor solenne venerantem sacrum,
Nullo latus comitante. quid dubitas? dedit
Tempus locumque casus. vtendum artibus.
Trepidamus? haud est facile mandatum scelus
Audere. verum iusta, qui reges timet,
Deponat. omne pellat ex animo decus.
Malus est minister regii imperii pudor.

HIPPOLYTVS. NVTRIX.

HIP. *Quid huc seniles fessa moliris gradus,*
O fida Nutrix, turbidam frontem gerens,
Et mœsta vultus? sospes est certe parens,
Sospesque Phædra, stirpis & gemina iugum.
NVT. *Metus remitte. prospero regnum in statu est,*
Domusque florens sorte felici viget.
Sed tu beatis mitior rebus veni:
Namque anxiam me cura sollicitat tui.
[*Quod te ipse pœnis gravibus infestus gravas.*]
Quem fata cogunt, ille cum venia est miser.
At si quis vltro se malis offert volens,
Seque ipse torquet, perdere est dignus bona
Queis nescit vti. potius annorum memor,
Mentem relaxa. motibus festis facem
Attolle. curas Bacchus exoneret graves.
Ætate fruere. mobili cursu fugit.
Nunc facile pectus, grata nunc inveni Venus.

Exultet

Exultet animus. cur toro viduo iaces?
Triſtem iuventam ſolve. nunc luxus rape.
Effunde habenas. optimos vitæ dies
Effluere prohibe. propria deſcripſit Deus
Officia, & ævum per ſuos ducit gradus.
Lætitia iuvenem, frons decet triſtis ſenem.
Quid te coërces, & necas rectam indolem?
Seges illa magnum fœnus agricolæ dabit,
Quæcunque lætis tenera luxuriat ſatis.
Arborque celſo vertice evincit nemus,
Quam non maligna cædit aut reſecat manus.
Ingenia melius recta ſe in laudes ferunt,
Si nobilem animum vegeta libertas alit.
Truculentus, & ſilveſter, & vitæ inſcius,
Triſtem inventam Venere deſerta colis.
Hoc eſſe munus credis indictum viris,
Vt dura tolerent? curſibus domitent equos,
Et ſæva bella Marte ſanguineo gerant?
Providit ille maximus mundi parens,
Cum tam rapaces cerneret fati minas,
Vt damna ſemper ſobole repararet nova.
Excedat, agedum, rebus humanis Venus,
Quæ ſupplet ac reſtituit exhauſtum genus,
Orbis iacebit ſquallido turpis ſitu;
Vacuum ſine vllis claſſibus ſtabit mare;
Aleſque cælo deerit, & ſilvis fera;
Solis & aër pervius ventis erit.
Quam varia leti genera mortalem trahunt
Carpuntque turbam; pontus, & ferrum, & doli!
Sed fata credas deeſſe; ſic atram Styga
Iam petimus vltro. cælibem vitam probet
Steriliſ inventus, hoc erit, quidquid vides,

Vnius ævi turba, & in ſemet ruet.
Proinde vitæ ſequere naturam ducem:
Urbem frequenta, civium cœtus cole.
HIP. *Non alia magis eſt libera, & vitio carens,*
Rituſque melius vita quæ priſcos colat,
Quam quæ relictis mœnibus ſilvas amat.
Non illum avaræ mentis inflammat furor,
Qui ſe dicavit montium inſontem ingis:
Non aura populi, & vulgus infidum bonis,
Non peſtilens invidia, non fragilis favor.
Non ille regno ſervit; aut regno imminens,
Vanos honores ſequitur, aut fluxas opes;
Spei metuſque liber. haud illum niger
Edaxque livor dente degeneri petit.
Nec ſcelera populos inter atque vrbes ſita
Novit; nec omnes conſcius ſtrepitus pavet.
Haud verba fingit. mille non quærit tegi
Dives columnis; nec trabes multo inſolens
Suffigit auro. non cruor largus pias
Inundat aras; fruge nec ſparſi ſacra
Centena nivei colla ſubmittunt boves:
Sed rure vacuo potitur, & aperto æthere
Innocuus errat. callidas tantum feris
Struxiſſe fraudes novit; & feſſus gravi
Labore, niveo corpus fliſſo fovet.
Nunc ille ripam celeris Alphei legit:
Nunc nemoris alti denſa metatur loca,
Vbi Lerna puro gelida pellucet vado;
Sedemque mutat. heic aves querulæ fremunt,
Ramique ventis lene percuſſi tremunt,
Vetereſque fagi. iuvat & aut amnis vagi
Preſſiſſe ripas, ceſpite aut nudo leves

Duxiſſe

Duxiſſe ſomnos, ſive fons largus citas
Defundit vndas; ſive per flores novos
Fugiente dulcis murmurat rivo ſonus.
Excuſſa ſilvis poma compeſcunt famem:
Et fraga parvis vulſa dumetis, cibos
Faciles miniſtrant. regios luxus procul
Eſt impetus fugiſſe. ſollicito bibant
Auro ſuperbi: quam iuvat nuda manu
Captaſſe fontem! certior ſomnus premit
Secura duro membra verſantem toro.
Non in receſſu furta & obſcuro improbus
Quærit cubili, ſeq; multiplici timens
Domo recondit: æthera ac lucem petit,
Et teſte cœlo vivit. hoc equidem reor
Vixiſſe ritu, prima quos mixtos deis
Profudit ætas, nullus his auri fuit
Cœcus cupido. nullus in campo ſacer
Diviſit agros arbiter populis lapis.
Nondum ſecabant credulæ pontum rates:
Sua quiſque norat maria. non vaſto aggere
Crebraque turre cinxerant vrbes latus.
Non arma ſæva miles aptabat manu.
Nec torta cluſas fregerat ſaxo gravi
Baliſta portas. iuſſa nec dominum pati
Junćto ferebat terra ſervitium bove:
Sed arva per ſe feta poſcentes nihil
Pavere gentes. ſilva nativas opes,
Et opaca dederant antra nativas domos.
Rupere fœdus impius lucri furor,
Et ira præceps: quæque ſuccenſas agit
Libido mentes. venit imperii ſitis
Cruenta. factus præda maiori minor.

Pro iure vires esse. tum primum manus
Bellare nuda: saxaque & ramos rudes
Vertêre in arma. non erat gracili levis
Armata ferro cornus; aut longo latus
Mucrone cingens ensis; aut cristæ caput
Galeæ comantes. tela faciebat dolor.
Invenit artes bellicus Mavors novas,
Et mille formas mortis. hinc terras cruor
Infecit omnes fusus, & rubuit mare.
Tum scelera dempto fine per cunctas domos
Iere. nullum caruit exemplo nefas.
A fratre frater, dextera nati parens
Cecidit, maritus coniugis ferro iacet,
Perimuntque fetus impiæ matres suos.
Taceo novercas. mitius nil est feris.
Sed dux malorum femina & scelerum artifex
Obsedit animos, cuius incestæ stupris
Fumant tot vrbes, bella tot gentes gerunt,
Et versa ab imo regna tot populos premunt.
Sileantur aliæ: sola coniux Ægei
Medea reddit feminas dirum genus.
NVT. *Cur omnium sit culpa, paucarum scelus?*
HIP. *Detestor omnes, horreo, fugio, exsecror.*
Sit ratio, sit natura, sit dirus furor:
Odisse placuit. ignibus iunges aquas;
Et amica ratibus ante promittet vada
Incerta Syrtis; ante ab extremo sinu
Hesperia Tethys lucidum attollet diem;
Et ora damis blanda præbebunt lupi;
Quam victus animum feminæ mitem geram.
NVT. *Sæpe obstinatis induit frenos amor,*
Et odia mutat. regna materna aspice.

Illæ feroces ſentiunt Veneris iugum.
Teſtaris iſtud vnicus genitus puer.
HIP. *Solamen vnum matris amiſſæ fero,*
Odiſſe quod iam feminas omnes licet.
NVT. *Vt dura cautes vndique intractabilis*
Reſiſtit vndis, & laceſſentes aquas
Longe remittit, verba ſic ſpernit mea.
Sed Phædra præceps graditur, impatiens moræ.
Quo ſe dabit fortuna? quo verget furor?
Repente terræ corpus exanimum cadit;
Et ora morti ſimilis obduxit color.
Attolle vultus, dimove vocis moras:
Tuus en, alumna, temet Hippolytus tenet.

PHAEDRA. HIPPOLYTVS.
NVTRIX. FAMVLI.

PHAE. *Quis me dolori reddit, atque æſtus graves*
Reponit animo? quam bene excideram mihi?
Cur dulce munus reddita luscis fugis?
Aude anime, tenta. perage mandatum tuum.
Intrepida conſtent verba. qui timide rogat,
Docet negare. magna pars ſceleris mei
Olim peracta eſt. ſerus eſt nobis pudor.
Amavimus nefanda. ſi cœpta exſequor,
Forſan iugali crimen abſcondam face.
Honeſta quædam ſcelera ſucceſſus facit.
Age, incipe anime. commodes paulum, precor,
Secretus aures. ſi quis eſt, abeat, comes.
HIP. *En, locus ab omni liber arbitrio vacat.*
PHAE. *Sed ora cœptis tranſitum verbis negant.*
Vis magna vocem emittit, at maior tenet.

Vos

Vos teſtor omnes cœlites, hoc, quod volo,
Me nolle.
HIP. *Animuſne cupiens aliquid, effari nequit?*
PHÆ. *Curæ leves loquuntur, ingentes ſtupent.*
HIP. *Committe curas auribus, mater, meis.*
PHAE. *Matris ſuperbum eſt nomen, & nimiũ potens.*
Noſtros humilius nomen affectus decet.
Me vel ſororem, Hyppolyte, vel famulam voca:
Famulamque potius. omne ſervitium feram.
Non me, per altas ire ſi iubeas nives,
Pigeat gelatis ingredi Pindi iugis:
Non, ſi per ignes ire & infeſta agmina,
Cunctер paratis enſibus pectus dare.
Mandata recipe ſceptra. me famulam accipe.
Te imperia regere, me decet iuſſa exequi.
Muliebre non eſt regna tutari patris.
Tu, qui iuventæ flore primævo viges,
Cives paterno fortis imperio rege.
Sinu receptam, ſupplicem, ac ſervam tege.
Miſerere viduæ. HIP. *Summus hoc omen deus*
Avertat. aderit ſoſpes actutum parens.
PHAE. *Regni tenacis dominus, & tacitæ Stygis,*
Nullam relictos fecit ad ſuperos viam.
Thalami remittet ille raptorem ſui?
Niſi forte amori placidus & Pluton ſedet.
HIP. *Illum quidem æqui cœlites reducem dabunt.*
Sed, dum tenebit vota in incerto deus,
Pietate caros debita fratres colam,
Et te tuebor; eſſe ne viduam putes:
Ac tibi parentis ipſe ſupplebo locum.
PHAE. *O ſpes amantum credula! ô fallax amor!*
Satiſne dixit? precibus admotis agam.

Miſe-

Miſerere. tacitæ mentis exaudi preces.
Libet loqui, pigetq;. HIP. *Quodnam iſtud malum eſt?*
PHAE. *Quod in novercam cadere vix credas malum.*
HIP. *Ambigua voce verba perplexâ iacis;*
Effare aperte. PHAE. *Pectus inſanum vapor*
Amorque torret. intimas ſævus vorat
Penitus medullas, atque per venas meas
Viſceribus ignis merſus & venis latens,
Vt agilis altas flamma percurrit trabes.
HIP. *Amore nempe Theſei caſto furis.*
PHAE. *Hippolyte, ſic eſt: Theſei vultus amo*
Illos priores, quos tulit quondam puer;
Cum prima puras barba ſignaret genas,
Monſtrique cœcam Gnoſſii vidit domum,
Et longa curvâ fila collegit viâ.
Quis tum ille fulſit! preſerant vittæ comam,
Et ora flavus tenera pingebat rubor.
Inerant lacertis mollibus fortes tori:
Tuæve Phœbes vultus, aut Phœbi mei;
Tuuſque potius: talis, en, talis fuit
Cum placuit hoſti. ſic tulit celſum caput.
In te magis refulget incomptus decor,
Et genitor in te totus: & torvæ tamen
Pars aliqua matris miſcet ex æquo decus.
In ore Grajo Scythicus apparet rigor.
Si cum parente Creticum intraßes fretum,
Tibi fila potius noſtra neviſſet ſoror.
Te, te, ſoror, quacunque ſiderei poli
In parte fulges, invoco ad cauſam parem.
Domus ſorores una corripuit duas;
Te genitor, at me natus. en, ſupplex iacet
Allapſa genibus regiæ proles domus.

Reſper-

Respersa labe nullâ, & intacta, innocens;
Tibi mutor uni. certa descendi ad preces.
Finem hic dolori faciet, aut vitæ dies.
Miserere amantis. HIP. *Magne regnator Deûm,*
Tam lentus audis scelera? tam lentus vides?
Ecquando sæva fulmen emittes manu,
Si nunc serenum est? omnis impulsus ruat
Æther, & atris nubibus condat diem;
Ac versa retro sidera obliquos agant
Retorta cursus. tuque sidereum caput,
Radiate Titan, tu nefas stirpis tuæ
Speculare? lucem merge, & in tenebras fuge.
Cur dextra, Divûm rector atque hominum, vacat
Tua, nec trisulcâ mundus ardescit face?
In me tona. me fige. me velox cremet
Transactus ignis. sum nocens. merui mori.
Placui noverca. dignus an stupris ego
Scelerique tanto visus? ego solus tibi
Materia facilis? hoc meus meruit rigor?
O scelere vincens omne femineum genus!
O majus ausa matre monstrifera malum,
Genitrice peior! illa se tantum stupro
Contaminavit, & tamen tacitum diu
Crimen biformi partus exhibuit nota,
Sceluſque matris arguit vultu truci
Ambiguus infans. ille te venter tulit.
O ter quaterque prospero fato dati,
Quos hausit, & peremit, & leto dedit
Odium, doluſque! genitor, invideo tibi.
Colchide noverca maius hoc, maius malum est.
PHAE. *Et ipsa nostræ fata cognosco domus:*
Fugienda petimus. sed mei non sum potens.

Te vel per ignes, per mare insanum sequar,
Rupesque, & amnes vnda quos torrens rapit.
Quacumque gressus tuleris, hac amens ferar.
Iterum, superbe, genubus advolvor tuis.
HIP. *Procul impudicos corpore à casto amove*
Tactus. quid hoc est? etiam in amplexus ruit?
Stringatur ensis. merita supplicia exigat.
En, impudicum crine contorto caput
Lævâ reflexi. iustior numquam focis
Datus tuis est sanguis, arcitenens Dea.
PHAE. *Hippolyte, nunc me compotem voti facis.*
Sanas furentem. maius hoc voto meo est,
Salvo vt pudore manibus immoriar tuis.
HIP. *Abscede. vive. nequid exores: & hic*
Contactus ensis deserat castum latus.
Quis eluet me Tanais? aut quæ barbaris
Mæotis vndis Pontico incumbens mari?
Non ipse toto magnus Oceano pater
Tantum expiarit sceleris. ô silvæ! ô feræ!
NVT. *Deprensa culpa est. anime, quid segnis stupes?*
Regeramus ipsi crimen, atque vltro impiam
Venerem arguamus. scelere velandum est scelus.
Tutissimum est inferre, cum timeas, gradum.
Ausæ priores simus, an passæ nefas,
Secreta cum sit culpa, quis testis sciet?
Adeste Athenæ. fida famulorum manus,
Fer opem. nefandi raptor Hyppolytus stupri
Instat, premitque. mortis intentat metum.
Ferro pudicam terret. en, præceps abijt,
Ensemque trepida liquit attonitus fuga.
FAM. *Pignus tenemus sceleris.* NVT. *Hanc mœstam*
Recreate. crinis tractus, & laceræ comæ, (*prius*

Vt

Vt ſunt, remaneant. facinoris tanti notas
Referte in vrbem. Recipe iam ſenſus, hera.
Quid te ipſa lacerans omnium aſpectum fugis?
Mens impudicam facere, non caſus, ſolet.

CHORVS.

Fugit inſanæ ſimilis procellæ,
Ocior nubes glomerante Coro,
Ocior curſum rapiente flamma,
Stella cum ventis agitata longos
Corripit ignes.
Conferat tecum decus omne priſcum
Fama miratrix ſenioris ævi:
Pulchrior tanto tua forma lucet,
Clarior quanto micat orbe pleno,
Cum ſuos ignes coëunte cornu
Iunxit, & curru properante pernox
Exerit vultus rubicunda Phœbe:
[Nec tenent ſtellæ faciem minores.]
Qualis eſt primas referens tenebras
Nuncius noctis, modò lotus vndis
Heſperus, pulſis iterum tenebris
Lucifer idem.
Et tu thyrſigera Liber ab India,
Intonſa iuvenis perpetuum coma,
Tigres pampinea cuſpide territans,
Ac mitra cohibens cornigerum caput,
Non vinces rigidas Hippolyti comas.
Nec vultus nimium ſuſpicias tuos.
Omnes per populos fabula diſtulit,
Phædræ quem Bromio prætulerit ſoror.
Anceps forma bonum mortalibus,

Exigui donum breve temporis,
Vt velox celeri pede laberis !
Non ſic prata novo vere decentia
Æſtatis calidæ diſpoliat vapor :
Sævit ſolſtitio cum medius dies,
Et noctem brevibus præcipitat rotis,
Langueſcunt folio lilia pallido,
Et gratæ capiti deficiunt roſæ :
Vt fulgor teneris qui radiat genis
Momento rapitur ! nullaque non dies
Formoſi ſpolium corporis abſtulit.
Res eſt forma fugax. quis ſapiens bono
Confidat fragili ? dum licet, vtere.
Tempus ſed tacitum ſubruit, horaque
Semper præterita deterior ſubit.
Quid deſerta petis ? tutior aviis
Non eſt forma locis. te nemore abditum,
Cum Titan medium conſtituit diem,
Cinget turba licens, Naides improbæ,
Formoſos ſolitæ claudere fontibus :
Et ſomnis facient inſidias tuis
Laſcivæ nemorum deæ,
Montivagique Panes.
Aut te ſtellifero deſpiciens polo
Sidus, poſt veteres Arcadas editum,
Currus non poterit flectere candidos.
Et nuper rubuit ; nullaque lucidis
Nubes ſordidior vultibus obſtitit.
At nos ſolliciti lumine turbido,
Tractam Theſſalicis carminibus rati,
Tinnitus dedimus. tu fueras labor,
Et tu cauſa moræ. te, dea noctium,

Dum ſpectat, celeres ſuſtinuit vias.
Vexent hanc faciem frigora parcius,
Hæc ſolem facies rarius appetat,
Lucebit Pario marmore clarius.
Quam grata eſt facies torva viriliter,
Et pondus veteris triſte ſupercilij!
Phœbo colla licet ſplendida compares:
Illum cæſaries, neſcia colligi
Perfundens humeros, ornat & integit:
Te frons hirta decet, te brevior coma
Nulla lege iacens. [tu licet aſperos
Pugnaceſque deos viribus arceas,
Et vaſti ſpatio vincere corporis:]
Æquas Herculeos iam iuvenis toros,
Martis belligeri pectore latior.
Si dorſo libeat cornipedis vehi;
Frenis Caſtorea mobilior manu
Spartanum poteris flectere Cyllarum.
Amentum digitis tende prioribus,
Et totis iaculum dirige viribus;
Tam longe, dociles ſpicula figere,
Non mittent gracilem Cretes arundinem.
Aut ſi tela modo ſpargere Parthico
In cœlum placeat; nulla ſine alite
Deſcendent, tepido viſcere condita.
Prædam de mediis nubibus afferes.
Raris forma viris (ſecula proſpice)
Impunita fuit. te melior deus
Tutum prætereat, formaque nobilis
*Deformis ſenij *limina tranſeat.* * Al. monſtret imaginem.
Quid ſinat inauſum feminæ præceps furor?
Nefanda iuveni crimina inſonti parat,

Et ſcelere quærit crine lacerato fidem.
Decus omne turbat capitis. humectat genas.
Inſtruitur omnis fraude feminea dolus.
Sed iſte quiſnam eſt regium in vultu decus
Gerens, & alto vertice attollens caput?
Vt ora iuveni paria Pirithoo gerit!
Ni languido candore pallerent genæ,
Staretque recta ſqualor incultus coma.
En, ipſe Theſeus redditus terris adeſt.

ACTVS TERTIVS.

THESEVS. NVTRIX.

THES. *Tandem profugi noctis æternæ plagam,*
Vaſtoque manes carcere vmbrantem polum,
Vt vix cupitum ſufferunt oculi diem!
Iam quarta Eleuſis dona Triptolemi ſecat,
Paremque toties Libra compoſuit diem;
Ambiguus vt me ſortis ignotæ labor
Detinuit inter mortis & vitæ mala.
Pars vna vitæ manſit extincto mihi
Senſus. malorum finis Alcides fuit.
Qui cum revulſum Tartaro extraheret canem,
Me quoque ſupernas pariter ad ſedes tulit.
Sed feſſa virtus robore antiquo caret,
Trepidantque greſſus. heu, labor quantus fuit
Phlegethonte ab imo petere longinquum æthera,
Pariterque mortem fugere, & Alcidem ſequi!
Quis fremitus aures flebilis pepulit meas?
Expromat aliquis. luctus, & lachrimæ, & dolor,
Et limine in ipſo mœſta lamentatio,

Hoſpitia digna prorſus inferno hoſpite.
NVT. *Tenet obſtinatum Phædra conſilium necis,*
Fletuſque noſtros ſpernit, ac morti imminet.
THES. *Quæ cauſa leti? reduce cur moritur viro?*
NVT. *Hæc ipſa letum cauſa maturum attulit.*
THES. *Perplexa magnum verba neſcio quid tegunt.*
Effare aperte, quis gravet mentem dolor.
NVT. *Haud pandit vlli. mœſta ſecretum occulit,*
Statuitque ſecum ferre, quo moritur, malum.
Iam perge quæſo, perge. properato eſt opus.
THES. *Reſerate cluſos regij poſtes laris.*

THESEVS. PHÆDRA. FAMVLI.

THES. *O Socia thalami, ſiccine adventum viri,*
Et expetiti coniugis vultum excipis?
Quin enſe viduas dexteram? atque animum mihi
Reſtituis? & te quidquid è vita fugat
Expromis? PHÆ. *Eheu, per tui ſceptrum imperij,*
Magnanime Theſeu, perque natorum indolem,
Tuoſque reditus, perque iam cineres meos,
Permitte mortem. THES. *Cauſa quæ cogit mori?*
PHÆ. *Si cauſa leti dicitur, fructus perit.*
THES. *Nemo iſtud alius, me quidem excepto, audiet.*
Aures pudicas coniugis ſolas times?
Effare. fido pectore arcana occulam.
PHÆ. *Alium ſilere quod voles, primus ſile.*
THES. *Leti facultas nulla continget tibi.*
PHÆ. *Mori volenti deeſſe numquam mors poteſt.*
THES. *Quod ſit luendum morte delictum, indica.*
PHÆ. *Quod vivo.* TH. *Lachrimæ nõne te noſtræ movẽt?*
PHÆ. *Mors optima eſt perire, dum lachrimant ſui.*
THES. *Silere pergit, verbere ac vinclis anus*

Al-

Altrixque prodet quidquid hæc fari abnuit.
Vincîte ferro. verberum vis extrahat
Secreta mentis. PHÆ. *Ipſa iam fabor, mane.*
THES. *Quidnam ora mœſta avertis, & lachrimas genis*
Subito coortas veſte prætenta obtegis?
PHAE. *Te, te, creator cœlitum, teſtem invoco,*
Et te coruſcum lucis ætheriæ iubar,
Ex cuius ortu noſtra dependet domus.
Tentata precibus reſtiti. ferro ac minis
Non ceſſit animus: vim tamen corpus tulit.
Labem hanc pudoris eluet noſter cruor.
THES. *Quis, ede, noſtri decoris everſor fuit?*
PHAE. *Quẽ rere minime.* THES. *Quis ſit, audire expeto.*
PHAE. *Hic dicet enſis, quem tumultu territus*
Liquit ſtuprator, civium accurſum timens.
THES. *Quod facinus, heu me, cerno? quod monſtrum*
Regale patrijs aſperum ſignis ebur, (intuor?
Capulo refulget gentis Actææ decus.
Sed ipſe quonam evaſit? PHAE. *Hi trepidum fugâ*
Videre famuli concitum celeri pede.

THESEVS.

Prò, ſancta pietas! prò, gubernator poli,
Et qui ſecundum in fluctibus regnum tenes,
Vnde iſta venit generis infandi lues?
Hunc Graia tellus aluit, an Taurus Scythes,
Colchusve Phaſis? redit ad auctores genus;
Stirpemque primam degener ſanguis refert.
Eſt prorſus iſte gentis armigeræ furor,
Odiſſe Veneris fœdera, & caſtum diu
Vulgare populis corpus. ô tetrum genus,
Nullaque victum lege melioris ſoli!

Feræ quoque ipſæ Veneris evitant nefas,
Generiſque leges inſcius ſervat pudor.
Vbi vultus ille, & ficta maieſtas viri,
Atque habitus horrens, priſca & antiqua appetens,
Morumque ſenium triſte, & aſpectu grave?
O vita fallax! abditos ſenſus geris,
Animiſque pulchram turpibus faciem induis.
Pudor impudentem celat, audacem quies,
Pietas nefandum. vera fallaces probant.
Simulantque molles dura. ſilvarum incola
Ille efferatus, caſtus, intactus, rudis,
Mihi te reſervas? à meo primum toro
Et ſcelere tanto placuit ordiri virum?
Iam iam ſuperno numini grates ago,
Quod icta noſtrâ cecidit Antiope manu:
Quod non ad antra Stygia deſcendens tibi
Matrem reliqui. profugus ignotas procul
Percurre gentes. te licet terra vltimo
Summota mundo dirimat Oceani plagis,
Orbemque noſtris pedibus obverſum colas:
Licet in receſſu penitus extremo abditus
Horrifera celſi regna tranſieris poli;
Hiemesque ſupra poſitus & canas nives,
Gelidi frementes liqueris Boreæ minas,
[Poſt te furentes, ſceleribus pœnas dabis.]
Profugum per omnes pertinax latebras premam.
Longinqua, clauſa, abſtruſa, diverſa, invia
Emetiemur. nullus obſtabit locus.
Huc vota mittam, tela quo mitti haud queunt.
Scis vnde redeam? genitor æquoreus dedit,
Vt vota prono trina concipiam deo,
Et invocata munus hoc ſanxit Styge.

En perage donum triſte, regnator freti.
Non cernat vltra lucidum Hipppolytus diem;
Adeatque Manes iuvenis irato patre.
Fer abominandam nunc opem nato parens.
Numquam ſupremum numinis munus tui
Conſumeremus, magna ni premerent mala.
Inter profunda Tartara, & Ditem horridum;
Et imminentes regis inferni minas,
Voto peperci. redde nunc pactam fidem,
Genitor. moraris? cur adhuc vndæ ſilent?
Nunc atra ventis nubila impellentibus
Subtexe noctem; ſidera & cœlum eripe.
Effunde pontum. vulgus æquoreum cie,
Fluctuſq; ab ipſo tumidus Oceano voca.

CHORVS.

O magna parens Natura deûm,
Tuque igniferi rector Olympi,
Qui ſparſa cito ſidera mundo
Curſuſque vagos rapis aſtrorum,
Celerique polos cardine verſas;
Cur tibi tanta eſt cura, perennes
Agitare vias ætheris alti?
Vt nunc canæ frigora Brumæ
Nudent ſilvas; nunc arbuſtis
Redeant vmbræ; nnnc æſtivi
Colla Leonis Cererem magno
Fervore coquant; vireſq; ſuas
Temperet annus? ſed cur idem,
Qui tanta regis, ſub quo vaſti
Pondera mundi librata ſuos
Ducunt orbes, hominum nimium

Securus ades; non ſollicitus
Prodeſſebonis, nocuiſſe malis?
Res humanas ordine nullo
Fortuna regit, ſpargitque manu
Munera cœca, peiora fovens.
Vincit ſanctos dira libido.
Fraus ſublimi regnat in aula.
Tradere turpi faſces populus
Gaudet; eoſdem colit, atque odit.
Triſtis virtus perverſa tulit
Præmia recti. caſtos ſequitur
Mala paupertas! vitioque potens
Regnat adulter.
O vane pudor, falſumque decus!
Sed quid citato nuncius portat gradu,
Rigetque mœſtis lugubrem vultum genis?

ACTVS QVARTVS.

NVNCIVS. THESEVS.

NVN. *O Sors acerba & dura famulatus gravis,*
Cur me ad nefandos nuncium caſus vocas?
THES. *Ne metue clades fortiter fari aſperas;*
Non imparatum pectus ærumnis gero.
NVN. *Vocem dolori lingua luctifico negat.* (mũ.
THES. *Proloquere, quæ ſors aggravet quaſſam do-*
NVN. *Hippolytus (heu me) flebili leto occubat.*
THES. *Gnatum parens obijſſe jam pridem ſcio.*
Nunc raptor obijt. mortis effare ordinem.
NVN. *Ut profugus vrbem liquit infeſto gradu,*
Celerem citatis paſſibus curſum explicans,
Celſos ſonipedes ocius ſubigit jugo,

Et ora frenis domita ſubſtrictis ligat.
Tum multa ſecum effatus, & patrium ſolum
Abominatus, ſæpe genitorem ciet,
Acerque habenis lora permiſſis quatit:
Cum ſubitò vaſtum tumuit ex alto mare,
Crevitque in aſtra. nullus inſpirat ſalo
Ventus. quieti nulla pars cœli ſtrepit,
Placidumque pelagus propria tempeſtas agit.
Non tantus Auſter Sicula diſturbat freta,
Nec tam furenti pontus exſurgit ſinu
Regnante Coro, ſaxa cum fluctu tremunt,
Et cana ſummum ſpuma Leucatem ferit.
Conſurgit ingens pontus in vaſtum aggerem,
Tumidumque monſtro pelagus in terram ruit.
Nec iſta ratibus tanta conſtruitur lues:
Terris minatur. fluctus haud curſu levi
Provolvitur. neſcio quid onerato ſinu
Gravis vnda portat. quæ novum tellus caput
Oſtendit aſtris. Cyclas exoritur nova.
Latuere nube numen Epidauri Dei,
Et ſcelere petræ nobiles Scironides,
Et quæ duobus terra comprimitur fretis.
Hæc dum ſtupentes querimur, en totum mare
Immugit. omnes vndique ſcopuli adſtrepunt.
Summum cacumen rotat expulſo ſalo.
Spumat, vomitque vicibus alternis aquas.
Qualis per alta vehitur Oceani freta
Fluctus refundens ore phyſeter capax.
Inhorruit concuſſus vndarum globus,
Solvitque ſeſe, & littori invexit malum,
Maius timore. pontus in terras ruit,
Suumque monſtrum ſequitur. os quaſſat tremor.

THE. *Quis habitus ille corporis vasti fuit?*
NVN. *Cærulea taurus colla sublimis gerens,*
Erexit altam fronte viridanti iubam.
Stant hispidæ aures. cornibus varius color:
Et quem feri dominator habuisset gregis,
Et quem sub vndis natus. hinc flammam vomit;
Oculi hinc relucent. cærula insignis nota
Opima cervix arduos tollit toros:
Nares que hiulcis haustibus patulæ fremunt.
Musco tenaci pectus ac palear viret.
Longum rubenti spargitur fuco latus.
Tum pone tergus vltima in monstrum coit
Facies, & ingens bellua immensam trahit
Squammosa partem. talis extremo mari
Pistrix citatas sorbet aut reddit rates.
Tremuere terræ. fugit attonitum pecus
Passim per agros; nec suos pastor sequi
Meminit iuvencos. omnis è saltu fera
Diffugit: omnis frigido exanguis metu
Venator horret. solus immunis metu
Hippolytus arctis continet frenis equos,
Pavidosque notæ vocis hortatu ciet.
Est alta ad Argos collibus ruptis via,
Vicina tangens spatia suppositi maris:
Hæc se illa moles acuit, atque iras parat.
Vt cepit animos, seque prætentans satis
Proluit iræ, præpeti cursu evolat,
Summam citato vix gradu tangens humum,
Et torva currus ante trepidantes stetit.
Contra feroci gnatus insurgens minax
Vultu, nec ora mutat, & magnum intonat;
Haud frangit animum vanus hic terror meum,

Nam mihi paternus vincere est tauros labor.
Jnobsequentes protinus frenis equi
Rapuere currum : iamque decrrantes via,
Quacumque pavidos rapidus evexit furor,
Hac ire pergunt, seque per scopulos agunt.
At ille, qualis turbido rector mari
Ratem retentat, ne det obliquum latus,
Et arte fluctus fallit ; haud aliter citos
Currus gubernat : ora nunc pressis trahit
Constricta frenis, terga nunc torto frequens
Verbere coërcet. sequitur assiduus comes
Nunc æqua carpens spatia, nunc contra obvius
Oberrat, omni parte terrorem movens.
Non licuit vltra fugere. nam torvo obvius
Incurrit ore corniger ponti horridus.
Tum verò pavida sonipedes mente exciti
Imperia solvunt, seque luctantur iugo
Eripere, rectique in pedes iactant onus.
Præceps in ora gnatus implicuit cadens
Laqueo tenaci corpus : & quanto magis
Pugnat, sequaces hoc magis nodos ligat.
Sensere pecudes facinus, & curru levi,
Dominante nullo, qua timor iussit, ruunt.
Talis per auras non suum agnoscens onus,
Solique falso creditum indignans diem,
Phaëthonta currus devio excussit polo,
Latè cruentat arva, & illisum caput
Scopulis resultat. auferunt dumi comas :
Et ora durus pulchra populatur lapis :
Feritque multo vulnere infelix decor.
Moribunda celeres membra provolvunt rotæ.
Tandemque raptum truncus ambusta sude

Medium

Medium per inguen ſtipite iecto tenet;
Paulumque domino currus affixo ſtetit.
Hæſere bijuges vulnere, & pariter moram
Dominumque rumpunt. inde ſemianimem ſecant
Virgulta. acutis aſperi vepres rubis,
Omniſque truncus corporis partem tulit.
Errant per agros funebris, famuli, manus,
Per illa, qua diſtractus Hippolytus, loca
Longum cruenta tramitem ſignat nota:
Mœſtæque domini membra veſtigant canes.
Necdum dolentum ſedulus potuit labor
Explere corpus. hoccine eſt formæ decus?
Qui modò paterni clarus imperii comes,
Et certus hæres, ſiderum fulſit modo;
Paſſim ad ſupremos ille colligitur rogos,
Et funeri confertur! THES. *O nimium potens,*
Quanto parentes ſanguinis vinclo tenes
Natura! quam te colimus inviti quoque!
Occidere volui noxium: amiſſum fleo.
NVN. *Haud quiſquã honeſte flere, quod voluit, poteſt.*
THES. *Equidem malorũ maximũ hunc cumulum reor,*
Si abominanda caſus optata efficit.
NVN. *Et ſi odiá ſervas, cur madent fletu genæ?*
THES. *Quod interemi, non quod amiſi, fleo.*

CHORVS.

Quanti caſus humana rotant!
Minor in parvis Fortuna furit,
Leviuſque ferit leviora Deus.
Servat placidos obſcura quies.
Præbet ſomnos caſa ſecuros.
Admota ætheriis culmina ſedibus

Euros

Euros excipiunt, excipiunt Notos,
Insani Boreæ minas,
Imbriferumque Corum.
Humida vallis raros patitur
Fulminis ictus. tremuit telo
Iovis altisoni Caucasus ingens,
Phrygiumque nemus matris Cybeles.
Metuens cœlo Iuppiter alto
Vicina petit. non capit umquam
Magnos motus humilis tecti
Plebeia domus.
Circa regna tonat.
Volat ambiguis
Mobilis alis hora. nec ulli
Præstat velox Fortuna fidem.
Qui clara videt sidera mundi,
Nitidumque diem nocte relicta,
Luget mœstos tristis reditus;
Ipsoque magis flebile Averno
Sedis patriæ videt hospitium.
Pallas Actææ veneranda genti,
Quod tuus cœlum superosque Theseus
Spectat, & fugit Stygias paludes,
Casta nil debes patruo rapaci:
Constat inferno numerus tyranno.
Quæ vox ab altis flebilis tectis sonat?
Strictoque vecors Phædra quid ferro parat?

ACTVS QVINTVS.

THESEVS. PHÆDRA.

THES. *QVIS te dolore percitam instigat furor?*

Quid

Quid enſis iſte? quidve vociferatio,
Planctusq; ſupra corpus inviſum volunt?
PHÆ. *Me, me, profundi ſæve dominator freti,*
Invade, & in me monſtra cærulei maris
Emitte; quidquid intimo Tethys ſinu
Extrema geſtat, quidquid Oceanus vagis
Complexus vndis vltimo fluctu tegit.
O dire Theſeu ſemper, ô numquam ad tuos
Tutò reverſe! gnatus & genitor nece
Reditus tuos lüêre. pervertis domum,
Amore ſemper coniugum aut odio nocens.
Hippolyte, tales intuor vultus tuos?
Taleſque feci? membra quis ſævus Scinis,
Aut quis Procruſtes ſparſit? aut quis Creſſius
Dædalea vaſto clauſtra mugitu replens,
Taurus biformis, ore cornigero ferox,
Divulſit? heu me! quo tuus fugit decor,
Oculique, noſtrum ſidus? exanimis iaces?
Ades parumper, verbaque exaudi mea.
Nil turpe loquimur. hac manu pœnas tibi
Solvam, & nefando pectori ferrum inſeram,
Animaque memet pariter ac ſcelere exuam;
Et te per vndas, perque Tartareos lacus,
Per Styga, per amnes igneos amens ſequar.
Placemus vmbras. capitis exuvias cape,
Laceraque frontis accipe abſciſſam comam.
Non licuit animos iungere. at certe licet
Iunxiſſe fata, morere, ſi caſta es, viro;
Si inceſta, amori. coniugis thalamos petam.
Tanto impiatos facinore? hoc deerat nefas,
Vt vindicato ſancta fruereris toro?
O mors amoris vna ſedamen mali;

O mors

O mors pudoris maximum læsi decus :
Confugimus ad te, pande placatos sinus.
Audite Athenæ. tuque funestâ pater
Peior novercâ. falsa memoravi ; & nefas,
Quod ipsa demens pectore insano hauseram,
Mentita finxi. falsa punisti pater;
Iuvenisque castus crimine incestæ iacet,
Pudicus, insons. recipe iam mores tuos,
Mucrone pectus impium iusto patet,
Cruorque sancto solvet inferias viro.
Quid facere rapto debeas nato parens,
Disce ex noverca : condere Acherontis plagis.

THESEVS. CHORVS.

THE. *PAllidi fauces Averni, vosque Tænarei specus,*
Vnda miseris grata Lethes, vosq; torpētes lacus,
Impium capite, atque mersum premite perpetuis malis.
Nunc adeste sæva ponti monstra, nunc vastum mare,
Vltimo quodcunque Proteus æquorum abscondit sinu,
Meque ovantem scelere tanto rapite in altos gurgites.
Tuque semper, genitor, iræ facilis assensor meæ,
Morte dignum facinus ausus, qui novâ natum nece
Segregem sparsi per agros : quique dum falsum nefas
Exsequor vindex, scelestus incidi in verum nefas.
Sidera & Manes, & vndas scelere complevi meo.
Amplius sors nulla restat; regna me norunt tria.
In hoc redimus ? patuit ad cœlum via,
Bina vt viderem funera, & geminam necem ?
Cælebs & orbus, funebres vna face
Vt concremarem prolis ac thalami rogos ?
Donator atræ lucis, Alcide, tuum
Diti remitte munus. ereptos mihi

Restitue

Reſtitue Manes. impius fruſtra invoco
Mortem relictam. crudus, & leti artifex,
Exitia machinatus inſolita, effera,
Nunc tibimet ipſe iuſta ſupplicia irroga.
Pinus coacto vertice attingens humum
Cœlo remiſſum findat in geminas trabes,
Mittarque præceps ſaxa per Scironia.
Graviora vidi, quæ pati cluſos iubet
Phlegethon, nocentes igneo cingens vado.
Quæ pœna maneat memet & ſedes, ſcio.
Umbræ nocentes cedite; & cervicibus
His his repoſitum degravet feſſas manus
Saxum, ſenis perennis Æolii labor.
Me ludat amnis ora vicina alluens.
Vultur relicto tranſvolet Tityo ferus,
Meumque pœnæ ſemper accreſcat iecur.
Et tu mei requieſce Pirithoi pater:
Hæc incitatis membra turbinibus ferat
Numquam reſiſtens orbe revoluto rota.
Debiſce tellus; recipe me dirum chaos,
Recipe: hæc ad umbras iuſtior nobis via eſt.
Gnatum ſequor: ne metue, qui Manes regis;
Caſti venimus. recipe me æterna domo
Non exiturum. non movent Divos preces:
At ſi rogarem ſcelera, quam proni forent!
CHO. *Theſeu, querelis tempus æternum manet.*
Nunc iuſta gnato ſolve, & abſconde ocius
Diſperſa fœde membra laniatu effero.
THES. *Huc, huc reliquias vehite cari corporis,*
Ponduſque, & artus temere congeſtos date.
Hippolytus hic eſt? facinus agnoſco meum.
Ego te peremi. neu nocens tantum ſemel

Soluſve

Soluſve fierem, facinus auſurus parens;
Patrem advocavi. munere en patrio fruor.
O triſte fractis orbitas annis malum,
Complectere artus, quodque de gnato eſt ſuper,
Miſerande mœſto pectore incumbens fove.
Diſiecta, genitor, membra laceri corporis
In ordinem diſpone, & errantes loco
Reſtitue partes. fortis heic humeri locus;
Heic dextra frenis docta moderandis manus
Ponenda. lævi lateris agnoſco notas.
Quam magna lachrimis pars adhuc noſtris abeſt?
Durate trepidæ lugubri officio manus,
Fletuſque largos ſiſtite arentes genæ,
Dum membra gnato genitor annumerat ſuo,
Corpuſque fingit. hoc quidem eſt forma carens,
Et turpe multo vulnere ambeſum undique;
Quæ pars tui ſit dubito, ſed pars eſt tui.
Heic heic repone; non ſuo, at vacuo loco.
Hæcne illa facies igne ſidereo nitens,
Inimica flectens lumina? hic cecidit decor?
O dira fata numinum! o ſævus furor!
Sic ad parentem gnatus ex voto redit?
En hæc ſuprema dona genitoris cape,
Sæpe efferendus. interim hæc ignes ferant.
Patefacite acerba cæde funeſtam domum,
Mopſopia claris tota lamentis ſonet.
Vos apparate regij flammam rogi:
At vos per agros corporis partes vagas
Anquirite. iſtam terra defoßam premat,
Graviſque tellus impio capiti incubet.

FINIS.

L. ANNAEI SENECAE OEDIPVS.

Dramatis Perſonæ.

OEDIPVS. IOCASTA. CREON.
CHORVS THEBANORVM. TIRESIAS.
MANTO. SENEX. PHORBAS.
NVNCIVS.

ACTVS PRIMVS.

OEDIPVS. IOCASTA.

OED. *IAm nocte pulſa dubius effulſit dies,*
Et nube mœſtum ſquallida exoritur iubar,
Lumenque flamma triſte luctifera gerens
Proſpiciet avida peſte ſolatas domos,
Stragemque, quam nox fecit, oſtendet dies.
Quiſquamne regno gaudet? ô fallax bonum,
Quantum malorum fronte quam blanda tegis!
Vt alta ventos ſemper excipiunt iuga;
Ripemque ſaxis vaſta dirimentem freta,
Quamvis quieti, verberant fluctus maris:
Imperia ſic excelſa Fortunæ obiacent.
Quam bene parentis ſceptra Polybi fugeram,

Curis

Curis ſolutus, exul, intrepidus, vagans!
Cœlum deoſque teſtor, in regnum incidi.
Infanda timeo; ne mea genitor manu
Perimatur. hoc me Delphicæ laurus monent,
Aliudque nobis indicant maius ſcelus.
Eſt maius aliud patre mactato nefas?
Prò, miſera pietas! eloqui fatum pudet.
Thalamos parentis Phœbus & diros toros
Gnato minatur, impia inceſtos face.
Hic me paternis expulit regnis timor:
Non ego penates profugus exceſſi meos.
Parum ipſe fidens mihimet in tuto tua,
Natura, poſui iura. cum magna horreas,
Quæ poſſe fieri non putes, metuas tamen.
Cuncta expaveſco, meque non credo mihi.
Iamiam aliquid in nos Fata moliri parant.
Nam quid rear, quod iſta Cadmeæ lues
Infeſta genti, ſtrage tam late edita
Mihi parcit vni? cui reſervamur malo?
Inter ruinas vrbis, & ſemper novis
Deflenda lachrimis funera, ac populi ſtruem,
Incolumis adſto. ſcilicet Phœbi reus
Sperare poteras ſceleribus tantis dari
Regnum ſalubre? fecimus cœlum nocens.
Non aura gelido lenis afflatu fovet
Anhela flammis corda: non Zephyri leves
Spirant: ſed ignes auget aſtiferi Canis
Titan, Leonis terga Nemeéi premens.
Deſeruit amnes humor, atque herbas color.
Aretque Dirce. tenuis Iſmenos fluit,
Et tingit inopi nuda vix vndâ vada.
Obſcura cœlo labitur Phœbi ſoror;

Triſtiſque mundus nubilo pallet novo.
Nullum ſerenis noctibus ſidus micat:
Sed gravis & ater incubat terris vapor.
Obtexit arces cœlitum ac ſummas domos
Inferna facies. denegat fructum Ceres;
Adulta, & altis flava cum ſpicis cremat:
Arente culmo ſterilis emoritur ſeges.
Nec vlla pars immunis exitio vacat:
Sed omnis ætas pariter & ſexus ruit,
Iuveneſque ſenibus iungit, & gnatis patres
Funeſta peſtis. vna fax thalamos cremat:
Fletuque acerbo funera & queſtu carent.
Quin ipſa tanti pervicax clades mali
Siccavit oculos: quodque in extremis ſolet,
Periere lachrimæ. portat hunc æger parens
Supremum ad ignem: mater hunc amens gerit;
Properatque, vt alium regerat in eundem rogum.
Quin luctu in ipſo luctus exoritur novus,
Suæque circa funus exequiæ cadunt.
Tum propria flammis corpora alienis cremant.
Diripitur ignis. nullus eſt miſeris pudor.
Non oſſa tumuli ſancta diſcreti tegunt.
Arſiſſe ſatis eſt. pars quota in cineres abit?
Deeſt terra tumulis. iam rogos ſilvæ negant.
Non vota, non ars vlla correptos levant.
Cadunt medentes. morbus auxilium trahit.
Affuſus aris ſupplices tendo manus,
Matura poſcens fata, præcurram vt prior
Patriam ruentem: neve poſt omnes cadam;
Fiamque regni funus extremum mei.
O ſæva nimium numina! o fatum grave!
Negatur vni nempe in hoc populo mihi

Mors

Mors tam parata? ſperne letali manu
Contacta regna. linque lachrimas, funera,
Tabifica cœli vitia; quæ tecum invehis
Infauſtus hoſpes: profuge iamdudum ocius
Vel ad parentes. IOC. *Quid iuvat, coniux, mala*
Gravare queſtu? regium hoc ipſum reor,
Adverſa capere: quoque ſit dubius magis
Status, & cadentis imperij moles labat;
Hoc ſtare certo preßius fortem gradu.
Haud eſt virile, terga Fortunæ dare.
OED. *Abeſt pavoris crimen ac probrum procul,*
Virtuſque noſtra neſcit ignavos metus.
Si tela contra ſtricta, ſi vis horrida
Mavortis in me rueret; adverſus feros
Audax gigantes obvias ferrem manus.
Nec Sphinga cœcis verba nectentem modis
Fugi. cruentos vatis infandæ tuli
Rictus, & albens oßibus ſparſis ſolum.
Cumque è ſuperba rupe, iam prædæ imminens,
Aptaret alas, verbera & caudam movens,
Sævi leonis more, conciperat minax,
Carmen popoſci. ſonuit horrendum. inſuper
Crepüere malæ: ſaxaque impatiens moræ
Revulſit vnguis, viſcera expectans mea.
Nodoſa ſortis verba, & implexos dolos,
Ac triſte carmen alitis ſolvi feræ.
IOC. *Quid ſera mortis vota nunc demens facis?*
Licuit perire. laudis hoc pretium tibi
Sceptrum, & peremptæ Sphingis hæc merces datur.
OED. *Ille ille dirus callidi monſtri cinis*
In nos rebellat. illa nunc Thebas lues
Perempta perdit vna. iam ſuperest ſalus,

Si quam ſalutis Phœbus oſtendit viam.

CHORVS.

Occidis Cadmi generoſa proles
Urbe cum tota. viduas colonis
Reſpicis terras, miſeranda Thebe.
Carpitur leto tuus ille Bacchi
Miles, extremos comes vſque ad Indos,
Auſus Eois equitare campis,
Figere & mundo tua ſigna primo.
Cinnamis ſilvas Arabum beatas
Vidit, & verſas equitis ſagittas,
Terga fallacis metuenda Parthi.
Littus intravit pelagi rubentis.
Promit hîc ortus, aperitque lucem
Phœbus, & flamma propiore nudos
Inficit Indos.
Stirpis invictæ genus interimus.
Labimur ſævo rapiente fato.
Ducitur ſemper nova pompa Morti.
Longus ad Manes properatur ordo
Agminis mœſti, ſerieſque triſtis
Hæret; & turba tumulos petenti
Non ſatis ſeptem patuere portæ.
Stat gravis ſtrages, premiturque iuncto
Funere funus.
Prima vis tardas tetigit bidentes;
Laniger pingues male carpſit herbas.
Colla tacturus ſteterat ſacerdos;
Dum manus certum parat alta vulnus,
Aureo taurus rutilante cornu
Labitur ſegnis: patuit ſub ictu

Ponderis vasti resoluta cervix.
Nec cruor ferrum maculavit. atra
Turpis è plaga sanies profusa est.
Segnior cursu sonipes in ipso
Concidit gyro, dominumque prono
Prodidit armo.
Incubant pratis pecudes relictæ.
Taurus armento pereunte marcet.
Deficit pastor grege diminuto,
Tabidos inter moriens iuvencos.
Non lupos cervi metuunt rapaces.
Cessat irati fremitus leonis.
Nulla villosis feritas in vrsis.
Perdidit pestem latebrosa serpens;
Aret, & sicco moritur veneno.
Non silva sua decorata coma
Fundit opacis montibus vmbras.
Non rura virent vbere glebæ.
Non plena suo vitis Iaccho
Brachia curvat.
Omnia nostrum sensere malum.
Rupere Erebi claustra profundi
Turba sororum face Tartarea:
Phlegethonque sua motam ripa
Miscuit vndis Styga Sidoniis.
Mors alta avidos oris hiatus
Pandit, & omnes explicat alas.
Quique capaci turbida cymba
Flumina servat durus senior,
Navita crudus, vix assiduo
Brachia conto lassata refert,
Fessus turbam vectare novam.

Quin Tænarij vincula ferri
Rupisse canem fama, & nostris
Errasse locis: mugisse solum:
Vaga per lucos simulacra virûm
Maiora viris: bis Cadmeum
Nive discussa tremuisse nemus,
Bis turbatam sanguine Dircen:
Nocte silenti
Amphionios vlulasse canes.
O dira novi facies leti,
Gravior leto! piger ignavos
Alligat artus languor; & ægro
Rubor in vultu, maculæque capue
Sparsere leves: tum vapor ipsam
Corporis arcem flammeus vrit;
Multoque genas sanguine tingit.
Oculique rigent, & sacer ignis
Pascitur artus. resonant aures
Stillatque niger naris aduncæ
Cruor, & venas rumpit hiantes.
Intima creber viscera quassat
Gemitus stridens. tunc amplexu
Frigida presso saxa fatigant:
Quos liberior domus elato
Custode sinit. petit is fontes,
Aliturque sitis latice ingesto.
Prostrata iacet turba per aras,
Oratque mori. solum hoc faciles
Tribuere Dei. delubra petunt;
Haud vt voto numina placent,
Sed iuvat ipsos satiare Deos.
Quisnam ille propero regiam gressu petit?

Adest

Adeſtne clarus ſanguine ac factis Creo?
An æger animus falſa pro veris videt?
Adeſt petitus omnibus votis Creo.

ACTVS SECVNDVS.

OEDIPVS. CREON.

OED. *HOrrore quatior, fata quo vergant timens,*
Trepidumque gemino pectus eventu labat.
Vbi læta duris miſta in ambiguo iacent,
Incertus animus ſcire cum cupiat, timet.
Germane noſtræ coniugis, feſſis opem
Si quam reportas, voce properata edoce.
CRE. *Reſponſa dubia ſorte perplexâ latent.*
OED. *Dubiam ſalutem qui dat afflictis, negat.*
CRE. *Ambage nexa Delphico mos eſt Deo*
Arcana tegere. OED. *Fare; ſit dubium licet:*
Ambigua ſoli noſcere OEdipodæ datur.
CRE. CÆDEM EXPIARI REGIAM EXILIO DEVS,
ET INTEREMTVM LAÏVM VLCISCI IVBET.
NON ANTE COELO LVCIDVS CVRRET DIES,
HAVSTVSQVE TVTOS ÆTHERIS PVRI DABIT.
OED. *Ecquis peremptor inclyti regis fuit?*
Quem memoret, ede, Phœbus; vt pœnas luat.
CRE. *Sit, precor, dixiſſe tutũ; viſu & auditu horridũ.*
Torpor inſedit per artus, frigidus ſanguis coit.
Vt ſacrata templa Phœbi ſupplici intravi pede,
Et pias, numen precatus, rite ſummiſi manus:
Gemina Parnaſſi nivalis arx trucem ſonitum dedit,
Imminens Phœbea laurus tremuit & movit domum,

Ac repente ſancta fontis lympha Caſtalij ſtetit.
Incipit Lethæa vates ſpargere horrentes comas,
Et pati commota Phœbum. contigit nondum ſpecum,
Emicat vaſto fragore maior humano ſonus:

MITIA CADMEIS REMEABVNT SIDERA THEBIS,
SI PROFVGVS DIRCEN ISMENIDA LIQVERIS HOSPES,
REGIS CEDE NOCENS, PHOEBO IAM NOTVS ET INFANS.
NEC TIBI LONGA MANENT SCELERATÆ GAVDIA CAEDIS
TECVM BELLA GERES; GNATIS QVOQ. BELLA RELINQVES;
TVRPIS MATERNOS ITERVM REVOLVTVS IN ORTVS.

OED. *Quod facere monitu cœlitum iuſſus paro,*
Functi cineribus regis hoc decuit dari,
Ne ſancta quiſquam ſceptra violaret dolo.
Regi tuenda maxime regum eſt ſalus.
Queritur peremptum nemo, quem incolumem timet.
CRE. *Curam perempti maior excuſſit timor.*
OED. *Pium prohibuit vllus officium metus?*
CRE. *Prohibent nefandi carminis triſtes minæ.*
OED. *Nunc expietur numinum imperio ſcelus.*
Quiſquis deorum regna placatus vides;
Tu, tu, penes quem iura præcipitis poli;
Tuque, ô ſereni maximum mundi decus,
Bis ſena curſu ſigna qui vario regis,
Qui tarda celeri ſecula evolvis rota;
Sororque fratri ſemper occurrens tuo,
Noctivaga Phœbe; quique ventorum potens
Æquor per altum cœrulos currus agis;
Et qui carentes luce diſponis domos,
Adeſte. cuius Laïus dextra occidit,
Hunc non quietum tecta, non fidi lares,
Non hoſpitalis exulem tellus ferat.
Thalamis pudendis doleat & prole impia.

Hic & parentem dextera perimat ſua;
Faciatque (num quid gravius optari poteſt?)
Quidquid ego fugi. non erit veniæ locus.
Per regna iuro, quæque nunc hoſpes rego,
Et quæ reliqui; perque Penetrales deos:
Per te, pater Neptune, qui fluctu brevi
Utrimque noſtro geminus alludis ſolo.
Et ipſe noſtris vocibus teſtis veni
Fatidica vatis ora Cirrhéæ movens.
Ita molle ſenium ducat, & ſummum diem
Securus alto degat in ſolio parens,
Solaſque Merope noverit Polybi faces,
Ut nulla ſontem gratia eripiet mihi.
Sed quo nefaſtum facinus admiſſum loco eſt,
Memorato. aperto Marte, an inſidiis iacet?
CRE. *Frondifera ſanctæ nemora Caſtaliæ petens,*
Calcavit altis obſitum dumis iter;
Trigemina qua ſe ſpargit in campos via.
Secat vna gratum Phocidos Baccho ſolum,
Vnde altus ima deſerit, cœlum petens
Clementer acto colle, Parnaſſus biceps.
At vna bimares Siſyphi terras adit,
Olenia in arva. tertius trames cava
Convalle ſerpens tangit errantes aquas,
Gelidumque dirimit amnis Elei vadum.
Hic pace fretum ſubita prædonum manus
Aggreſſa ferro facinus occultum tulit.
In tempore ipſo, ſorte Phœbea excitus,
Tireſia tremulo tardus accelerat gradus,
Comeſque Manto luce viduatum trahens.

OEDIPVS. TIRESIAS. MANTO.

OED. *Sacrate Divis, proximum Phœbo caput,*
Reſponſa ſolve; fare, quem pœnæ petant.
TIR. *Quod tardo fatum, lingua quod quærit moras,*
Haud te quidem, magnanime, mirari addecet;
Viſu carentem magna pars veri latet.
Sed quo vocat me patria, quo Phœbus, ſequar.
Fata eruantur. ſi foret viridis mihi
Caliduſque ſanguis, pectore excuterem Deum.
Appellite aris candidum tergo bovem,
Curvoque numquam colla depreſſum iugo.
Tu, lucis inopem, gnata, genitorem regens,
Manifeſta ſacri ſigna fatidici refer.
MAN. *Opima ſanctas victima ante aras ſtetit.*
TIR. *In vota ſuperos voce ſolenni voca,*
Araſque dono thuris Eoi extrue.
MAN. *Iam thura ſacris cœlitum ingeſti focis.*
TIR. *Quid flamma, largas jamne comprendit dapes?*
MAN. *Subito refulſit lumen, & ſubito occidit.*
TIR. *Virumne clarus ignis, & viridis ſtetit,*
Rectuſque purum verticem cœlo tulit,
Et ſummam in auras fuſus explicuit comam?
An latera circa ſerpit incertus via,
Et fluctuante turbidus fumo labat?
MAN. *Non una facies mobilis flammæ fuit:*
Imbrifera qualis implicat varios ſibi
Iris colores, parte quæ magna poli
Curvata picto nunciat vimbos ſinu.
Quis deſit illi, quiſve ſit dubites color.
Cærulea fulvis miſta oberravit notis,
Sanguinea rurſus; vltimum in tenebras abit.

Sed

Sed ecce pugnax ignis in partes duas
Discedit, & se scindit vnius sacri
Discors favilla. genitor, horresco intuens,
Libata Bacchi dona permutat cruor,
Ambitque densus regium fumus caput.
Ipsoque circa spissior vultus sedet,
Et nube densa sordidam lucem abdidit.
Quid sit, parens, effare. TIR. *Quid fari queam*
Inter tumultus mentis attonitæ vagos?
Quidnam loquar? sunt dira, sed in alto, mala.
Solet ira certis numinum ostendi notis.
Quid istud est, quod esse prolatum volunt,
Iterumque nolunt, & truces iras tegunt?
Pudet Deos nescio quid. huc propere admove,
Et sparge falsâ colla taurorum mola.
Placidóne vultu sacra & admotas manus
Patiuntur? MAN. *Altum taurus attollens caput,*
Primos ad ortus positus, expavit diem;
Trepiduſque vultum solis & radios fugit.
TIR. *Vnóne terram vulnere afflicti petunt?*
MAN. *Iuvenca ferro semet imposito induit,*
Et vulnere vno cecidit: at taurus, duos
Perpessus ictus huc & huc dubius ruit,
Animamque fessus vix reluctantem exprimit.
TIR. *Vtrum citatus vulnere angusto micat,*
An lentus altas irrigat plagas cruor?
MAN. *Huius per ipsam, qua patet pectus, viam*
Effusus amnis: huius exiguo graves
Maculantur ictus imbre. sed versus retro
Per ora multus sanguis atque oculos redit.
TIR. *Infausta magnos sacra terrores cient.*
Sed ede certas viscerum nobis notas.

MAN.

MAN. *Genitor, quid hoc est? non levi motu, ut solent,*
Agitata trepidant exta; sed totas manus
Quatiunt: novusque prosilit venis cruor.
Cor marcet ægrum penitus, ac mersum latet:
Liventque venæ; magna pars fibris abest;
Et felle nigro tabidum spumat iecur.
Ac, semper omen unico imperio grave,
En capita paribus bina consurgunt toris;
Sed utrumque casum tenuis abscondit caput
Membrana latebram rebus occultis negans.
Hostile valido robore insurgit latus,
Septemque venas tendit. has omnes retro
Prohibens reverti limes obliquus secat.
Mutatus ordo est. sede nil propria iacet;
Sed acta retro cuncta. non animæ capax
In parte dextra pulmo sanguineus iacet.
Non læva cordis regio. non molli ambitu
Omenta pingues visceri obtendunt sinus.
Natura versa est. nulla lex utero manet.
Scrutemur unde tantus hic extis rigor.
Quod hoc nefas? conceptus innuptæ bovis,
Nec more solito positus, alieno in loco
Implet parentem. membra cum gemitu movet:
Tremulo rigore debiles artus micant.
Infecit atras lividus fibras cruor;
Tentantque turpes mobilem trunci gradum:
Et inane surgit corpus. ac sacros petit
Cornu ministros. viscera effugiunt manum.
Neque ipsa, quæ te pepulit, armenti gravis
Vox est, nec usquam territi resonant greges:
Immugit ara segnis, & crepitant foci.
OED. *Quid ista sacri signa terrifici ferant,*

Expor-

Exprome: voces aure non timida hauriam.
Solent ſuprema facere ſecuros mala.
TIR. *His invidebis, quibus opem quæris, malis.*
OED. *Memora, quod vnum ſcire cœlicolæ volunt,*
Contaminarit rege quis cæſo manus.
TIR. *Nec alta cœli penna quæ lævi ſecat,*
Nec fibra vivis rapta pectoribus poteſt
Ciere nomen. alia tentanda eſt via.
Ipſe evocandus noctis æternæ plagis
Emiſſus Erebo, vt cædis auctorem indicet.
Reſeranda tellus, Ditis implacabile
Numen precandum. populus infernæ Stygis
Huc extrahendus. ede, cui mandes ſacrum.
Nam te, penes quem ſumma regnorum eſt, nefas
Inviſere vmbras. OED. *Te Creo hic poſcit labor,*
Ad quem ſecundum regna reſpiciunt mea.
TIR. *Dum nos profundæ clauſtra laxamus Stygis,*
Populare Bacchi laudibus carmen ſonet.

CHORVS.

Effuſam redimite comam nutante corymbo,
Lucidum cœli decus, huc ades votis,
Mollia Niſæis armatæ brachia thyrſis,
Quæ tibi nobiles Thebæ, Bacche, tuæ
Palmis ſupplicibus ferunt.
Huc adverte favens virgineum caput.
Vultu ſidereo diſcute nubila,
Et triſtes Erebi minas,
Avidumque fatum.
Te decet vernis comam floribus cingi,
Te caput Tyria cohibere mitra;
Ederave mollem baccifera

Religare frontem.
Spargere effusos sine lege crines,
Rursus adducto revocare nodo.
Qualis iratam metuens novercam
Crebras falsos imitatus artus,
Crine flaventi simulata virgo,
Lutcam vestem retinente zona.
Vnde tam molles placuere cultus,
Et sinus laxi, fluidumque syrma?
Vidit aurato residere curru,
Veste cum longa tegeres leones,
Omnis Eoæ plaga vasta terræ?
Qui bibit Gangem, nivemmque quisquis
Frangit Araxem.
Te senior turpi sequitur Silenus asello,
Turgida pampineis redimitus tempora sertis.
Condita lascivi deducunt orgia mysta.
Te Bassaridum comitata cohors,
Nunc Edonil pede pulsavit
Sola Pangæi; nunc Threicio.
Vertice Pindi; nunc Cadmeas
Inter matres impia Mænas
Comes Ogygio venit Iacchо,
Nebride sacra præcincta latus.
Tibi commotæ pectora matres
Fudere comam: thyrsumque levem
Vibrante manu, iam post laceros
Pentheos artus Thyades æstro
Membra remissæ, velut ignotum
Videre nefas.
Ponti regna tenet nitidi matertera Bacchi,
Nereidumque choris Cadmeia cingitur Ino.

Ius habet in fluctus magni puer advena ponti
Cognatus Bacchi, numen non vile, Palæmon.
Te Tyrrhena puer rapuit manus,
Et tumidum Nereus posuit mare,
Cærula cum pratis mutat freta.
Hinc verno platanus folio viret,
Et Phœbo laurus carum nemus:
Garrula per ramos avis obstrepit.
Vivaces ederas remus tenet.
Summa ligat vitis carchesia.
Idæus prora fremuit leo.
Tigris puppe sedet Gangetica.
Tum pirata freto pavidus natat,
Et nova demersos facies habet.
Brachia prima cadunt prædonibus,
Illisumque utero pectus coit.
Parvula dependet lateri manus,
Et dorso fluctum curvo subit:
Lunata scindit cauda mare,
Et sequitur curvus fugientia carbasa delphin.
Divite Pactolus vexit te Lydius unda,
Aurea torrenti deducens flumina ripa.
Laxavit victos arcus Geticasque sagittas
Lactea Massagetes qui pocula sanguine miscet,
Regna securigeri Bacchum sensere Lycurgi.
Sensere terræ te Dacûm feroces:
Et quos vicinus Boreas ferit
Arva mutantes: quasque Mæotis
Alluit gentes frigida fluctu:
Quasque despectat vertice summo
Sidus Arcadium, geminumque plaustrum.
Ille dispersos domuit Gelonos:

Arma detraxit trucibus puellis :
Ore deiecto petiere terram
Thermodontiacæ graves catervæ;
Positis tandem levibus sagittis,
Mites factæ. sacer & Cithæron
Sanguine inundavit,
Ophioniaque cæde.
Prætides silvas petiere & agros.
Præsidem Bacchum coluit noverca.
Naxos Ægæo redimita ponto
Tradidit thalamis virginem relictam,
Meliore pensans damna marito.
Pumice sicco
Fluxit Nictileus latex.
Garruli gramen secuere rivi,
Combibit dulces humus alta succos,
Niveique lactis candida fontes
Et mista odoro Lesbia cum thymo.
Ducitur magno nova nupta cœlo.
Solenne Phœbus carmen
Edit infusis humero capillis.
Concutit tedas geminus Cupido.
Telum deposuit Iuppiter igneum,
Oditque Baccho veniente fulmen.
Lucida dum current annosi sidera mundi,
Oceanus clausum dum fluctibus ambiet orbem;
Lunaque dimissos dum plena recolliget ignes;
Dum matutinos prædicet Lucifer ortus;
Altaque cæruleum dum Nerea nesciet Arctos;
Candida formosi venerabimur ora Lyæi.

ACTVS

ACTVS TERTIVS.

OEDIPVS. CREON.

OED. ET ſi ipſe vultus flebiles præfert notas,
Expone cuius capite placemus deos.
CRE. *Fari iubes, tacere quæ ſuadet metus.*
OED. *Si te ruentes non ſatis Thebæ movent,*
At ſceptra moveant lapſa cognatæ domus.
CRE. *Neſciſſe cupies, noſſe quæ nimium expetis.*
OED. *Iners malorum remedium ignorantia eſt.*
Itane & ſalutis publicæ indicium obrues?
CRE. *Vbi turpis eſt medicina, ſanari piget.*
OED. *Audita fare; vel malo domitus gravi,*
Quid arma poſſint regis irati, ſcies.
CRE. *Odere reges dicta, quæ dici iubent.*
OED. *Mittéris Erebo vile pro cunctis caput,*
Arcana ſacri voce ni retegis tuâ.
CRE. *Tacere liceat. nulla libertas minor*
A rege petitur. OED. *Sæpe vel linguâ magis*
Regi atque regno muta libertas obeſt.
CRE. *Vbi non licet tacere, quid cuiquam licet?*
OED. *Imperia ſolvit, qui tacet, iußus loqui.*
CRE. *Coacta verba placidus accipias, precor.*
OED. *Vlline pœna vocis expreſſæ fuit?*
CRE. *Eſt procul ab vrbe lucus illicibus niger,*
Dircæa circa vallis irriguæ loca.
Cupreſſus altis exerens ſilvis caput
Virente ſemper alligat trunco nemus;
Curvosque tendit quercus & putres ſitu
Annoſa ramos. huius abrupit latus
Edax vetuſtas: illa iam feſſâ cadens

Radice, fulta pendet aliena trabe.
Amara baccis laurus; & tiliæ leves;
Et Paphia myrtus; & per immensum mare
Motura remos alnus; & Phœbo obvia
Enode Zephyris pinus opponens latus.
Medio stat ingens arbor, atque vmbra gravi
Silvas minores vrget; & magno ambitu
Diffusa ramis, vna defendit nemus.
Tristis sub illa lucis & Phœbi inscius
Restagnat humor, frigore æterno rigens.
Limosa nigrum circuit fontem palus.
Huc vt sacerdos intulit senior gradum,
Haud est moratus. præstitit noctem locus.
Tunc fossa tellus, & super rapti rogis
Iaciuntur ignes. ipse funesto integit
Vates amictu corpus, & frontem quatit.
Lugubris imos palla perfundit pedes.
Squallente cultu mœstus ingreditur senex.
Mortifera canam taxus astringit comam.
Nigro bidentes vellere atque atræ boves
Retro trahuntur. flamma prædatur dapes,
Vivumque trepidat igne ferali pecus.
Vocat inde Manes; teque, qui Manes regis,
Et obsidentem claustra letalis lacus:
Carmenque magicum voluit, & rabido minax
Decantat ore quidquid aut placat leves
Aut cogit vmbras. irrigat sanguis focos,
Solidasque pecudes vrit, & multo specum
Saturat cruore. libat & niveum insuper
Lactis liquorem; fundit & Bacchum manu
Lævâ, canitque rursus, & terram intuens,
Graviore Manes voce & attonita ciet.

Latravit Hecates turba. ter valles cavæ
Soniüere mœstum. tota succusso solo
Pulsata tellus. audior, vates ait,
Rata verba fudi. rumpitur cœcum chaos,
Iterque populo Ditis ad superos datur.
Subsedit omnis silva, & erexit comam,
Duxere rimas robora; & totum nemus
Concussit horror. terra se retro dedit,
Gemuitque penitus. sive tentari abditum
Acheron profundum mente non æqua tulit:
Sive ipsa tellus, vt daret functis viam,
Compage rupta sonuit: aut irâ furens
Triceps catenas Cerberus movit graves.
Subitò dehiscit terra, & immenso sinu
Laxata patuit. ipse pallentes deos
Vidi inter vmbras: ipse torpentes lacus
Noctemque veram. gelidus in venis stetit
Hæsitque sanguis. sæva prosiluit cohors,
Et stetit in armis omne vipereum genus
Fratrum, catervæ dente Dircæo satæ,
Avidumque populi Pestis Ogygij malum.
Tum torva Erinnys sonuit, & cœcus Furor,
Horrorque, & vna quidquid æternæ creant
Celantque tenebræ; Luctus evellens comam,
Ægreque lassum sustinens Morbus caput,
Gravis Senectus sibimet, & pendens Metus.
Nos liquit animus. ipsa, quæ ritus senis
Artesque norat, stupuit. intrepidus parens,
Audaxque damno, convocat Ditis feri
Exsangue vulgus: illico vt nebulæ leves
Volitant, & auras libero cœlo trahunt.
Non tot caducas Oeta frondes educat;

Nec vere flores Hybla tot medio creat.
Cum examen alto nectitur densum globo;
Fluctusque non tot frangit Ionium mare;
Nec tanta gelidi Strymonis fugiens minas
Permutat hiemes ales, & cœlum secans
Tepente Nilo pensat Arctoas nives:
Quot ille populos vatis eduxit sonus.
Pavidæ latebras nemoris vmbrosi petunt
Animæ trementes. primus emergit solo
Dextrâ ferocem cornibus taurum premens
Zethus; manuque sustinet lævâ chelym
Qui saxa dulci traxit Amphion sono.
Interque natos Tantalis tandem suos
Tutò superba fert caput fastu gravi,
Et numerat vmbras. peior hac genitrix adest
Furibunda Agaue; tota quam sequitur manus
Partita regem. sequitur & Bacchas lacer
Pentheus, tenetque sævus etiamnunc minas.
Tandem, vocatus sæpe, pudibundum extulit
Caput, atque ab omni desidet turba procul,
Celatque semet. instat & Stygias preces
Geminat sacerdos, donec in apertum efferat
Vultus opertos Laïus. fari horreo.
Stetit per artus sanguine effuso horridus,
Pædore fœdo squalidam obtectus comam,
Et ore rabido fatur: O Cadmi effera,
Cruore semper læta cognato domus,
Vibrate thyrsos. enthea gnatos manus
Lacerate potius. maximum Thebis scelus
Maternus amor est. patria, non irâ deûm
Sed scelere raperis. non gravi flatu tibi
Luctificus Auster, nec parum pluvio æthere

Satiata

Satiata tellus halitu ſicco nocet:
Sed rex cruentus; præmia, qui, ſævæ necis,
Sceptra, & nefandos occupat thalamos patris,
Inviſa proles. ſed tamen peior parens
Quam gnatus: vtero rurſus infauſto gravis,
Egit qui in ortus ſemet; & matri impios
Fetus regeſſit; quique nec mos eſt feris,
Fratres ſibi ipſe genuit: implicitum malum;
Magisque monſtrum Sphinge perplexum ſua.
Te te, cruenta ſceptra qui dextra geris,
Te pater inultus vrbe cum tota petam,
Et mecum Erinnŷs pronubas thalami traham,
Traham ſonantes verbera: inceſtam domum
Vertam, & Penates impio Marte obteram.
Proinde pulſum finibus regem ocius
Agite exulem. quodcumqne funeſto gradu
Solum relinquet, vere florifero virens
Reparabit herbas. ſpiritus puras dabit
Vitalis aura. veniet & ſilvis decor.
Letum, Luesque, Mors, Labor, Tabes, Dolor,
Comitatus illo dignus, excedent ſimul.
Et ipſe rapidis greſſibus ſedes volet
Effugere noſtras: ſed graves pedibus moras
Addam, & tenebo. repet incertus viæ,
Baculo ſenili triſte prætentans iter.
Præripite terras, auferam cœlum pater.
OED. *Et oſſa & artus gelidus invaſit tremor.*
Quidquid timebam facere, feciſſe arguor.
Tori iugalis abnuit Merope nefas
Sociata Polybo. ſoſpes abſolvit manus
Polybus meas. vterque defendit parens
Cædem, ſtuprumque. quis locus culpæ eſt ſuper?

Multo ante Thebæ Laïum amiſſum gemunt,
Bœota greſſu quam meo tetigi loca.
Falſus ne ſenior, an deus Thebis gravis?
Iamiam tenemus callidi ſocios doli.
Mentitur iſta præferens fraudi deos
Vates, tibique ſceptra deſpondet mea.
CR. *Egon' vt ſororem regia expelli velim?*
Si me fides ſacrata cognati laris
Non contineret in meo certum ſtatu;
Tamen ipſa me Fortuna terreret, nimis
Sollicita ſemper. liceat hoc tuto tibi
Exuere pondus, ne recedentem opprimat.
Jam te minore tutior pones loco.
OED. *Hortaris etiam, ſponte deponam vt meâ*
Tam gravia regna? CR. *Suadeam hoc illis ego,*
In vtrumque queîs eſt liber etiamnunc ſtatus.
Tibi iam neceſſe eſt ferre fortunam tuam.
OED. *Certiſſima eſt regnare cupienti via,*
*Laudare modica, & otiũ ac ſomnũ *ſequi.* * Al. loqui.
Ab inquieto ſæpe ſimulatur quies.
CR. *Parumne me tam longa defendit * dies?* * Al. fides.
OED. *Aditum nocendi perſido præſtat * dies.* * Al. fides.
CR. *Solutus onere regio, regni bonis*
Fruor, domusque civium cœtu viget;
Nec vlla vicibus ſurgit alternis dies,
Qua non propinqui munera ad noſtros lares
Sceptri redundent; cultus, opulentæ dapes.
Donata multis gratiâ noſtrâ ſalus.
Quid tam beatæ deeſſe fortunæ rear?
OED. *Quod res ſecundæ non habent vmquam modum.*
CR. *Incognitâ igitur vt nocens cauſa cadam?*
OED. *Num ratio vobis reddita eſt vitæ meæ?*

Num

Num audita causa est nostra Tiresiæ? tamen
Sontes videmur. facitis exemplum; sequor.
CR. *Quid si innocens sum?* OED. *Dubia pro certis solent*
Timere reges. CR. *Qui pavet vanos metus,*
Veros fatetur. OED. *Quisquis in culpa fuit,*
Dimissus odit omne, quod dubium putat.
CR. *Sic odia fiunt.* OED. *Odia qui nimium timet,*
Regnare nescit. regna custodit metus.
CR. *Qui sceptra duro sævus imperio regit,*
Timet timentes. metus in auctorem redit.
OED. *Servate sontem saxeo inclusum specu:*
Ipse ad penates regios referam gradum.

CHORVS.

Non tu tantis causa periclis,
Non hæc Labdacidas premunt
Fata: sed veteres deûm
Iræ sequuntur. Castalium nemus
Vmbram Sidonio præbuit hospiti,
Lavitque Dirce Tyrios colonos:
Vt primùm magni natus Agenoris,
Fessus per orbem furta sequi Iovis,
Sub nostræ ramis constitit arboris,
Prædonem numerans suum;
Monituque Phœbi, iussus erranti
Comes ire vaccæ, quam non flexerat
Vomer, aut tardi iuga curva plaustri,
Deseruit fugas, nomenque genti
Inauspicata de bove tradidit.
Tempore ex illo nova monstra semper
Protulit tellus. aut anguis imis
Vallibus editus, annosa supra

Robora ſibilat, ſupraque pinus,
Supra Chaonias celſior arbores
Cæruleum erexit caput,
Cum maiore ſui parte recumberet,
Aut feta tellus impio partu
Effudit arma.
Sonuit reflexo claſſicum cornu,
Lituuſque adunco ſtridulos cantus
Eliſit ære. ante non linguas
Alias, & arma vocis ignotæ
Clamore primum hoſtico experti,
Agmina campos cognata tenent.
Dignaque iacto ſemine proles
Vno ætatem permenſa die,
Poſt Luciferi nata meatus,
Ante Heſperios occidit ortus.
Horret tantis advena monſtris
Populique timet bella recentis:
Donec cecidit ſæva iuventus;
Genitrixque ſuo reddi gremio
Modò productos vidit alumnos.
Hac tranſierit civile nefas.
Herculeæ norint Thebæ
Prælia fratrum.
Quid Cadmei fata nepotis,
Cum vivacis cornua cervi
Frontem ramis texere novis,
Dominumque canes egere ſuum?
Præceps ſilvas monteſque fugit
Citus Actæon, agilique magis
Pede per ſaltus & ſaxa vagus
Metuit motas Zephyris plumas,

Et, quæ posuit, retia vitat:
Donec placidi fontis in vnda
Cornua vidit vultusque feros,
Vbi virgineos foverat artus
Nimium sævi Diva pudoris.

ACTVS QVARTVS.

OEDIPVS. IOCASTA.

OED. *CVras revolvit animus, & repetit metus.*
Obijsse nostro Laïum scelere autumant
Superi inferique, sed animus contra innocens,
Sibique melius quam deis notus, negat.
Redit memoria tenue per vestigium
Cecidisse nostri stipitis pulsu obvium
Datumque Diti, cum prior iuvenem senex
Curru superbus pelleret, Thebis procul,
Phocæa trifidas regio quà scindit vias.
Vnanima coniux, explica errorem precor,
Quæ spatia moriens Laïus vitæ tulit.
Primóne in ævo viridis, an fracto occidit?
IOC. *Inter senem iuvenemque; sed propior seni.*
OED. *Frequensne turba regium cinxit latus?*
IOC. *Plures fefellit error, ancipitis viæ;*
Paucos fidelis curribus iunxit labor.
OED. *Aliquisne cecidit regio fato comes?*
IOC. *Vnum fides virtusque consortem addidit.*
OED. *Teneo nocentem. convenit numerus, locus.*
Sed tempus adde. IOC. *Decima iam metitur seges.*

SENEX. OEDIPVS.

SEN. *Corinthius te populus in regnum vocat*
Patrium.

Patrium. quietem Polybus æternam obtinet
OED. *Vt vndique in me ſæva Fortuna irruit?*
Ediſſere agedum, quo cadat fato parens.
SEN. *Animam ſenilem mollis exſolvit ſopor.*
OED. *Genitor ſine vlla cæde defunctus iacet.*
Testor, licet iam tollere ad cœlum pie
Puras nec vlla ſcelera metuentes manus.
Sed pars magis metuenda fatorum manet.
SEN. *Omnem paterna regna diſcutiunt metum.*
OED. *Repetam paterna regna, ſed matrem horreo.*
SEN. *Metuis parentem, quæ tuum reditum expetens*
Sollicita pendet? OED. *Ipſa me pietas fugat.*
SEN. *Viduam relinques?* OED. *Tangis, en, ipſos metus.*
SEN. *Effare, merſus quis premat mentem timor.*
Præſtare tacitam regibus ſoleo fidem.
OED. *Connubia matris Delphico monitu tremo.*
SEN. *Timere vana deſine, & turpes metus*
Depone. Merope vera non fuerat parens.
OED. *Quod ſubditivi præmium gnati petiit?*
SEN. *Regnum. ſuperbum liberi adſtringunt fidem.*
OED. *Secreta thalami, fare, quo excipias modo.*
SEN. *Hæ te parenti parvulum tradunt manus.*
OED. *Tu me parenti tradis? at quis me tibi?*
SEN. *Paſtor nivoſo ſub Citharonis iugo.*
OED. *In illa temet nemora quis caſus tulit?*
SEN. *Illo ſequebar monte cornigeros greges.*
OED. *Nunc adice certas corporis noſtri notas.*
SEN. *Forata ferro geſſeras veſtigia,*
Tumore nactus nomen ac vitio pedum.
OED. *Quis fuerit ille, qui meum dono dedit*
Corpus, requiro. SEN. *Regios pavit greges.*
Minor ſub illo turba paſtorum fuit.

OED. *Eloquere nomen.* SEN. *Prima langueſcit ſenum*
Memoria, longo laſſa ſublabens ſitu.
OED. *Potesne facie noſcere ac vultu virum?*
SEN. *Fortaſſe noſcam. ſæpe iam ſpatio obrutam,*
Levis exoletam memoriam revocat nota.
OED. *Ad ſacra & aras omne compulſum pecus*
Duces ſequantur. ite propere, accerſite,
Famuli, penes quos ſumma conſiſtit gregum.
SEN. *Sive iſta ratio, ſive fortuna occulit,*
Latere ſemper patere quod latuit diu.
Sæpe eruentis veritas patuit malo.
OED. *Malum timeri maius his aliquod poteſt?*
SEN. *Magnum eſſe, magna mole quod petitur, ſcias.*
Concurrit illinc publica, hinc regis ſalus,
Utrimque patria. contine medias manus,
Vt nil laceſſas, ipſa ſe fata explicant.
Non expedit concutere felicem ſtatum.
OED. *Tutò movetur quidquid extremo in loco eſt.*
SEN. *Nobilius aliquid genere regali appetis?*
Ne te parentis pigeat inventi, vide.
OED. *Nec pœnitendi ſanguinis quæram fidem.*
Sed noſſe certum eſt. ecce, grandævus ſenex,
Arbitria ſub quo regii fuerant gregis,
Phorbas. refersne nomen aut vultum ſenis?
SEN. *Arridet animo forma. nec notus ſatis,*
Nec rurſus iſte vultus ignotus mihi.
Regnum obtinente Laïo famulus greges
Agitaſti opimos ſub Cithæronis plaga?

PHORBAS. SENEX. OEDIPVS.

PHOR. *Lætus Cithæron pabulo ſemper novo*
Æſtiva noſtro prata ſummittit gregi.

NVN.

SEN. *Noſcis ne memet?* PHO. *Dubitat anceps memoria.*
OED. *Huic aliquis à te traditur quondam puer?*
Effare. dubitas? cur genas mutat color?
Quid verba quæris? veritas odit moras.
PHOR. *Obducta longo temporum tractu moves.*
OED. *Fatere, ne te cogat ad nervum dolor.*
PHOR. *Inutile iſti munus infantem dedi.*
Non potuit ille luce, non cœlo frui.
SEN. *Procul ſit omen. vivit, & vivat precor.*
OED. *Supereſſe quare tradutum infantem negas?*
PHOR. *Ferrum per ambos tenue tranſactum pedes*
Ligabat artus. vulneri innatus tumor
Puerile fœda corpus vrebat lue.
SEN. *Quid quæris vltra? fata iam accedunt prope.*
OED. *Quis fuerit infans, edoce.* PHOR. *Prohibet fides.*
OED. *Huc aliquis ignem. flamma iam excutiet fidem.*
Per tam cruentas vera quærenti vias
Ignoſce quæſo, ſi ferus videor tibi,
Et impotens. PHOR. *Iam parta vindicta in manu eſt.*
OED. *Dic vera. quisnam, quove generatus patre,*
Qua matre genitus? PHOR. *Coniuge eſt genitus tua.*
OED. *Debiſce tellus. tuque tenebrarum potens,*
In Tartara ima, rector vmbrarum, rape
Retro reverſas generis ac ſtirpis vices.
Congerite, cives, ſaxa in infeſtum caput.
Mactate telis. me petat ferro parens;
Me natus. in me coniuges arment manus,
Fratreſque; & æger populus ereptos rogis
Iaculetur ignes. ſæculi crimen vagor,
Odium deorum, iuris exitium ſacri;
Qua luce primum ſpiritus hauſi rudes,
Iam morte dignus. redde nunc animos, parens.

Nunc

Nunc aliquid aude ſceleribus dignum tuis.
I, perge, propero regiam curſu pete.
*Gratare matri, liberis * auctа domo.* *Al. auctam domũ.

CHORVS.

Fata ſi liceat mihi
Fingere arbitrio meo,
Temperem Zephyro levi
Vela, ne preſſæ gravi
Spiritu antennæ tremant.
Lenis & modicum fluens
Aura, nec vergens latus,
Ducat intrepidam ratem.
Tuta me mediâ vehat
Vita decurrens viâ.
Cnoſſium regem timens:
Alta dum demens petit,
Artibus fidens novis,
Certat & veras aves
Vincere, ac falſis nimis
Imperat pennis puer,
** Abſtulit nomen freto.* * Al. Nomen eripuit f.
Callidus medium ſenex
Dædalus librans iter
Nube ſub media ſtetit,
Alitem exſpectans ſuam:
Qualis accipitris minas
Fugit, & ſparſos metu
Colligit fetus avis:
Donec in ponto manus
Movit implicitas puer,
Comes audacis viæ.
Quidquid exceſſit modum

Pendet

Pendet instabili loco.
Sed quid hoc? postes sonant.
Mœstus & famulus manu
Regius quassant caput.
Ede, quid portes novi.

ACTVS QVINTVS.

NVNCIVS.

PRædicta postquam fata, & infandum genus
Deprendit, ac se scelere convictum OEdipus
Damnavit ipse; regiam infestus petens
Invisa propero tecta penetravit gradu;
Qualis per arva Libycus insanit leo,
Fulvam minaci fronte concutiens iubam:
Vultus furore torvus, atque oculi truces,
Gemitus, & altum murmur, & gelidus fluit
Sudor per artus. spumat, & volvit minas,
Ac mersus alte magnus exundat dolor.
Secum ipse sævus grande nescio quid parat;
Suisque fatis simile. Quid pœnas morer?
Vt hoc scelestum pectus aut ferro petat,
Aut fervido aliquis igne vel saxo domet?
Quæ tigris, aut quæ sæva visceribus meis
Incurret ales? ipse tu scelerum capax
Sacer Cithæron, vel feras in me tuis
Emitte silvis, mitte vel rabidos canes.
Nunc redde Agauen. anime, quid mortem times?
Mors innocentem sola fortunæ eripit.
Hæc fatus, aptat impiam capulo manum,
Ensemque ducit. Itane tam magnis breves
Pœnas sceleribus solvis? atque uno omnia

Pensa-

Pensabis ictu? moreris? hoc patri sat est.
Quid deinde matri? quid male in lucem editis
Gnatis? quid ipsi, quæ tuum magnâ luit
Scelus ruinâ, flebili patriæ dabis?
Solvenda non est illa quæ leges ratas
Natura in vno vertit OEdipode, novos
Commenta partus. suppliciis eadem meis
Novetur. iterum vivere, atque iterum mori
Liceat; renasci semper: vt toties nova
Supplicia pendas. vtere ingenio miser.
Quod sæpe fieri non potest, fiat diu.
Mors eligatur longa. quæratur via,
Qua nec sepultis mistus, & vivis tamen
Exemptus erres. morere, sed citra patrem.
Cunctaris, anime? subitus an vultus gravas
Profusus imber, ac rigat fletu genas?
Et flere satis est? hactenus fundent levem
Oculi liquorem. sedibus pulsi suis
Lachrimas sequantur. hi maritales statim
Fodiantur oculi. dixit, atque irâ furit.
Ardent minaces igne truculento genæ;
Oculique vix se sedibus retinent suis.
Violentus, audax, mutus, iratus, ferox.
Tantum cruentus gemuit; & dirum fremens
Manûs in ora torsit. at contra truces
Oculi steterunt, & suam intenti manum
Vltro insequuntur. vulneri occurrunt suo.
Scrutatur avidus manibus vncis lumina.
Radice ab ima funditus vulsos simul
Evolvit orbes. hæret in vacuo manus,
Et fixa penitus vnguibus lacerat cavos
Alte recessus luminum, & inanes sinus;

Sævitque frustra, plusque quam sat est furit;
Tantum est periclum lucis. attollit caput,
Cavisque lustrans orbibus cœli plagas,
Noctem experitur. quidquid effossis male
Dependet ōculis, rumpit; & victor deos
Conclamat omnes: Parcite (heu) patriæ, precor:
Iam iussa feci. debitas pœnas tuli.
Inventa thalamis digna nox tandem meis.
Rigat ora fœdus imber, & lacerum caput
Largum revulsis sanguinem venis vomit.

CHORVS.

Fatis agimur. cedite Fatis.
Non sollicitæ possunt curæ
Mutare rati stamina fusi.
Quidquid patimur mortale genus,
Quidquid facimus, venit ex alto:
Servatque suæ decreta colûs
Lachesis. durâ revoluta manu
Omnia certo tramite vadunt.
Primusque dies dedit extremum.
Non illa deo vertisse licet,
Quæ nexa suis currunt causis.
It cuique ratus, prece non vlla
Mobilis, ordo. multis ipsum
Timuisse nocet. multi ad fatum
Venêre suum, dum fata timent.
Sonüere fores, atque ipse suum
Duce non vllo molitur iter
Luminis orbus.

OEDIPVS. CHORVS. IOCASTA.

OED. *Bene habet, peractum est. iusta persolvi patri.*

Iuvant

Iuvant tenebræ. quis deus tandem mihi
Placatus atra nube perfundit caput?
Quis ſcelera donat? conſcium evaſi diem.
Nil, parricida, dexteræ debes tuæ.
Lux te refugit. vultus Oedipodem hic decet.
CHO. *En ecce, rapido ſæva proſiluit gradu*
Iocaſta vecors: qualis attonita & furens
Cadmea mater abſtulit gnato caput,
Senſim ve raptum traxit. afflictum alloqui
Cupit, pavetque. iam malis ceſſit pudor.
IOC. *Cupiunt, ſed hærent ora. nam quid te vocem?*
Gnatumne? dubitas? gnatus es. gnatum pudet?
Immitis oro, gnate, qui avertis caput,
Vacuosq; vultus? OED. *Quis frui & tenebris vetat?*
Quis reddit oculos? matris (heu) matris ſonus.
Perdidimus operam. congredi fas amplius
Haud eſt. neſandos dividat vaſtum mare,
Dirimatque tellus abdita: & quiſquis ſub hoc
In alia verſus ſidera, ac ſolem avium
Dependet orbis, alterum ex nobis ferat.
IOC. *Fati iſta culpa eſt. nemo fit fato nocens.*
OED. *Iam parce verbis, mater, & parce auribus,*
Per has reliquias corporis trunci precor,
Per inauſpicatum ſanguinis pignus mei,
Per omne noſtri nominis fas & nefas.
IOC. *Quid, anime, torpes? ſocia cur ſcelerum dare*
Pœnas recuſas? omne confuſum perit,
Inceſta, per te iuris humani decus.
Morere, ac neſaſtum ſpiritum ferro exige.
Non ſi ipſe mundum concitans divûm ſator
Coruſca ſævâ tela iaculetur manu,
Vmquam rependam ſceleribus pœnas pares

Mater nefanda. mors placet. mortis via
Quæratur. agedum, commoda matri manum,
Si parricida es. reſtat hoc operi vltimum.
Rapiatur enſis. hoc iacet ferro meus
Coniux. quid illum nomine haud vero vocas?
Socer eſt. vtrumne pectori infigam meo
Telum? an patenti conditum iugulo imprimam?
Eligere neſcis vulnus. hunc, dextra, hunc pete
Vterum capacem, qui virum & gnatum tulit.
CHO. *Iacet perempta. vulneri immoritur manus;*
Ferrumque ſecum nimius eiecit cruor.
OED. *Te fatidice, te præſidem veri Deum*
Compello. ſolum debui fatis patrem.
Bis parricida, pluſque quam timui nocens.
Matrem peremi. ſcelere confecta eſt meo.
O Phœbe mendax, fata ſuperavi impia.
Pavitante greſſu ſequere fallaces vias,
Suſpenſa plantis efferens veſtigia.
Cœcam tremente dexterâ noctem rege.
I, gradere præceps, lubricos ponens gradus.
I, profuge, vade. ſiſte, ne in matrem incidas.
Quicumque feſſi corpore & morbo graves
Semianima trahitis corpora, en fugio, exeo.
Relevate colla. mitior cœli ſtatus
Poſt terga ſequitur. quiſquis exilem iacens
Animam retentat, vividos hauſtus levis
Concipiat. ite, ferte depoſitis opem.
Mortifera mecum vitia terris extraho.
*Violenta fata, & horridus * mortis tremor,* * Al. morbi.
Maciesque, & atra peſtis, & rabidus dolor
Mecum ite, mecum. ducibus his vti libet.

FINIS.

L. AN.

L. ANNAEI SENECAE TROADES.

Dramatis Perſonæ.

HECVBA.
CHORVS TROADVM.
TALTHYBIVS.
AGAMEMNON.
CALCHAS.
HELENA.
POLYXENA,
PYRRHVS.
ANDROMACHA.
SENEX.
VLYSSES.
ASTYANAX.
NVNCIVS,
muta perſona.

ACTVS PRIMVS.

HECVBA.

QVicumque regno fidit, & magna potens
Dominatur aula, nec leves metuit deos,
Animumque rebus credulum lætis dedit;
Me videat, & te, Troia, non vnquam tulit
Documenta Fors maiora, quam fragili loco
Starent ſuperbi. columen everſum occidit
Pollentis Aſiæ, cœlitum egregius labor.
Ad cuius arma venit, & qui frigidum
Septena Tanain ora pandentem bibit;

Et qui renatum pronus excipiens diem
Tepidum rubenti Tigrin immiſcet freto;
Et quæ vagos vicina proſpiciens Scythas
Ripam catervis Ponticam viduis ferit;
Exciſa ferro eſt. Pergamum incubuit ſibi.
En alta muri decora congeſti iacent
Tectis aduſtis. regiam flammæ ambiunt;
Omnisque late fumat Aſſaraci domus.
Non prohibet avidas flamma victoris manus;
Diripitur ardens Troia. nec cœlum patet
Vndante fumo. nube ceu denſa obſitus,
Ater favillâ ſquallet Iliacâ dies.
Stat avidus ira victor, & lentum flium
Metitur oculis, ac decem tandem ferus
Ignoſcit annis. horret afflictam quoque;
Victamque quamvis videat, haud credit ſibi
Potuiſſe vinci. ſpolia populator rapit
Dardania. prædam mille non capiunt rates.
Teſtor deorum numen adverſum mihi;
Patriæque cineres; teque rectorem Phrygum,
Quem Troia toto conditum regno tegit,
Tuoſque manes, quo ſtetit ſtante flion;
Et vos meorum liberûm magni greges,
Vmbræ minores. quidquid adverſi accidit,
Quæcumque Phœbas ore lymphato furens,
Credi Deo vetante, prædixit mala,
Prior Hecuba vidi gravida, nec tacui metus,
Et vana vates ante Caſſandram fui.
Non cautus ignes Ithacus, aut Ithaci comes
Nocturnus in vos ſparſit, aut fallax Sinon.
Meus ignis iſte eſt. facibus ardetis meis.
Sed quid ruinas vrbis everſæ gemis

Vivax

Vivax ſenectus? reſpice infelix ad hos
Luctus recentes. Troia iam vetus eſt malum.
Vidi exſecrandum regiæ cædis nefas,
Ipſasque ad aras maius admiſſum ſcelus
Æacidis armis: cum ferox ſævâ manu
Coma reflectens regium torta caput,
Alto nefandum vulneri ferrum abdidit;
Quod penitus actum cum recepiſſet libens,
Enſis ſenili tinctus è iugulo rediit.
Placare quem non potuit à cæde effera
Mortalis ævi cardinem extremum premens;
Superique teſtes ſceleris; & quondam ſacrum
Regni iacentis. ille tot regum parens
Caret ſepulchro Priamus, & flamma indiget
Ardente Troia. non tamen ſuperis ſat eſt.
Dominum, ecce, Priami nuribus & natis legens
Sortitur vrna. præda quem vilis ſequar?
Hic Hectoris coniugia deſpondet ſibi;
Hic optat Heleni coniugem; hic Antenoris;
Nec deeſt tuos, Caſſandra, qui thalamos petat.
Mea ſors timetur. ſola ſum Danais metus.
Lamenta ceſſant? turba, captivæ, mea,
Ferite palmis pectora, & planctus date,
Et iuſta Troiæ facite. iamdudum ſonet
Fatalis Idæ iudicis diri domus.

CHORVS TROIADVM. HECVBA.

CHO. *Non rude vulgus, lacrimisque novum*
Lugere iubes. hoc continuis
Egimus annis, ex quo tetigit
Phrygius Graias hoſpes Amyclas,
Secuitque fretum pinus matri

Sacra Cybellæ.
Decies nivibus canuit Ide,
Ide noſtris nudata rogis;
Et Sigeis trepidus campis
Decies ſecuit meſſor ariſtas;
Vt nulla dies mœrore caret,
Sed nova fletus cauſa miniſtrat.
Ite ad planctus,
Miſeramque leva, regina, manum.
Vulgus dominam vile ſequemur.
Non indociles lugere ſumus.
HEC. *Fidæ caſus noſtri comites,*
Solvite crinem. per colla fluant
Mœſta capilli tepido Troiæ
Pulvere turpes. paret exertos
Turba lacertos. veſte remiſſa
Subſtringe ſinus, uteroque tenus
Pateant artus. cui coniugio
Pectora velas captive pudor?
Cingat tunicas palla ſolutas.
Vacet ad crebri verbera planctus
Furibunda manus. placet hic habitus.
Placet. agnoſco Troada turbam.
Iterum luctus redeant veteres.
Solitum flendi vincite morem.
Hectora flemus.
CHO. *Solvimus omnes*
Lacerum multo funere crinem.
Coma demiſſa eſt libera nodo;
Sparſitque cinis fervidus ora.
HEC. *Complete manus. hoc ex Troia*
Sumpſiſſe licet. cadat ex humeris

Veſtis

Veſtis apertis : vtrumque tegat
Suffulta latus. iam nuda vocant
Pectora dextras. nunc nunc vires
Exprome dolor tuas.
Rhœtea ſonent littora planctu.
Habitanſque cavis montibus Echo
Non, vt ſolita eſt, extrema brevis
Verba remittat: totos reddat
Troiæ gemitus. audiat omnis
Pontus, & æther. ſævite manus,
Pulſu vaſto tundite pectus.
Non ſum ſolito contenta ſono.
Hectora flemus.
CHO. *Tibi noſtra ferit dextra lacertos,*
Humeroſque ferit tibi ſanguineos.
Tibi noſtra caput dextera pulſat.
Tibi maternis vbera palmis
Laniata iacent. fluit, & multo
Sanguine manat, quamcunque tuo
Funere feci, rupta cicatrix.
Columen patriæ, mora fatorum,
Tu præſidium Phrygibus feſſis,
Tu murus eras ; humeriſque tuis
Stetit illa decem fulta per annos :
Tecum cecidit. ſummuſque dies
Hectoris idem patriæque fuit.
HEC. *Vertite planctus. Priamo veſtros*
Fundite fletus. ſatis Hector habet.
CHO. *Accipe fletus bis capte ſenex.*
Nil Troia ſemel te rege tulit.
Bis pulſata Dardana Graio
Mœnia ferro ; biſque pharetras

Passa Herculeæ. post elatos
Hecubæ partus, regumque rogos,
Postrema pater funera cludis;
Magnoque Jovi victima cæsus
Sigea premis littora truncus.
HEC. *Alio lacrimas flectite vestras.*
Non est Priami miseranda mei
Mors, Iliades. FELIX PRIAMVS
Dicite cunctæ, liber Manes
Vadit ad imos: nec feret unquam
Victa Graium cervice iugum.
Non ille duos vidit Atridas,
Nec fallacem cernit Ulyssem.
Non Argolici præda triumphi
Subiecta feret colla trophæis.
Non assuetas ad sceptra manus
Post terga dabit; curruque sequens
Agamemnonios, aurea dextrâ
Vincula gestans, lætis fiet
Pompa Mycenis. CHO. FELIX PRIAMVS
Dicimus omnes. secum excedens
Sua regna tulit. nunc Elysij
Nemoris tutis errat in umbris,
Interque pias felix animas
Hectora quærit. FELIX PRIAMVS!
Felix, quisquis bello moriens
Omnia secum consumpta videt!

ACTVS SECVNDVS.

TALTHYBIVS. CHORVS TROADVM.

TAL. *QVam longa Danais semper in portu mora,*

Seu

Seu petere bellum, petere ſeu patriam volunt.
CHO. *Quæ cauſa ratibus faciat & Danais moram,*
Effare; reduces quis deus cludat vias.
TAL. *Pavet animus. artus horridus quaßat tremor.*
Maiora veris monſtra vix capiunt fidem.
Vidi ipſe, vidi: ſumma iam Titan iuga
Stringebat. ortus vicerat noctem dies.
Cum ſubitò cœco terra mugitu fremens
Concuſſa, cœcos traxit ex imo ſonos.
Movêre ſilvæ capita, & excelſum nemus
Fragore vaſto tonuit, & lucus ſacer.
Idæa ruptis ſaxa ceciderunt iugis.
Nec ſola tellus tremuit: & pontus ſuum
Adeße Achillem ſenſit, ac ſtravit vada.
Tunc ſciſſa tellus aperit immenſos ſpecus;
Et hiatus Erebi pervium ad ſuperos iter
Tellure fracta præbet, ac tumulum levat.
Emicuit ingens vmbra Theßalici ducis;
Threïcia qualis arma proludens tuis
Iam, Troia, fatis ſtravit: aut Neptunium
Cana nitentem perculit iuvenem coma:
Aut cum inter acies Marte violento furens,
Corporibus amnes cluſit; & quærens iter
Tardus cruento Xanthus erravit vado:
Aut cum ſuperbo victor in curru ſtetit,
Egitque habenas, Hectorem & Troiam trahens:
Implevit omne littus irati ſonus,
Ite, ite inertes. debitos manibus meis
Auferte honores. ſolvite ingratas rates
Per noſtra ituri maria. non parvo luit
Iras Achillis Græcia. at magno luet.
Deſponſa noſtris cineribus Polyxena

Pyrrhi

Pyrrhi manu mactetur, & tumulum riget.
Hæc fatus alta voce, dimisit diem,
Repetensque Ditem, mersus ingentem specum
Coëunte terrâ iunxit. immoti iacent
Tranquilla pelagi. ventus abiecit minas,
Placidumque fluctu murmurat leni mare.
Triton ab alta cecinit hymenæon choro.

PYRRHVS. AGAMEMNON.
CALCHAS.

PYR. *Cum læta pelago vela rediturus dares,*
Excidit Achilles: cuius vnius manu
Impulsa Troia corruit tandem solo,
Brevi repensans quidquid adiecit moræ
Scyros, fretumque Lesbos Ægæum secans.
Illo remoto, dubia quo caderet, stetit.
Velis licet, quod petitur, ac properes dare;
Serò es daturus. iam suum cuncti duces
Tulere pretium. quæ minor merces potest
Tantæ dari virtuti? an is meruit parum,
Qui, fugere bellum iussus, & longa sedens
Ævum senecta degere, ac Pylij senis
Transcendere annos, exuens matris dolos,
Falsasque vestes: fassus est armis virum?
Inhospitali Telephus regno impotens
Dum Mysiæ ferocis introitus negat,
Rudem cruore regio dextram imbuit,
Fortemque eandem sensit & mitem manum.
Cecidere Thebæ. vidit Eetion capi
Sua regna victus. clade subversa est pari
Imposita celso parva Lyrnessos iugo;

Captã-

Captâque tellus nobilis Briſeide;
Et, cauſa litis regibus, Chryſe iacet;
Et nota fama Tenedos; & quæ paſcuo
Fecunda pingui Thracios mittit greges;
Et ſacra Phœbo Cilla. quid! quas alluit
Vernis Caycus gurgitem attollens aquis?
Hæc tanta clades gentium ac tantus pavor,
Sparſæ tot vrbes, turbinis vaſti modo,
Alterius eſſet gloria ac ſummum decus;
Iter eſt Achillis. ſic meus venit pater,
Et tanta geſſit bella, dum bellum parat.
Vt alia ſileam merita, non vnus ſatis
Hector fuiſſet? Ilium vicit pater,
Vos diruiſtis. inclitas laudes iuvat,
Et clara magni facta genitoris ſequi.
Iacuit peremptus Hector ante oculos patris,
Patruique Memnon, cuius ob luctum parens
Pallente mœſtum protulit vultu diem,
Suique victor operis exemplum horruit;
Didicitque Achilles & deâ natos mori,
Tum verſa Amazon vltimus cecidit timor.
Debes Achilli, merita ſi digne æſtimas,
Etſi Mycenis virginem atque Argis petat.
Dubitatur etiam? placita nec ſubito probas?
Priamique natam Pelei nato ferum
Mactare credis? at tuam natam parens
Helenæ immolaſti. ſolita iam & facta expeto.
AGA. *Iuvenile vitium eſt, regere non poſſe impetum.*
Ætatis alios feruor hic primæ rapit,
Pyrrhum paternus. ſpiritus quondam truces,
Minasque tumidi lentus Æacidæ tuli.
Quo plura poſſis, plura patienter feras.

Quid

Quid cæde dira nobilem clari ducis
Aſpergis vmbram? noſcere hoc primum decet,
Quid facere victor debeat, victus pati.
Violenta nemo imperia continuit diu:
Moderata durant. quoq; Fortuna altius
Evexit ac levavit humanas opes,
Hoc ſe magis ſupprimere felicem decet,
Variosque caſus tremere, metuentem deos
Nimium faventes. magna momento obrui
Vincendo didici. Troia nos tumidos facit
Nimium ac feroces. ſtamus hoc Danai loco,
Vnde illa cecidit. fateor, aliquando impotens
Regno ac ſuperbus, altius memet tuli:
Sed fregit illos ſpiritus hæc, quæ dare
Potuiſſet alij, cauſa, Fortunæ favor.
Tu me ſuperbum, Priame, tu timidum facis.
Ego eſſe quicquam ſceptra, niſi vano putem
Fulgore tectum nomen, & falſo comam
Vinclo decentem? caſus hæc rapiet brevis;
Nec mille forſan ratibus, aut annis decem.
Non omnibus Fortuna tam lenta imminet.
Equidem fatebor (pace dixiſſe hoc tuâ,
Argiva tellus, liceat) affligi Phrygas
Vincique volui. ruere, & æquari ſolo,
Etiam arcuiſſem. ſed regi frenis nequit
Et ira, & ardens hoſtis, & victoria
Commiſſa nocti. quidquid indignum aut ferum
Cuiquam videri potuit, hoc fecit dolor,
Tenebræque, per quas ipſe ſe irritat furor,
Gladiuſque felix, cuius infecti ſemel
Vecors libido eſt. quidquid everſæ poteſt
Supereſſe Troiæ, maneat. exactum ſatis

Pœnarum,

Pœnarum, & vltra eſt. regia vt virgo occidat,
Tumuloque donum detur, & cineres riget,
Et facinus atrox cædis vt thalamos vocem,
Non patiar. in me culpa cunctorum redit.
Qui non vetat peccare, cum poſsit, iubet.
PYR. *Nullumne Achillis præmium manes ferent?*
AGA. *Ferent; & illum laudibus cuncti canent;*
Magnumque terræ nomen ignotæ audient.
Quod ſi levatur ſanguine infuſo cinis,
Opima Phrygii colla cædantur gregis,
Fluatque nulli flebilis matri cruor.
Quis iſte mos eſt, quando in inferias homo eſt
Impenſus homini? detrahe invidiam tuo
Odiumque patri, quem coli pœna iubes.
PYR. *O tumide, rerum dum ſecundarum ſtatus*
Extollit animos; timide, cum increpuit metus:
Regum tyranne, iamne flammatum geris
Amore ſubito pectus, ac Veneris novæ?
Solusne toties ſpolia de nobis feres?
Hac dextra Achilli victimam reddam ſuam:
Quam ſi negas retinesque, maiorem dabo,
Dignamque quam det Pyrrhus. & nimium diu
A cæde noſtra regiâ ceſſat manus,
Paremque poſcit Priamus. AGA. *Haud equidem nego*
Hoc eſſe Pyrrhi maximum in bello decus,
Sævo peremptus enſe quod Priamus iacet,
Supplex paternus. PYR. *Supplices noſtri patris,*
Hoſtesque eoſdem novimus. Priamus tamen
Præſens rogavit. tu gravi pavidus metu
Nec ad rogandum fortis, Aiaci preces
Ithacoque mandas, cluſus, atque hoſtem tremens.
AGA. *At non timebat tunc tuus, fateor, parens,*

Interque

Interque cædes Græciæ, atque vstas rates,
Segnis iacebat, belli & armorum immemor,
Levi canoram verberans plectro chelym.
PYR. *Tunc magnus Hector, arma contemnens tua,*
Cantûs Achillis timuit: & tanto in metu
Navalibus pax alta Thessalicis fuit.
AGA. *Nempe iisdem in istis Thessalicis navalibus*
Pax alta rursus Hectoris patri fuit.
PYR. *Est regis alti, spiritum regi dare.*
AGA. *Cur dextra regi spiritum eripuit tua?*
PYR. *Mortem misericors sæpe pro vita dabit.*
AGA. *At nunc misericors virgines busto petis.*
PYR. *Jamne immolari virgines credis nefas?*
AGA. *Præferre patriam liberis regem decet.*
PYR. *Lex nulla capto parcit, aut pœnam impedit.*
AGA. *Quod non vetat lex, hoc vetat fieri pudor.*
PYR. *Quodcumque libuit facere victori, licet.*
AGA. *Minimum decet libere, cui multum licet.*
PYR. *His ista iactas quos decem annorum gravi*
Regno subactos Pyrrhus exsolvit iugo?
AG. *Hos Scyros animos?* PYR. *Scelere quæ fratrũ caret.*
AGA. *Inclusa fluctu.* PYR. *Nempe cognati maris.*
Atrei & Thyestæ nobilem novi domum.
AGA. *Ex virginis concepte furtivo stupro,*
Et ex Achille nate, sed nondum viro.
PYR. *Illo ex Achille, genere qui mundum suo*
Sparsus per omnem cœlitum regnum tenet,
Thetide æquor, vmbras Æaco, cœlum Iove.
AGA. *Illo ex Achille, qui manu Paridis iacet.*
PYR. *Quem nec deorum cominus quisquam petijt.*
AGA. *Compescere equidem verba, & audacem malo*
Poteram domare: sed meus captis quoque

Scit

Scit parcere ensis. potius interpres deûm
Calchas vocetur. fata si poscunt, dabo.
Tu qui Pelasgæ vincla solvisti rati,
Morasque bellis; arte qui reseras polum,
Cui viscerum secreta, cui mundi fragor,
Et stella longâ semitam flammâ trahens
Dant signa fati: cuius ingenti mihi
Mercede constant ora, quid iubeat Deus
Effare, Calcha, nosque consilio rege.
„ CAL. *Dant fata Danais, quo solent pretio, viam.*
„ *Mactanda virgo est Thessali busto ducis:*
„ *Sed quo iugari Thessalæ cultu solent,*
„ *Ionidesve, vel Mycenææ nurus.*
„ *Pyrrhus parenti coniugem tradat suo.*
„ *Sic rite dabitur. non tamen nostras tenet*
„ *Hæc una puppes causa. nobilior tuo,*
„ *Polyxene, cruore debetur cruor,*
„ *Quem fata quærunt: turre de summa cadat*
„ *Priami nepos Hectoreus, & letum oppetat.*
„ *Tum mille velis impleat classis freta.*

CHORVS TROADVM.

Verum est? an timidos fabula decipit,
Vmbras corporibus vivere conditis?
Cum coniux oculis imposuit manum,
Supremusque dies solibus obstitit,
Et tristes cineres vrna coërcuit:
Non prodest animam tradere funeri,
Sed restat miseris vivere longius?
An toti morimur? nullaque pars manet
Nostri; cum profugo spiritus halitu
Immistus nebulis cessit in aëra,

Et nudum tetigit ſubdita fax latus?
Quidquid Sol Oriens, quidquid & Occidens
Novit: cæruleis Oceanus fretis
Quidquid vel veniens vel fugiens lavat,
Ætas Pegaſeo corripiet gradu.
Quo biſſena volant ſidera turbine,
Quo curſu properat ſecula volvere
Aſtrorum dominus, quo properat modo
Obliquis Hecate currere flexibus;
Hoc omnes petimus fata: nec amplius,
Iuratos Superis qui tetigit lacus,
Uſquam eſt. vt calidis fumus ab ignibus
Vaneſcit ſpatium per breve ſordidus;
Vt nubes gravidas, quas modo vidimus,
Arctoi Boreæ diſſicit impetus;
Sic hic, quo regimur, ſpiritus effluet,
Poſt mortem nihil eſt, ipſaque mors nihil,
Velocis ſpatij meta noviſſima.
Spem ponant avidi; ſolliciti metum.
Quæris, quo iaceas poſt obitum loco?
Quo non nata iacent.
Tempus nos avidum devorat, & chaos.
Mors individua eſt, noxia corpori,
Nec parcens animæ. Tænara, & aſpero
Regnum ſub domino, limen & obſidens
Cuſtos non facili Cerberus oſtio,
Rumores vacui, verbaque inania,
Et par ſollicito fabula ſomnio.

ACTVS

ACTVS TERTIVS.

ANDROMACHA. SENEX. VLYSSES.

AND. *Quid mœsta, Phrygiæ, turba laceratis comas,*
Miserumque tunsæ pectus effuso genas
Fletu rigatis? levia perpessæ sumus,
Si flenda patimur. Ilium vobis modò,
Mihi cecidit olim, cum ferus curru incitò
Mea membra raperet, & gravi gemeret sonò
Peliacus axis pondere Hectoreo tremens.
Tunc obruta atque eversa Troïa concidit.
Torpens malis rigensque, sine sensu feror.
Jam erepta Danais coniugem sequerer meum,
Nisi hic teneret. hic meos animos domat,
Moriqúe prohibet. cogit hic aliquid deos
Adhuc rogare. tempus ærumnæ addidit.
Hic mihi malorum maximum fructum abstulit,
Nihil timere. prosperis rebus locus
Ereptus omnis: dira, qua veniant, habent.
Misserrimum est timere, cum speres nihil.
SEN. *Quis te repens commovit afflictam metus?*
AND. *Exoritur aliquod maius è magno malum.*
Nondum ruentis Ilij fatum stetit.
SEN. *Et quas reperiet, vt velit, clades deus?*
AND. *Stygij profundi claustra, & obscuri specus*
Laxantur: &, ne desit eversis metus,
Hostes ab imo conditi tumulo exeunt.
SEN. *Solisne retro pervium est Danais iter?*
Certe æqua mors est. AND. *turbat atque agitat Phrygas*
Communis iste terror. hic proprie meum
Exterrèt animum noctis horrendæ sopor.

SEN. *Quæ visa portent, effer in medium, metus.*
AND. *Partes ferè nox alma transierat duas,*
Clarumque septem verterant stellæ iugum:
Ignota tandem venit afflictæ quies,
Brevisque fessis somnus obrepsit genis;
Si somnus ille est mentis attonitæ stupor,
Cum subitò nostros Hector ante oculos stetit:
Non qualis vltro bella in Argivos ferens
Graias petebat facibus Idæis rates;
Nec cæde vastâ qualis in Danaos furens
Vera ex Achille spolia simulato tulit.
Non ille vultus flammeum intendens iubar,
Sed fessus ac deiectus, & fletu gravis,
Similisque nostro, squallida obtectus coma.
Iuvat tamen vidisse. tum quassans caput,
Depelle somnos, inquit, & natum eripe,
O fida coniux. lateat. hæc vna est salus.
Omitte fletus. Troia quod cecidit, gemis?
Vtinam iaceret tota! festina. amove
Quocunque nostræ parvulam stirpem domus.
Mihi gelidus horror ac tremor somnum excutit,
Oculosque nunc huc pavida nunc illuc ferens,
Oblita nati, misera quæsivi Hectorem.
Fallax per ipsos vmbra complexus abit.
O gnate, magni certa prognies patris,
Spes vna Phrygibus; vnica afflictæ domus,
Veterisque soboles sanguinis nimium incliti,
Nimiumque patri similis: hos vultus meus
Habebat Hector. talis incessu fuit,
Habituque talis. sic tulit fortes manus.
Sic celsus humeris, fronte sic torva minax,
Cervice fusam dissipans lata comam.

O nate,

O nate, ſerò Phrygibus, at matri citò
Eritne tempus illud, ac felix dies,
Quo Troïci defenſor & vindex ſoli,
Recidiva ponas Pergama, & ſparſos fugâ
Cives reducas? nomen & patriæ ſuum,
Phrygibusque reddas? Sed mei fati immemor,
Tam magna timeo vota. quod captis ſat eſt,
Vivamus. heu me, quis locus fidus meo
Erit timori? quave te ſede occulam?
Arx illa pollens opibus & muris deûm,
Gentes per omnes clara, & invidiæ capax,
Nunc pulvis altus. ſtrata ſunt flammâ omnia,
Supereſtque vaſta ex vrbe ne tantum quidem
Quo lateat infans. quem locum fraudi legam?
Eſt tumulus ingens coniugis cari ſacer,
Verendus hoſti, mole quem immenſa parens
Opibuſque magnis ſtruxit in luctus ſuos,
Rex non avarus. optime credam patri.
Sudor per artus frigidus totos cadit.
Omen tremiſco miſera feralis loci.
SEN. *Hæc cauſſa multos vna ab interitu arcuit;*
Credi periiſſe. vix ſpei quidquam eſt ſuper.
Grave pondus illum, magna nobilitas, premit.
AND. *Ne prodat aliquis.* SEN. *Amove teſtes doli.*
AND. *Si quæret hoſtis?* SEN. *vrbe in everſa periit.*
AND. *Quid proderit latuiſſe redituro in manus?*
SEN. *Victor feroces impetus primos habet.*
AND. *Quid? quod latere ſine metu magno nequit?*
SEN. *Miſer occupet præſidia, ſecurus legat.*
AND. *Quis te locus, quæ regio ſeducta, invia*
Tutò reponet? quis feret trepidis opem?
Quis proteget? qui ſemper, etiam nunc tuos,

Hector, tuere; coniugis furtum piæ
Serva, & fideli cinere victurum excipe.
Succede tumulo, nate. quid retro fugis,
Turpesque latebras spernis? agnosco indolem.
Pudet timere. spiritus magnos fuge,
Animosque veteres. sume quos casus dedit.
En intuere, turba quæ simus super,
Tumulus, puer, captiva. cedendum est malis.
Sanctas parentis conditi sedes, age,
Aude subire. fata si miseros iuvant,
Habes salutem. fata si vitam negant,
Habes sepulchrum. SEN. *Claustra commissum tegunt.*
Quem ne tuus producat in medium timor,
Procul hinc recede, teque diversam amove.
AND. *Levius solet timere, qui propius timet.*
Sed, si placet, referamus hinc alio pedem.
SEN. *Cohibe parumper ora, questusque opprime.*
Gressus nefandos dux Cephallenûm admovet.
AND. *Dehiscetellus, tuque coniux ultimo*
Specu revulsam scinde tellurem Stygis.
Sinu profundo conde depositum meum.
Adest Vlysses; & quidem dubio gradu
Vultuque. nectit pectore astus callidos.
VLY. *Duræ minister sortis, hoc primum peto,*
Vt ore quamvis verba dicantur meo,
Non esse credas nostra. Graiorum omnium
Procerumque vox est, petere quos seras domos
Hectorea soboles prohibet. hanc fata expetunt.
Sollicita Danaos pacis incertæ fides
Semper tenebit, semper à tergo timor
Respicere coget; arma nec poni sinet,
Dum Phrygibus animos natus eversis dabit.

Andro-

Andromacha. AND. *Veſter augur hoc Calchas canit?*
VLY. *Et ſi taceret augur hæc Calchas, tamen*
Dicebat Hector; cuius & ſtirpem horreo.
Generoſa in ortus ſemina exurgunt ſuos.
Sic ille magni parvus armenti comes,
Primisque nondum cornibus findens cutem,
Cervice ſubitò celſus, & fronte arduus,
Gregem paternum ducit, ac pecori imperat.
Quæ tenera cæſo virga de trunco ſtetit,
Par ipſa matri tempore exiguo ſubit,
Vmbrasque terris reddit, & cœlo nemus.
Sic male relictus igne de magno cinis
Vires reſumit. eſt quidem iniuſtus dolor
Rerum æſtimator : ſi tamen tecum exigas,
Veniam dabis, quod bella poſt hyemes decem
Totidemque meſſes iam ſenex miles timet,
Aliasque clades rurſus, ac numquam bene
Troiam iacentem, magna res Danaos movet,
Futurus Hector. libera nos hoc metu.
Hæc vna naves cauſa deductas tenet;
Heic claßis hæret. neve crudelem putes,
Quod ſorte iuſſus Hectoris natum petam;
Petiſſem Oreſtem. patere quod victor tulit.
AND. *Vtinam quidem eſſes, nate, materna in manu;*
Noßemque quis te caſus ereptum mihi
Teneret, aut quæ regio, non hoſtilibus
Confoſſa telis pectus, aut vinclis manus
Secantibus præſtricta, non acri latus
Vtrumque flammâ cincta, maternam fidem
Vmquam exuiſſem. nate, quis te nunc locus,
Fortuna quæ poßedit? errore avio
Vagus arva luſtras? vaſtus an patriæ vapor

Corripuit artus? ſævus an victor tuo
Luſit cruore? numquid immanis feræ
Morſu peremptus paſcis Ideas aves?
VLY. *Simulata remove verba. non facile eſt tibi*
Decipere Vlyſſem. vicimus matrum dolos,
Etiam dearum. caſſa conſilia amove.
Vbi natus eſt? AND. *Vbi Hector? vbi cuncti Phryges?*
Vbi Priamus? vnum quæris. ego quæro omnia.
VLY. *Coacta dices, ſponte quod fari abnuis.*
AND. *Tuta eſt, perire quæ poteſt, debet, cupit.*
VLY. *Magnifica verba mors prope admota excutit.*
AND. *Si vis, Vlyſſe, cogere Andromacham metu,*
Vitam minare. nam mori votum eſt mihi.
VLY. *Verberibus, igni, morte, cruciatu, eloqui*
Quodcunque celas, adiget invitam dolor,
Et pectore imo condita arcana eruet.
Neceſſitas plus poſſe, quam pietas, ſolet.
Stulta eſt fides, celare quod prodas ſtatim.
AND. *Propone flammas, vulnera & diras mali*
Doloris artes, & famem, & ſævam ſitim,
Variasque peſtes vndique, & ferrum inditum
Viſceribus vſtis, carceris cœci luem,
Et quidquid audet victor iratus, tumens.
VLY, *Animoſa nullos mater admittis metus.*
Hic ipſe, quo nunc contumax perſtas, amor
Conſulere parvis liberis Danaos monet.
Poſt arma tam longinqua, poſt annos decem,
Minus timerem quos facit Calchas metus,
Si mihi timerem. bella Telemacho paras.
AND. *Invita Vlyſſi gaudium ac Danais dabo.*
Dandum eſt. fatere, quos premis luctus, dolor.
Gaudete Atridæ; tuque lætifica, vt ſoles,

Refer Pelasgis. Hectoris proles obiit.
VLY. *Et esse verum hoc qua probas Danais fide?*
AND. *Ita quod minari maximum victor potest,*
Contingat, & me fata maturo exitu
Facilique solvant, ac meo condant solo,
Et patria tellus Hectorem leviter premat;
Vt luce caret, vt inter extinctos iacet,
Datusque tumulo debita examinis tulit.
VLY. *Expleta fata stirpe sublata Hectoris,*
Solidamque pacem lætus ad Danaos feram.
Quid agis, Vlysse? Danaidæ credent tibi?
Tu cui? parenti. fingit an quidquam parens,
Nec abominandæ mortis auspicium pavet?
Auspicia metuunt, qui nihil maius timent.
Fidem alligavit iureiurando suam.
Si peierat, timere quid gravius potest?
Nunc advoca astus, anime; nunc fraudes, dolos,
Et totum Vlyssem. veritas numquam latet.
Scrutare matrem. mœret, illacrimat, gemit,
Et huc & illuc anxios gressus refert,
Missasque voces aure sollicita excipit.
Magis hæc timet, quam mœret. ingenio est opus.
Alios parentes alloqui in luctu decet:
Tibi gratulandum est, misera, quod nato cares,
Quem mors manebat sæva, præcipitem datum
E turre, lapsis sola quæ muris manet.
AND. *Me liquit animus. membra quatiuntur, labant,*
Torpetque vinctus frigido sanguis gelu.
VLY. *En tremuit. hac, hac parte quærenda est mihi.*
Matrem timor detexit. iterabo metum.
Ite, ite, celeres. fraude materna abditum
Hostem Pelasgi nominis, pestem vltimam,

Vbicunque latitat, erutam in medium date.
Bene est. tenetur. perge, festina, atrahe.
Quid respicis, trepidasque? iam certe perit.
AND. *Vtinam timerem. solitus ex longo est metus;*
Dedisci t animus serò, quod didicit diu.
VLY. *Lustrale quoniam debitum muris puer*
Sacrum antecessit; nec potest vatem sequi
Meliore fato raptus: hoc Calchas ait
Modo piari posse redituras rates,
Si placet vndas Hectoris sparsi cinis,
Ac tumulus imo totus æquetur solo.
Nunc ille quoniam debitam effugit necem,
Erit admovenda sedibus sacris manus.
AND. *Quid agimus? animum distrahit geminus timor:*
Hinc gnatus, illinc coniugis cari cinis.
Pars vtra vincet? testor immites deos,
Deosque veros, coniugis manes mei,
Non aliud, Hector, in meo nato mihi
Placere, quam te. vivat, vt possit tuos
Referre vultus. prorutus tumulo cinis
Mergetur? ossa fluctibus spargi sinam
Disiecta vastis? potius hic mortem oppetat.
Poteris nefandæ deditum mater neci
Videre? poteris celsa per fastigia
Missum rotari? potero. perpetiar. feram,
Dum non meus post fata victoris manu
Factetur Hector. hic suam pœnam potest
Sentire; at illum fata iam in tuto locant.
Quid fluctuaris? statue, quem pœnæ extrahas.
Ingrata, dubitas? Hector est illic tuus.
Erras. vtrinque est Hector. hic sensu potens,
Forsan futurus vltor extincti patris.

Vtrique

Virique parci non poteſt. quidnam facis?
Serva è duobus, anime, quem Danai timent.
VLY. *Reſponſa peragam. funditus buſta eruam.*
AND. *Quæ vendidiſtis?* VLY. *Pergã, & è ſummo aggere*
Traham ſepulchra. AND. *Cælitum appello fidem,*
Fidemque Achillis, Pyrrhe: genitoris tui
Munus tuere. VLY. *Tumulus hic campo ſtatim*
Toto incebit. AND. *Fuerat hoc prorſus nefas*
Danais inauſum. templa violaſtis, deos
Etiam faventes. buſta tranſierat furor.
Reſiſtam. inermes offeram armatis manus.
Dabit ira vires. qualis Argolicas ferox
Turmas Amazon ſtravit; aut qualis deo
Percuſſa Mænas, entheo ſilvas gradu
Armata thyrſo terret, atque expers ſui
Vulnus dedit, nec ſenſit; in medios ruam,
Tumuloq; cineris ſocia defenſo cadam.
VLY. *Ceſſatis? & vos flebilis clamor movet,*
Furorq; caſſus fœminæ? iuſſa ocius
Peragite. AND. *Me, me, ſternite heic ferro prius.*
Repelle Avernum. rumpe fatorum moras.
Molire terras, Hector, vt Vlyſſem domes.
Vel vmbra ſatis eſt. arma concuſſit manu.
Iaculatur ignes. cernitis Danai Hectorem?
An ſola video? VLY. *Funditus cuncta erue.*
AND. *Quid agis? ruinâ mater & gnatum & virum*
Proſternis vnâ. forſitan Danaos prece
Placare poteris. conditum elidet ſtatim
Immane buſti pondus. intereat miſer,
Vbicunque potius, ne pater gnatum obruat,
Prematque patrem gnatus. ad genua accido
Supplex, Vlyſſe, quamque nullius pedes

Novêre

Novêre dextram, pedibus admoveo tuis.
Miserere matris, & preces placidus pias
Patiensque recipe; quoque te celsum altius
Superi levarunt, mitius lapsos preme.
Misero datur quodcunque, fortunæ datur.
Sic te revisat coniugis sanctæ torus,
Annosque, dum te recipit, extendat suos
Laërta! sic te iuvenis excipiat tuus,
Et vota vincens vestra felici indole,
Ætate avum trascendat, ingenio patrem!
Miserere matris. vnicum afflictæ mihi
Solamen hoc est. VLY. *Exhibe gnatum, & roga.*
AND. *Huc è latebris procede tuis,*
Flebile matris furtum miseræ.
Hic puer, hic est terror, Vlysse,
Mille carinis. submitte manus,
Dominique pedes supplice dextra
Stratus adora: nec turpe puta,
Quidquid miseros Fortuna iubet.
Pone ex animo reges atavos,
Magnique senis iura per omnes
Inclita terras. excidat Hector.
Gere captivum; positoque genu,
Si tua nondum funera sentis,
Matris fletus imitare tuæ.
Vidit pueri regis lachrimas
Et Troia prior, parvusque minas
Trucis Alcidæ flexit Priamus.
Ille, ille ferox, cuius vastis
Viribus omnes cessere feræ:
Qui perfracto limine Ditis
Cœcum retro patefecit iter,

Hostis

Hostis parvi victus lacrimis,
Suscipe, dixit, rector, habenas,
Patrioque sede celsus solio,
Sed sceptra fide meliore tene.
Profuit illo victore capi.
Discite mites Herculis iras.
An sola placent Herculis arma?
Iacet ante pedes non minor illo
Supplice supplex, vitamque petit.
Regnum Troiæ, quocumque volet,
Fortuna ferat.

VLYSSES. ANDROMACHA.
ASTYANAX.

VLY. *Matris quidem me mœror attonitæ movet:*
Magis Pelasgæ me tamen matres movent,
Quarum iste magnos crescit in luctus puer:
AND. *An has ruinas vrbis in cinerem datas*
Hic excitabit? hæ manus Troiam erigent?
Nullas habet spes Troia, si tales habet.
Non sic iacemus Troes, vt cuiquam metus
Possimus esse. spiritus genitor facit?
Sed nempe tractus. ipse post Troiam pater
Posuisset animos, magna quos frangunt mala.
Si pœna petitur, quæ peti gravior potest?
Famulare collo nobili subeat iugum.
Servire liceat. aliquis hoc regi negat?
VLY. *Non hoc Vlysses. sed negat Calchas tibi.*
AND. *O machinator fraudis, ô scelerum artifex,*
Virtute cuius bellica nemo occidit;
Dolis & astu maleficæ mentis iacent

Etiam

Etiam Pelasgi; vatem & insontes deos
Prætendis? hoc est pectoris facinus tui,
Nocturne miles, fortis in pueri necem.
Iam solus audes aliquid, & claro die.
VLY. *Virtus Vlyssis nota Danais est satis,*
Nimisque Phrygibus. non vacat vanis diem
Conterere verbis: anchoras classis legit.
AND. *Brevem moram largire, dum officium parens*
Gnato supremum reddo, & amplexu vltimo
Avidos dolores satio. VLY. *Misereri tui*
Vtinam liceret! quod tamen solum licet,
Tempus moramque dabimus arbitrio tuo
Implere lacrimis. fletus ærumnas levat.
AND. *O dulce pignus! ô decus lapsæ domus!*
Summumque Troiæ funus! ô Danaûm timor!
Genetricis ô spes vana! cui demens ego
Laudes parentis bellicas, annos avi
Medios precabar: vota destituit deus.
Iliaca non tu sceptra regali potens
Gestabis aula; iura nec populis dabis,
Victasque gentes sub tuum mittes iugum;
Non Graia cædes terga, non Pyrrhum trahes;
Non arma tenerâ parva tractabis manu;
Sparsasque passim saltibus latis feras
Audax sequeris: nec stato lustri die
Solenne referens Troici lustri sacrum,
Puer citatas nobilis turmas ages:
Non inter aras mobili velox pede,
Revocante flexo concitos cornu modos,
Barbarica prisco templa saltatu coles.
O morte dirâ tristius leti genus:
Flebilius aliquid Hectoris magni nece

Muri

Muri videbunt. VLY. *Rumpe iam fletus parens.*
Magnus sibi ipse non facit finem dolor.
AND. *Lacrimis, Vlysse, parva, quam petimus, mora est.*
Concede, parvos vt meâ condam manu
Viventis oculos. occidis parvus quidem,
Sed iam timendus. Troia te expectat tua.
I, vade liber. liberos Troas vide.
AST. *Miserere mater.* AND. *Quid meos retines sinus,*
Manusque matris? cassa præsidia occupas.
Fremitu leonis qualis audito tener
Timidum iuvencus applicat matri latus:
At ille sævus matre summota leo,
Prædam minorem morsibus vastis premens
Frangit, vehitque: talis è nostro sinu
Te rapiet hostis. oscula, & fletus, puer,
Lacerosque crines excipe, & plenus mei
Occurre patri. panca maternæ tamen
Perfer querelæ verba: Si manes habent
Curas priores, nec perit flammis amor;
Servire Graio pateris Andromachen iugo,
Crudelis Hector? lentus & segnis iaces?
Rediit Achilles. sume nunc iterum comas,
Et sume lacrimas, quidquid è misero viri
Funere relictum est. sume quæ reddas tuo
Oscula parenti. matris hanc solatio
Relinque vestem. tumulus hanc tetigit meus,
Manesq; cari. quidquid heic cineris latet,
Scrutabor ore. VLY. *Nullus est flendi modus.*
Abripite properè classis Argolicæ moram.

CHORVS TROADVM.

Quæ vocat sedes habitanda captas?

Thessal-

Theſſali montes, & opaca Tempe?
An viros tellus dare militares
Aptior Phtie? meliorque fetu
Fortis armenti lapidoſa Trachin?
An maris vaſti domitrix Iolcos?
Vrbibus centum ſpacioſa Crete?
Parva Gortyne, ſterilisque Tricce?
An frequens ruſcis levibus Methone,
Quæ ſub OEtæis latebroſa ſilvis
Miſit infeſtos Troïæ ruinis
Non ſemel arcus?
Olenos tectis habitata raris?
Virginis Pleuron inimica Divæ?
An maris lati ſinuoſa Trœzen?
Pelion regnum Prothoi ſuperbum,
Tertius cœlo gradus? hîc recumbens
Montis exeſi ſpatioſus antro
Iam trucis Chiron pueri magiſter,
Tinnulas plectro ferienſe chordas,
Tunc quoque ingenteis acuebat iras
Bella canendo.
An ferax varii lapidis Caryſtos?
An premens littus maris inquieti
Semper Euripo properante Chalcis?
Quolibet vento faciles Echinæ?
An carens numquam Gonoëſſa vento?
Quæque formidant Borean Eniſpæ?
Atticâ pendens Peparethos orâ?
An ſacris gaudens tacitis Eleuſis?
Quove iactatæ pelago feremur
Exſules? ad quæ loca? quas ad vrbes?
Numquid Aiacis Salamina veram?

Aut ferâ notam Calydona ſævâ?
Quasque perfundit ſubiturus æquor
Segnibus terras Titareſſos vndis,
Beßan & Scarphen? Pylon an ſenilem?
Pharin? an Piſam, Iovis & coronis
Elida claram?
Quolibet triſtis miſeras procella
Mittat, & donet cuicunque terræ:
Dum luem tantam Troiæ atque Achivis
Quæ tulit, Sparte procul abſit: abſit
Argos, & ſævi Pelopis Mycenæ;
Neritos parva brevior Zacyntho,
Et nocens ſaxis Ithace doloſis.
Quod manet fatum, dominusque quis te,
Aut quibus terris Hecube videndam
Ducet? in cuius móriere regno?

ACTVS QVARTVS.

HELENA. ANDROMACHA. HECVBA.

POLYXENE muta perſona.

HEL. *QVicunque hymen funeſtus, illætabilis,*
Lamenta, cædes, ſanguinem, gemitus habet,
Eſt auſpice Helena dignus. everſis quoque
Nocere cogor Phrygibus. ego Pyrrhi toros
Narrare falſos iubeor; ego cultus dare,
Habitusque Graios. arte capietur meâ,
Meâque fraude concidet Paridis ſoror.
Fraudetur. ipſi levius hoc equidem reor.
Optanda mors eſt, ſine metu mortis mori.
Quid iuſſa ceſſas agere? ad auctores redit

Sceleris coacti culpa. Dardaniæ domus
Generosa virgo, melior afflictos deus
Respicere cœpit; teque felici parat
Dotare thalamo. tale coniugium tibi
Non ipsa sospes Troia, non Priamus daret.
Nam te Pelasgæ maximum gentis decus
Ad sancta lecti iura legitimi petit,
Cui regna campi lata Thessalici iacent.
Te magna Tethys, teque tot pelagi deæ,
Placidumque numen æquoris tumidi Thetis
Suam vocabunt. te datam Pyrrho socer
Peleus nurum vocabit, & Nereus nurum.
Depone cultus squallidos, festos cape.
Dedisce captam. deprime horrentes comas,
Crinemque doctâ patere distingui manu.
Hic forsitan te casus excelso magis
Solio reponet. profuit multis capi.
AND. *Hoc deerat unum Phrygibus eversis malum,*
Gaudere? flagrant strata passim Pergama.
O coniugale tempus, an quisquam audeat
Negare? quisquam dubius ad thalamos eat,
Quos Helena suadet? pestis, exitium, lues
Vtriusque populi! cernis hos tumulos ducum?
Et nuda totis ossa quæ passim iacent
Inhumata campis? hæc hymen sparsit tuus.
Tibi fluxit Asiæ, fluxit Europæ cruor;
Cum dimicantes lenta prospiceres viros,
Incerta voti. perge, thalamos appara.
Tedis quid opus est? quidve solenni face?
Quid igne? thalamis Troia prælucet novis.
Celebrate Pyrrhi, Troades, connubia;
Celebrate digne. planctus & gemitus sonent.

HEL.

HEL. *Ratione quamvis careat, & flecti neget*
Magnus dolor, ſociosque nonnunquam ſui
Mœroris ipſos oderit ; cauſſam tamen
Poſſum tueri iudice infeſto meam
Graviora paſſa. luget Andromacha Hectorem,
Et Hecuba Priamum : ſolus occulte Paris
Lugendus Helenæ eſt. durum & inviſum & grave eſt,
Servitia ferre. patior hoc olim ingum
Annis decem captiva. proſtratum Ilium eſt,
Verſi Penates. perdere eſt patriam grave ;
Gravius timere. vos levat tanti mali
Comitatus. in me victus & victor furit.
Quam quisque famulam traheret, incerto diu
Caſu pependit. me meus traxit ſtatim
Sine ſorte dominus. cauſſa bellorum fui,
Tantæque Teucris cladis. hoc verum puta,
Spartana puppis veſtra ſi ſicuit freta .
Sin rapta Phrygiis prædaremigibus fui,
Deditque donum iudici victrix dea :
Ignoſce Paridi. iudicem iratum mea
Habitura cauſa eſt. iſta Menelaum manent
Arbitria. nunc hanc luctibus paulum tuis,
Andromacha, omiſſis flecte. vix lacrimas queo
Retinere. AND. *Quantum eſt, Helena quod lacrimat,*
Cur lacrimat autem? fare, quos Ithacus dolos, (malũ!
Quæ ſcelera nectat. vtrum ab Ideis iugis
Iactanda virgo eſt? arcis an celſæ edito
Mittenda ſaxo? num per has vaſtum in mare
Volvenda rupes, latere quas ſciſſo levat
Altum vadoſos Sigeon ſpectans ſinus?
Dic, fare, quidquid ſubdolo vultu tegis.
Leviora mala ſunt cuncta, quam Priami gener

Hecubæque Pyrrhus. fare, quam pœnam pares.
Exprome, & vnum hoc deme nostris cladibus,
Falli. paratas perpeti mortem vides.
HEL. *Vtinam iuberet me quoque interpres deûm*
Abrumpere ense lucis invisæ moras,
Vel Achillis ante busta, furibundà manu
Occidere Pyrrhi, fata comitantem tua,
Polyxene miseranda; quam tradi sibi,
Cineremque Achilles ante mactari suum,
Campo maritus vt sit Elysio, iubet.
AND. *Vide, vt animus ingens lætus audierit necem.*
Cultus decoros regiæ vestis petit,
Et admoveri crinibus patitur manum.
Mortem putabat illud, hoc thalamos putat.
At misera luctu mater audito stupet.
Labefacta mens succubuit. assurge, alleva
Animum, & cadentem misera firma spiritum.
Quam tenuis anima vinculo pendet levi!
Minimum est, quod Hecubam facere felicem potest.
Spirat. revixit. prima mors miseros fugit.
HEC. *Adhuc Achilles vivit in pœnas Phrygum?*
Adhuc rebellat? ô manum Paridis levem!
Cinis ipse nostrum sanguinem ac tumulus sitit.
Modo turba felix latera cingebat mea.
Lassabar in tot oscula, in totum gregem
Dividere matrem. sola nunc hæc est super,
Votum, comes, levamen, afflictæ quies.
Hæc totus Hecubæ fetus. hac solâ vocor
Iam voce mater. dura & infelix, age,
Elabere anima. denique hoc vnum mihi
Remitte funus. irrigat fletus genas,
Imberque victo subitus è vultu cadit.

Lætare, gaude, gnata. quam vellet tuos
Cassandra thalamos, vellet Andromache tuos!
AND. *Nos, Hecuba; nos nos, Hecuba, lugendæ sumus,*
Quas mota classis huc & huc sparsas feret.
Hanc chara tellus sedibus patriis teget.
HEL. *Magis invidebis, si tuam sortem scias.*
AND. *An aliqua pœnæ pars meæ ignota est mihi?*
HEL. *Versata dominos urna captivis dedit.*
AND. *Cui famula tradar, ede. quem dominum voco?*
HEL. *Te sorte prima Scyrius iuvenis tulit.*
AND. *Cassandra felix! quam furor sorte eximit,*
Phœbusque. HEL. *Regum hanc maximus rector tenet.*
HEC. *Estne aliquis, Hecubam qui suam dici velit?*
HEL. *Ithaco obtigisti præda nolenti brevis.*
HEC. *Quis tam impotens ac dirus, & iniquæ ferus*
Sortitor urnæ regibus reges dedit?
Quis tam sinister divisit captas deus?
Quis arbiter crudelis, & miseris gravis,
Eligere dominos nescit? & sævâ manu
Dat iniqua miseris fata? quis matrem Hectoris
Armis Achillis miscet? ad Vlyssem vocor.
Nunc victa, nunc captiva, nunc cunctis mihi
Obsessa videor cladibus. domini pudet,
Non servitutis. Hectoris spolium feret,
Qui tulit Achillis? sterilis, & sævis fretis
Inclusa tellus num capit tumulos meos?
Duc, duc, Vlysse. nil moror. dominum sequor.
[*Me mea sequantur fata. non pelago quies*
Tranquilla veniat. sæviat ventis mare,
Et bella, & ignis, & mea, & Priami mala.
Dumque ista venient, interim hæc pœna in loco est:
Sortem occupavi, præmium eripuit mihi.]

Sed incitato Pyrrhus accurrit gradu,
Vultuque torvo. Pyrrhe, quid ceſſas? age,
Reclude ferro pectus & Achillis tui
Coniunge ſoceros. perge mactator ſenum;
Et hic decet te ſanguis: abreptam trahe.
Maculate Superos cæde funeſta deos,
Maculate Manes. quid precer vobis! precor
His digna ſacris æquora. hoc claſſi accidat
Toti Pelaſgæ, ratibus hoc mille accidat,
Meæ precabor, cum vehar, quidquid rati. *

* Hue quinque verſus ſuperiores vncinulis incluſos traiecit Scalig. Videcius Notas.

CHORVS TROADVM.

Dulce mœrenti populus dolentum,
Dulce lamentis reſonare gentes.
Lentius luctus lacrimæque mordent,
Turba quas fletu ſimili frequentat.
Semper, ah, ſemper dolor ipſe magnus
Gaudet in multos ſua fata mitti,
Seque non ſolum patuiſſe pœnæ.
Ferre, quam ſortem patiuntur omnes,
Nemo recuſat.
Nemo ſe credit miſerum, licet ſit.
Tolle felices. removeto multo
Divites auro. removeto centum
Rura qui ſcindunt opulenta bubus.
Pauperi ſurgent animi iacentes.
Eſt miſer nemo, niſi comparatus.
Dulce in immenſis poſito ruinis
Neminem lætos habuiſſe vultus.
Ille deplorat, queriturque fatum,
Qui ſecans fluctum rate ſingulari
Nudus in portus cecidit petitos.

Æquior

Æquior casum tulit, & procellas,
Mille qui ponto pariter carinas
Obruis vidit tabulâque littus
Naufragâ spargi, mare cum coactis
Fluctibus Corus prohibet reverti.
Questus est Hellen cecidisse Phrixus,
Cum gregis ductor radiante villo,
Aureo fratrem simul & sororem
Sustulit tergo, medioque iactum
Fecit in ponto. tenuit querelas
Et vir, & Pyrrhe, mare cum viderent;
Et nihil præter mare cum viderent,
Vnici terris homines relicti.
Solvet hunc cœtum, lacrimasque nostras
Sparget huc illuc agitata classis,
Et tubâ iussi dare vela nautæ,
Cum semel ventis properante remo
Prenderint altum, fugietque littus.
Quis status mentis miseris, vbi omnis
Terra decrescet, pelagusque crescet.
Celsa cum longe latitabit Ide?
Tum puer matri, genitrixque gnato,
Troia qua iaceat regione monstrans
Dicet, & longe digito notabit:
Ilium est illic, vbi fumus alte
Serpit in cœlum, nebulæque turpes.
Troes hoc signo patriam videbunt.

ACTVS QVINTVS.

NVNCIVS. ANDROMACHA. HECVBA.

NVN. O *Dira fata, sæva, miseranda, horrida,*

Quod tam ferum, tam triſte bis quinis ſcelus
Mars vidit annis? quod prius referens gemam?
Tuosne potius, an tuos luctus, anus?
HEC. *Quoſcunque luctus fleveris, flebis meos.*
Sua quemque tantum, me omnium clades premit.
Mihi cuncta pereunt. quisquis eſt, Hecubæ eſt, miſer.
NVN. *Mactata virgo eſt. miſſus è muris puer.*
Sed vterque letum mente generoſa tulit.
AND. *Expone ſeriem cædis, & duplex nefas*
Proſequere. gaudet animus ærumnas meus
Tractare totas. ede, & enarra omnia.
NVN. *Eſt vna magna turris è Troia ſuper,*
Aßueta Priamo; cuius è faſtigio
Summisque pinnis arbiter belli ſedens
Regebat acies. turre in hac blando ſinu
Fovens nepotem, cum metu verſos gravi
Danaos fugaret Hector & ferro & face,
Paterna puero bella monſtrabat ſenex.
Hæc nota quondam turris, & muri decus,
Nunc ſæva cautes, vndique affuſa ducum
Plebisque turba cingitur. totum coit
Ratibus relictis vulgus. his collis procul
Aciem patenti liberam præbet loco;
His alta rupes, cuius è cacumine
Erecta ſummos turba libravit pedes.
Hunc pinus, illum laurus, hunc fagus gerit,
Et tota populo ſilva ſuſpenſo tremit.
Extrema montis ille prærupti petit,
Semiuſta at ille tecta, vel ſaxum imminens
Muri cadentis preſſat. atque aliquis (nefas)
Tumulo ferus ſpectator Hectoreo ſedet.
Per ſpatia late plena ſublimi gradu

Incedit

Incedit Ithacus, parvulum dextra trahens
Priami nepotem: nec gradu ſegni puer
Ad alta pergit mœnia. vt ſumma ſtetit
Pro turre, vultus huc & huc acres tulit,
Intrepidus animo. qualis ingentis feræ
Parvus tenerque fetus, & nondum potens
Sævire dente, iam tamen tollit minas,
Morſusque inanes tentat, atque animis tumet:
Sic ille dextra prenſus hoſtili puer
Ferox, ſupernè moverat vulgum ac duces,
Ipſumq; Vlyſſem. non flet è turba omnium,
Qui fletur: ac dum verba fatidici & preces
Concipit Vlyſſes vatis, & ſævos ciet
Ad ſacra ſuperos, ſponte deſiluit ſuâ
In media Priami regna [non trepidus puer.]
AND. *Quis Colchus hoc, quis ſedis incertæ Scytha*
Commiſit? aut quæ Caſpium tangens mare
Gens iuris expers auſa? non Buſiridis
Puerilis aras ſanguis aſperſit feri.
Nec parva gregibus membra Diomedes ſuis
Epulanda poſuit. quis tuos artus teget,
Tumuloq; tradet? NVN. *Quos enim præceps locus*
Reliquit artus? oſſa diſiecta & gravi
Eliſa caſu, ſigna clari corporis,
Et ora, & illas nobiles patris notas
Confudit imam pondus ad terram datum.
Soluta cervix. ſilicis impulſu caput
Ruptum, cerebro penitus expreſſo. iacet
Deforme corpus. AND. *Hic quoque eſt ſimilis patri.*
NVN. *Præceps vt altis cecidit è muris puer,*
Flevitq; Achivûm turba, quod fecit, nefas;
Idem ille populus aliud ad facinus redit,

Tumulumque Achillis. huius extremum latus
Rhœtea leni verberant fluctu vada.
Adversa cingit campus, & clivo levi
Erecta medium vallis includens locum
Crescit theatri more. concursus frequens
Implevit omne littus. hi classis moras
Hac morte solvi rentur. hi stirpem hostium
Gaudent recidi. magna pars vulgi levis
Odit scelus, spectatque : nec Troes minus
Suum frequentant funus, & pavidi metu
Partem ruentis ultimam Troiæ vident.
Cum subito thalami more præcedunt faces.
It pronuba illic Tyndaris, mœstum caput
Demissa. tali nubat Hermione modo,
Phryges precantur. sic viro turpis suo
Reddatur Helene. terror attonitos movet
Vtrosque populos. ipsa dejectos gerit
Vultus pudore; sed tamen fulgent genæ,
Magisque solito splendet extremus decor.
Vt esse Phœbi dulcius lumen solet
Iam iam cadentis, astra cum repetunt vices,
Premiturque dubius nocte vicinâ dies.
Stupet omne vulgus; & fere cuncti magis
Peritura laudant. hos movet formæ decus,
Hos mollis ætas, hos vagæ rerum vices.
Movet animus omnes fortis, & leto obvius.
Pyrrhum antecedit. omnium mentes tremunt:
Mirantur, ac miserantur. vt primum ardui
Sublime montis tetigit, atque alte edito
Iuvenis paterni vertice in busti stetit,
Audax virago non tulit retro gradum;
Conversa ad ictum stat truci vultu ferox.

Tam fortis animus omnium mentes ferit.
Novumque monstrum est, Pyrrhus ad cædem piger.
Vt dextra ferrum penitus exacta abdidit.
Subditus recepta morte prorupit cruor
Per vulnus ingens, nec tamen moriens adhuc
Deponit animos. cecidit, vt Achilli gravem
Factura terram, prona, & irato impetu.
Vterque flevit cœtus. at timidum Phryges
Misêre gemitum. clarius victor gemit.
Hic ordo sacri. non stetit fusus cruor,
Humove summa fluxit. obduxit statim,
Sævusque totum sanguinem tumulus bibit.
HEC. *Ite, ite Danai; petite iam tuti domos,*
Optata velis maria diffusis secet
Secura classis. concidit virgo, ac puer.
Bellum peractum est. quo meas lacrimas feram?
Vbi hanc anilis exspuam leti moram?
Gnatam, an nepotem; coniugem, an patriam fleam?
An omnia? an me? sola mors votum meum.
Infantibus violenta, virginibus venis,
Vbicunque properas, sæva: me solam times,
Vitasque gladios inter. ac tela & faces
Quæsita totâ nocte, cupientem fugis.
Non hostis, aut ruina, non ignis meos
Absumpsit artus: quam prope à Priamo steti?
NVN. *Repetite celeri maria, captivæ, gradu.*
Iam vela puppis laxat, & classis movet.

FINIS.

L. AN.

L. ANNAEI SENECAE MEDEA.

Dramatis Perſonæ.

MEDEA. NVTRIX.
IASON. CHORVS CORINTHIORVM.
CREON. NVNCIVS.

ACTVS PRIMVS.

MEDEA.

DIi coniugales; tuque genialis tori
Lucina cuſtos; quæque domitorem freti
Tiphyn novam frænare docuiſti ratem;
Et tu profundi ſæve dominator maris;
Clarumque Titan dividens orbi diem;
Tacitisque præbens conſcium ſacris iubar
Hecate triformis; quosque iuravit mihi
Deos Iaſon; quosque Medeæ magis
Fas eſt precari; noctis æternæ chaos
Adverſa ſuperis regna, Manesque impios,
Dominumque regni triſtis, & dominam fide
Meliore raptam, voce non fauſtâ precor:
Adeſte, adeſte ſceleris vltrices deæ,

Crinem

Crinem ſolutis ſquallidæ ſerpentibus,
Atram cruentis manibus amplexæ facem,
Adeſte: thalamis horridæ quondam meis
Quales ſtetiſtis. coniugi letum novæ,
Letumque ſocero & regiæ ſtirpi date.
Mihi peius aliquid, quod precer ſponſo malum:
Vivat. per vrbes erret ignotas egens,
Exul, pavens, inviſus, incerti laris.
Me coniugem optet; limen alienum expetat,
Iam notus hoſpes: quoque non aliud queam
Peius precari, liberos ſimiles patri,
Similesque matri. parta iam, parta vltio eſt.
Peperi. querelas, verbaque incaſſum ſero.
Non ibo in hoſtes? manibus excutiam faces,
Cœloque lucem? ſpectat hoc noſtri ſator
Sol generis! & ſpectatur, & curru inſidens
Per ſolita puri ſpatia decurrit poli?
Non redit in ortus, & remetitur diem?
Da, da per auras curribus patris vehi.
Committe habenas, genitor, & flagrantibus
Ignifera loris tribue moderari iuga.
Gemino Corinthus littori opponens moras,
Cremata flammis maria committet duo.
Hoc reſtat vnum: pronubam thalamo feram
Vt ipſa pinum; poſtq̃ ſacrificas preces
Cædam dicatis victimas altaribus.
Per viſcera ipſa quære ſupplicio viam,
Si vivis, anime: ſi quid antiqui tibi
Remanet vigoris, pelle femineos metus,
Et inhoſpitalem Caucaſum mente indue.
Quodcunque vidit Phaſis aut Pontus nefas,
Videbit Iſthmos. effera, ignota, horrida,

Tremenda

Tremenda cœlo pariter ac terris mala,
Mens intus agitat; vulnera, & cædem, & vagum
Funus per artus. levia memoravi nimis.
Hæc virgo feci. gravior exſurgat dolor.
Maiora iam me ſcelera poſt partus decent.
Accingere irâ, teque in exitium para
Furore toto: paria narrentur tua
Repudia thalamis. quo virum linquis modo?
Hoc quo ſecuta es. rumpe iam ſegnes moras:
Quæ ſcelere pacta eſt, ſcelere rumpetur fides.

CHORVS.

Ad regum thalamos numine proſpero,
Qui cœlum ſuperi, quique regunt fretum,
Adſint, cum populis rite faventibus.
Primus ſceptriferis colla Tonantibus
Taurus celſa ferat tergore candido.
Lucinam nivei femina corporis
Intentata iugo placet. &, aſperi
Martis ſanguineas quæ cohibet manus,
Quæ dat belligeris fœdera gentibus,
Et cornu retinet divite copiam,
Donetur tenerâ mitior hoſtiâ.
Et tu, qui facibus legitimis ades,
Noctem diſcutiens auſpice dextera,
Huc incede gradu marcidus ebrio,
Præcingens roſeo tempora vinculo.
Et tu, quæ gemini prævia temporis
Tarde ſtella redis ſemper amantibus:
Te matres avidæ, te cupiunt nurus,
Quamprimum radios ſpargere lucidos.
Vincit virgineus decor

Longe

Longe Cecropias nurus:
Et quas Taygeti iugis
Exercet iuvenum modo,
Muris quod caret, oppidum:
Et quas Aonius latex,
Alphæusque ſacer lavat.
Cedent Æſonio duci,
Si formâ velit aſpici,
Proles fulminis improbi,
Aptat qui iuga tigribus:
Nec non qui tripodas movet,
Frater virginis aſperæ.
Cedet Caſtore cum ſuo
Pollux ceſtibus aptior.
Sic ſic, Cœlicolæ, precor,
Vincat femina coniuges,
Vir longe ſuperet viros.
Hæc cum virgineo conſtitit in choro,
Unius facies prænitet omnibus.
Sic cum Sole perit ſideribus decor;
Et denſi latitant Pleïadum greges,
Cum Phœbe ſolitum lumine non ſuo
Orbem circuitis cornibus alligat.
Oſtro ſic niveus phœniceo color
Perfuſus rubuit: ſic nitidum iubar
Paſtor luce novâ roſcidus aſpicit.
Ereptus thalamis Phaſidos horridis,
Effrenæ ſolitus pectora coniugis
Invitâ trepidus prendere dexterâ,
*Felix * Aoniam prendito virginem* * Æoliam. Heins.
Nunc primum ſoceris, ſponſe, volentibus.
Conceſſo, iuvenes, ludite iurgio.

Hinc

Hinc illinc, iuvenes, mittite carmina.
Rara est in dominos iusta licentia.
Candida thyrsigeri proles generosa Lyæi,
Multifidam iam tempus erat succendere pinum.
Excute solemnem digitis marcentibus ignem.
Festa dicax fundat convicia Fescenninus.
Solvat turba iocos. tacitis eat illa tenebris,
Si qua peregrino nubit fugitiva marito.

ACTVS SECVNDVS.

MEDEA. NVTRIX.

MED. *Occidimus. aures pepulit Hymenæus meas.*
Vix ipsa tantum, vix adhuc, credo malum.
Hæc facere Iäson potuit? erepto patre,
Patriâ atque regno, sedibus solam exteris
Deserere? durus merita contempsit mea,
Qui scelere flammas viderat vinci, & mare?
Adeóne credit omne consumptum nefas?
Incerta, vecors, mente non sanâ feror
Partes in omnes. vnde me vlcisci queam?
Vtinam esset illi frater! est coniux. in hanc
Ferrum exigatur. hæc meis satis est malis.
Siquod Pelasgæ, siquod vrbes Barbaræ
Novere facinus quod tuæ ignorant manus,
Nunc est parandum. scelera te hortentur tua;
Et cuncta redeant. inclitum regni decus
Raptum; & nefandæ virginis parvus comes
Divisus ense, funus incertum patri.
Sparsumq; ponto corpus; & Peliæ senis
Decocta aheno membra. funestum impie
Quam sæpe fudi sanguinem! at nullum scelus

Irata feci. ſævit infelix amor.
Quid tamen Iäſon potuit alieni arbitrii
Iurisque factus? debuit ferro obvium
Offerre pectus. melius, ah melius, dolor
Furioſe, loquere. ſi poteſt, vivat meus,
Vt fuit, Iaſon; ſin minus, vivat tamen,
Memorque noſtri muneri parcat meo.
Culpa eſt Creontis tota, qui ſceptro impotens
Coniugia ſolvit; quique genetricem abſtrahit
Natis; & arcto pignore adſtrictam fidem
Dirimit. petatur. ſolus hic pœnas luat,
Quas debet. alto cinere cumulabo domum.
Videbit atrum verticem flammis agi
Malea, longas navibus flectens moras.
NVT. *Sile obſecro, queſtuſque ſecreto abditos*
Manda dolori. gravia quisquis vulnera
Patiente & æquo motus animo pertulit,
Referre potuit. ira, quæ tegitur, nocet.
Profeſſa produnt odia vindictæ locum.
MED. *Levis eſt dolor, qui capere conſilium poteſt,*
[Et clepere ſeſe. magna non latitant mala.]
Libet ire contra. NVN. *Siſte furialem impetum,*
Alumna. vix te tacita defendit quies.
MED. *Fortuna fortes metuit, ignavos premit.*
NVT. *Nunc eſt probanda, ſi locum virtus habet.*
MED. *Nunquam poteſt non eſſe virtuti locus.*
NVT. *Spes nulla monſtrat rebus afflictis viam.*
MED. *Qui nil poteſt ſperare, deſperet nihil.*
NVT. *Abiêre Colchi. coniugis nulla eſt fides.*
Nihilque ſupereſt opibus è tantis tibi.
MED. *Medea ſupereſt. hæc mare & terras vides,*
Ferrumque & ignes, & deos & fulmina.

NVT. *Rex eſt timendus.* MED. *Rex meus fuerat pater.*
NVT. *Non metuis arma?* MED. *ſint licet terrâ edita.*
N. *Moriere.* M. *Cupio.* N. *Profuge.* M. *Pœnituit fugæ.*
Medea fugiam? NVT. *Mater es.* MED. *Cui ſim, vides.*
NV. *Profugere dubitas?* ME. *Fugiam: at vlciſcar prius.*
NVT. *Vindex ſequetur.* MED. *Forſan inveniam moras.*
NVT. *Compeſce verba; parce iam demens minis,*
Animosque minue: tempori aptari decet.
MED. *Fortuna opes auferre, non animum, poteſt.*
Sed cuius ictu regius cardo ſtrepit?
Ipſe eſt Pelaſgo tumidus imperio Creon.

CREON. MEDEA.

CRE. *Medea, Colchi noxium Æëtæ genus,*
Nondum meis exportat è regnis pedem?
Molitur aliquid. nota fraus. nota eſt manus.
Cui parcit illa? quemve ſecurum ſinit?
Abolere properè peſſimam ferro luem
Equidem parabam; precibus evicit gener.
Conceſſa vita eſt. liberet fines metu;
Abeatque tuta. fert gradum contra ferox,
Minaxque noſtros propriùs affatus petit.
Arcete, famuli, tactu & acceſſu procul.
Iubete, ſileat. regium imperium pati
Aliquando diſcat. vade veloci via,
Monſtrumq; ſævum, horribile, iamdudum avehe.
MED. *Quod crimen, aut quæ culpa multatur fugâ?*
CRE. *Quæ cauſa pellat, innocens mulier rogat.*
MED. *Si iudicas, cognoſce: ſi regnas, iube.*
CRE. *Æquum atque iniquum regis imperium feras.*
MED. *Iniqua numquam regna perpetuo manent.*
CRE. *I, querere Colchis.* ME. *Redeo. qui advexit, ferat.*

CRE.

CRE. * *Vox constituto ſera decreto venit.* * Al. Nox.
MED. *Qui ſtatuit aliquid parte inaudita altera,*
Æquum licet ſtatuerit, haud æquus fuit.
CRE. *Auditus à te Pelia ſupplicium tulit.*
Sed fare. cauſæ detur egregiæ locus.
MED. *Difficile quam ſit animum ab ira flectere*
Jam concitatum; quamque regale hoc caput,
Sceptris ſuperbas quiſquis admovit manus,
Qua cepit, ire; regiâ didici meâ.
Quamvis enim ſim clade miſerandâ obruta,
Expulſa, ſupplex, ſola, deſerta, vndique
Afflicta; quondam nobili fulſi patre,
Avoque clarum Sole deduxi genus.
Quodcumque placidis flexibus Phaſis rigat;
Pontusque quidquid Scythicus à tergo videt;
Paluſtribus quà maria dulceſcunt aquis;
Armata peltis quidquid exercet cohors
Jncluſa ripis vidua Thermodontiis:
Hoc omne noſter genitor imperio regit.
Generoſa, felix, decore regali potens
Fulſi. petebant tunc meos thalamos viri,
Qui nunc petuntur. rapida Fortuna ac levis,
Præcepsque regno eripuit, exilio dedit.
Conſide regnis, cum levis magnas opes
Huc ferat & illuc caſus. hoc reges habent
Magnificum & ingens, nulla quod rapiat dies;
Prodeſſe miſeris, ſupplices fido lare
Protegere. ſolum hoc Colchico regno extuli;
Decus illud ingens, Græciæ florem inclitum,
Præſidia Achivæ gentis, & prolem deûm
Servaſſe memet. munus eſt Orpheus meum,
Qui ſaxa cantu mulcet, & ſilvas trahit;

Geminumque munus Caſtor & Pollux meum eſt;
Satique Borea; quique trans Pontum quoque
Summota Lynceus lumine immiſſo videt;
Omnesque Minyæ. nam ducum taceo ducem:
Pro quo nihil debetur. hunc nulli imputo.
Vobis revexi cæteros, vnum mihi.
Inceſſe nunc, & cunctu flagitia ingere;
Fatebor. obici crimen hoc ſolum poteſt,
Argo reverſa. virgini placeat pudor,
Paterque placeat. tota cum ducibus ruet
Pelaſga tellus. hic tuus primus gener
Tauri ferocis ore flagranti occidet.
Fortuna cauſam, qua volet, noſtram premat.
Non pœnitet ſervaſſe tot regum decus.
Quodcunque culpa præmium ex omni tuli,
Hoc eſt penes te. ſi placet, damna ream:
Sed redde crimen. ſum nocens, fateor, Creo.
Talem ſciebas eſſe, cum genua attigi,
Fidemque ſupplex præſidis dextræ petij.
Terra hac miſerijs angulum & ſedem o rog,
Latebrasque viles. vrbe ſi pelli placet,
Detur remotus aliquis in regnis locus.
CRE. *Non eſſe me, qui ſceptra violenter geram,*
Nec qui ſuperbo miſerias calcem pede,
Teſtatus equidem videor haud clare parum,
Generum exulem legendo, & afflictum, & gravi
Terrore pavidum. quippe te pœnæ expetit
Letoque Acaſtus, regna Theſſalica obtinens.
Senio trementem debili atque ævo gravem
Patrem peremptum queritur, & cæſi ſenis
Diſciſſa membra; cum dolo captæ tuo
Piæ ſorores impium auderent nefas.

Poteſt Jäſon, ſi tuam cauſſam amoves,
Suam tueri. nullus innocuum cruor
Contaminavit. abfuit ferro manus,
Proculque veſtro purus à cœtu ſtetit.
Sed tu malorum machinatrix facinorum,
Cui feminea nequitia ad audendum omnia,
Virile robur, nulla famæ memoria eſt,
Egredere, purga regna; letales ſimul
Tecum aufer herbas. libera cives metu.
Alia ſedens tellure ſollicita deos.
MED. *Profugere cogis? redde fugienti ratem,*
Vel redde comitem. fugere cur ſolam iubes?
Non ſola veni. bella ſi metuis pati,
Vtrumque regno pelle. cur ſontes duos
Diſtinguis? illi Pelia, non nobis iacet.
Fugam, rapinasque adice; deſertum patrem,
Lacerumque fratrem. quidquid etiamnum novas
Docet maritus coniuges, non eſt meum.
Toties nocens ſum facta, ſed nunquam mihi.
CRE. *Jam exiſſe decuit. quid ſeris fando moras?*
MED. *Supplex recedens illud extremum precor,*
Ne culpa natos matris inſontes trahat.
CRE. *Vade, hos paterno, vt genitor, excipiam ſinu.*
MED. *Per ego auſpicatos regij thalami thoros,*
Per ſpes futuras, perque regnorum ſtatus,
Fortuna variâ dubia quos agitat vice,
Precor, brevem largire fugienti moram,
Dum extrema gnatis mater infigo oſcula,
Fortaſſe moriens. CRE. *Fraudibus tempus petis.*
MED. *Quæ fraus trimeri tempore exiguo poteſt?*
CRE. *Nullum ad nocendũ tempus anguſtũ eſt malis.*
MED. *Parumne miſeræ temporis lacrimis negas?*

CRE. *Etsi repugnat precibus infelix timor,*
Unus parando dabitur exilio dies.
MED. *Nimis est; & ex hoc aliquid abscindas licet,*
Et ipsa propero. CRE. *Capite supplicium lues,*
Clarus priusquam Phœbus attollat diem;
Nisi cedis Isthmo. sacra me thalami vocant,
Vocat precari festus Hymenæo dies.

CHORVS.

Audax nimium, qui freta primus
Rate tam fragili perfida rupit;
Terrasque suas post terga videns,
Animam levibus credidit auris;
Dubioque secans æquora cursu,
Potuit tenui fidere ligno,
Inter vitæ mortisque vias
Nimium gracili limite ducto.
Nondum quisquam sidera norat;
Stellisque, quibus pingitur æther,
Non erat vsus: nondum pluvias
Hyadas poterant vitare rates:
Non Oleniæ sidera capræ:
Non quæ sequitur flectitque senex
Arctica tardus plaustra Bootes:
Nondum Boreas, nondum Zephyrus
Nomen habebant.
Ausus Tiphys pandere vasto
Carbasa ponto, legesque novas
Scribere ventis. nunc lina sinu
Tendere toto: nunc prolato
Pede transversos captare Notos:
Nunc antennas medio tutas

Ponere malo : nunc in ſummo
Religare loco, cum iam totos
Avidus nimium navita flatus
Optat, & alto rubicunda tremunt
Suppara velo.
Candida noſtri ſæcula patres
Vidêre, procul fraude remota.
Sua quisque piger littora tangens,
Patrioque ſenex factus in arvo,
Parvo dives, niſi quas tulerat
Natale ſolum, non norat opes.
Bene diſſepti fœdera mundi
Traxit in vnum Theſſala pinus,
Iuſſitque pati verbera pontum ;
Partemque metus fieri noſtri
Mare ſepoſitum. dedit illa graves
Improba pœnas, per tam longos
Ducta timores : cum duo montes,
Clauſtra profundi, hinc atque illinc
Subito impulſu, velut ætherio
Gemerent ſonitu ; ſpargeret aſtra
*Nubeſque ipſas mare * depreſſum.* * Al. peprenſum.
Palluit audax Tiphys, & omnes
Labente manu miſit habenas :
Orpheus tacuit torpente lyra ;
Ipſaque vocem perdidit Argo.
Quid ! cum Siculi virgo Pelori,
Rabidos vtero ſuccincta canes,
Omnes pariter ſolvit hiatus,
Quis non totos horruit artus,
Toties vno latrante malo ?
Quid ! cum Auſonium diræ peſtes

Voce canora mare mulcerent;
Cum Pieria resonans cithara
Thracius Orpheus solitam cantu
Retinere rates pene coëgit
Sirena sequi? quod fuit huius
Pretium cursus? aurea pellis;
Maiusque mari Medea malum,
Merces primâ digna carinâ.
Nunc iam cessit pontus, & omnes
Patitur leges. non Palladia
Compacta manu regum referens
Inclita remos quæritur Argo.
Quælibet altum cymba pererrat,
Terminus omnis motus, & vrbes
Muros terra posuëre novos.
Nil, qua fuerat sede, reliquit
Pervius orbis.
Indus gelidum potat Araxem:
Albim Persæ, Rhenumque bibunt.
Venient annis sæcula seris,
Quibus Oceanus vincula rerum
Laxet, & ingens pateat tellus,
Tiphysque novos detegat orbes;
Nec sit terris vltima Thule.

ACTVS TERTIVS.

NVTRIX. MEDEA.

NVT. *Alumna, celerem quo rapis tectis pedem?*
Resiste, & iras comprime, ac retine impetum.
Incerta qualis entheos cursus tulit,
Cum iam recepto Mænas insanit deo,

Pindi

Pindi nivalis vertice, aut Nyſæ iugis:
Talis recurſat huc & huc motu effero,
Furoris ore ſigna limphati gerens.
Flammata facies ſpiritum ex alto citat.
Proclamat: oculos vberi fletu rigat.
Renidet. omnis ſpecimen affectus capit;
Hæret, minatur, æſtuat, queritur, gemit.
Quo pondus iſtud verget? vbi ponet minas?
Vbi ſe iſte fluctus franget? exundat furor.
Non facile ſecum verſat aut medium ſcelus.
Se vincet: iræ novimus veteres notas.
Magnum aliquid inſtat, efferum, immane, impium.
Vultum furoris cerno. Dij fallant metum!
MED. *Si quæris odio, miſera, quem ſtatuas modum,*
Imitare amorem. regias egon' vt faces
Inulta patiar? ſegnis hic ibit dies,
Tanto petitus ambitu, tanto datus?
Dum terra cœlum media libratum feret,
Nitidusque certas mundus evolvet vices,
Numerusque arenis deerit, & ſolem dies,
Noctem ſequentur aſtra; dum ſiccas polus
Verſabit Arctos; flumina in pontum cadent;
Nunquam meus ceſſabit in pœnas furor,
Creſcetque ſemper. quæ ferarum immanitas,
Quæ Scylla, quæ Charybdis, Ionium mare
Siculumque ſorbens, quæque anhelantem premens
Titana, tantis Ætna fervebit minis?
Non rapidus amnis, non procelloſum mare,
Pontusque Coro ſævus, aut vis ignium
Adiuta flatu, poſſit inhibere impetum
Irasque noſtras. ſternam & everiam omnia.
Timuit Creontem, ac bella Theſſalici ducis.

Amor timere neminem verus poteſt.
Sed ceſſerit convictus & dederit manus;
Adire certe, & coniugem extremo alloqui
Sermone potuit: hoc quoque extimuit ferox.
Laxare certe tempus immitis fugæ
Genero licebat. liberis vnus dies
Datus duobus. non queror tempus breve:
Multum patebit. faciet, hic faciet dies,
Quod nullus vnquam taceat. invadam deos,
Et cuncta quatiam. NVT. *Recipe turbatum malis,*
Hera, pectus. animum mitiga. MED. *Sola eſt quies,*
Mecum ruina cuncta ſi video obruta.
Mecum omnia abeant. trahere, cum pereas, libet.
NVT. *Quam multa ſint timenda, ſi perſtas, vide.*
Nemo potentes aggredi tutus poteſt.

IASON. MEDEA.

IAS. *O Dura fata ſemper, & ſortem aſperam,*
Cum ſævit & cum parcit, ex æquo malam!
Remedia toties invenit nobis deus
Periculis peiora. ſi vellem fidem
Præſtare meritis coniugis, leto fuit
Caput offerendum: ſi mori nolim, fide
Miſero carendum eſt. non timor vincit virum,
Sed trepida pietas. quippe ſequeretur necem
Proles parentum. ô ſancta, ſi cœlum incolis,
Iuſtitia, numen invoco ac teſtor tuum.
Nati patrem vicére. quin ipſam quoque,
Etſi ferox eſt corde, nec patiens iugi,
Conſulere natis malle, quam thalamis, reor.
Conſtituit animus precibus iratam aggredi.
Atque ecce, viſo memet, exſiluit, furit.

Fert odia præ ſe, totus in vultu eſt dolor.
MED. *Fugimus Iäſon, fugimus. hoc non eſt novum*
Mutare ſedes. cauſa fugiendi nova eſt.
Pro te ſolebam fugere. diſcedo, exeo,
Penatibus profugere quam cogis tuis.
Ad quos remittis? Phaſin & Colchos petam,
Patriumque regnum, quæque fraternus cruor
Perfudit arva? quas peti terras iubes?
Quæ maria monſtras? Pontici fauces freti?
Per quas revexi nobiles regum manus,
Adulterum ſecuta per Symphlegadas?
Parvamne Iolcon, Theſſala an Tempe petam?
Quascunque aperui tibi vias, cluſi mihi.
Quo me remittis? exuli exilium imperas,
Nec das. eatur. regius iuſſit gener.
Nihil recuſo. dira ſupplicia ingere;
Merui. cruentis pellicem pœnis premat
Regalis ira, vinculis oneret manus,
Cluſamque ſaxo noctis æternæ obruat;
Minora meritis patiar. ingratum caput!
Revolvat animus igneos tauri halitus,
Interque ſævos gentis indomitæ metus,
Armifero in arvo flammeum Æëtæ pecus,
Hoſtisque ſubiti tela: cum iuſſu meo
Terrigena miles mutua cæde occidit.
Adice expetita ſpolia Phrixei arietis,
Somnoque iußum lumina ignoto dare
Inſomne monſtrum: traditum fratrem neci;
Et ſcelere in vno non ſemel factum ſcelus;
Iuſſasque natas fraude deceptas mea,
Secare membra non revicturi ſenis.
Aliena ſeqüens regna, deſeruì mea.*

Per

Per ſpes tuorum liberûm, & certum larem,
Per victa monſtra, per manus, pro te quibus
Nunquam peperci, perque præteritos metus;
Per cœlum, & vndas, coniugii teſtes mei,
Miſerere: redde ſupplici felix vicem.
Ex opibus illis, quas procul raptas Scythæ
Vſque à peruſtis Indiæ populis petunt,
Referta quasque vix domus gazas capit,
Ornamus auro nemora, nil exul tuli,
Niſi fratris artus. hos quoque impendi tibi.
Tibi patria ceſſit, tibi pater, frater, pudor.
Hac dote nupſi. redde fugienti ſua.
IAS. *Perimere cum te vellet infeſtus Creo,*
Lacrimis meis victus, exilium dedit.
MED. *Pœnam putabam; munus, vt video, eſt fuga.*
IAS. *Dum licet abire, profuge, teque hinc eripe.*
Gravis ira regum eſt ſemper. MED. *Hoc ſuades mihi,*
Præſtas Creuſæ. pellicem inviſam amoves.
IAS. *Medea amores obicit?* MED. *& cædem, & dolos.*
IAS. *Obiicere crimen quod potes tandem mihi?*
MED. *Quodcunque feci.* IAS. *Reſtat hoc vnum inſuper,*
Tuis vt etiam ſceleribus fiam nocens.
MED. *Tua illa, tua ſunt illa. cui prodeſt ſcelus,*
Is fecit. omnes coniugem infamem arguant;
Solus tuere, ſolus inſontem voca.
Tibi innocens ſit, quisquis eſt pro te nocens.
IAS. *Ingrata vita eſt, cuius acceptæ pudet.*
MED. *Retinenda non eſt, cuius acceptæ pudet.*
IAS. *Quin potius irâ concitum pectus doma.*
Placare natis. MED. *Abdico, eiuro, abnuo.*
Meis Creuſa liberis fratres dabit?
IAS. *Regina gnatis exulum, afflictis potens.*

MED,

MED. *Non veniat vnquam tam malus miſeris dies,*
Qui prole fœda miſceat prolem inclitam;
Phœbi nepotes Siſyphi nepotibus.
IAS. *Quid, miſera, meque teque in exitium trahis?*
Abſcede quæſo. MED. *Supplicem audivit Creo.*
IA. *Quid facere poſſim, eloquere.* M. *pro me? vel ſcelus.*
IA. *Hinc rex, & illinc.* ME. *Eſt & his maior metus,*
Medea. nos confligere certemus; ſine,*
Sit pretium Iäſon. IAS. *Cedo defeßus malis.*
Et ipſa caſus ſæpe iam expertos time.
MED. *Fortuna ſemper omnis intra me ſtetit.*
IAS. *Acaſtus inſtat, propior eſt hoſtis Creo.*
MED. *Utrumque profuge. nolo vt in ſocerum manus*
Armes, nec vt te cæde cognata inquines.
Medea cogit. innocens mecum fuge.
IAS. *Et quis reſiſtet, gemina ſi bella ingruant?*
Creo atque Acaſtus arma ſi iungant ſua?
MED. *His adice Colchos, adjice Æëtem ducem.*
Scythas Pelaſgis iunge. demerſos dabo.
IAS. *Alta extimeſco ſceptra.* MED. *Ne cupias, vide.*
IAS. *Suſpecta ne ſint, longa colloquia amputa.*
MED. *Nunc ſumme toto Iuppiter cœlo tona.*
Intende dextram. vindices flammas para,
Omnemque ruptis nubibus mundum quate;
Nec deligenti tela librentur manu,
In me, vel iſtum: quisquis è nobis cadet,
Nocens peribit. non poteſt in nos tuum
Errare fulmen. IAS. *Sana meditari incipe,*
Et placida fare. ſi quid ex ſoceri domo
Poteſt fugam levare, ſolamen pete.
MED. *Contemnere animus regias, vt ſcis, opes*
Poteſt, ſoletque; liberos tantum fugæ

Habere

Habere comites liceat, in quorum ſinu
Lacrimas profundam. te novi gnati manent.
IAS. *Parere precibus cupere me, fateor, tuis;*
Pietas vetat. namque iſtud haud poſſim pati;
Non ſi ipſe memet cogat & rex, & ſocer.
Hæc cauſa vitæ eſt. hoc peruſti pectoris
Curis levamen. ſpiritu citius queam
Carere, membris, luce. MED. *Sic gnatos amat?*
Bene eſt. tenetur. vulneri patuit locus.
Suprema certe liceat abeuntem loqui
Mandata. liceat vltimum amplexum dare.
Gratum eſt? & illud voce iam extrema peto,
Ne ſi qua noſter dubius effudit dolor,
Maneant in animo verba; ſed melior tibi
Memoria noſtri ſubeat. hæc iræ data
Oblitterentur. IAS. *Omnia ex animo expuli.*
Precorque, & ipſa fervidam vt mentem regas,
Placideque tractes. miſerias lenit quies.
MED. *Diſceſſit. itan' eſt? vadis oblitus mei,*
Et tot meorum facinorum? excidimus tibi?
Nunquam excidemus. hoc age, omnes advoca
Vires & artes. fructus eſt ſcelerum tibi,
Nullum ſcelus putare. vix fraudi eſt locus.
Timemur. hac aggredere, qua nemo poteſt
Quicquam timere. perge. nunc aude, incipe
Quidquid potes, Medea, quidquid non potes.
Tu fida nutrix, ſocia mœroris mei,
Variique caſus, miſera conſilia adiuva.
Eſt palla nobis, munus ætheriæ domus,
Decusque regni, pignus Æëtæ datum
A Sole. gemmis eſt & auro textili
Monile fulgens; quodque gemmarum nitor

Diſtin-

Distinguit aurum, quo solent cingi comæ.
Hæc nostra nati dona nubenti ferant,
Sed ante diris illita ac tincta artibus.
Vocetur Hecate. sacra luctifica appara.
Struantur aræ. flamma iam tectis sonet.

CHORVS.

Nulla vis flammæ, tumidique venti
Tanta, nec teli metuenda torti:
Quanta, cum coniux viduata tedis
Ardet & odit.
Non vbi hibernos nebulosus imbres
Auster advexit; properatque torrens
Ister, & iunctos vetat esse pontes,
Ac vagus errat.
Non vbi impellit Rhodanus profundum;
Aut vbi in rivos nivibus solutis
Sole iam forti, medioque vere
Tabuit Æmus.
Cœcus est ignis stimulatus ira,
Nec regi curat, patiturve frenos.
Haud timet mortem. cupit ire in ipsos
Obvius enses.
Parcite, ô divi. veniam precamur,
Vivat vt tutus, mare qui subegit.
Sed furit vinci dominus profundi
Regna secunda.
Ausus æternos agitare currus
Immemor metæ iuvenis paternæ,
Quos polo sparsit, furiosus ignes
Ipse recepit.
Constitit nulli via nota magno.

Vade,

Vade, qua tutum populo priori:
Rumpe nec ſancti, violente, mundi
Fœdera ſancta.
Quisquis audacis tetigit carinæ
*Nobiles * ramos, nemorisque ſacri* Al. remos.
Pelion denſa ſpoliavit vmbra:
Quisquis intravit ſcopulos vagantes,
Et tot emenſus pelagi labores,
Barbara funem religavit ora,
Raptor externi redituruus auri;
Exitu diro temerata ponti
Jura piavit.
Exigit pœnas mare provocatum.
Tiphys in primis domitor profundi
Liquit indocto regimen magiſtro,
Littore externo procul à paternis
Occidens regnis, tumuloque vili
Tectus, ignotas iacet inter vmbras.
Aulis amiſſi memor inde regis
Portubus lentis retinet carinas
Stare querentes.
Ille vocali genitus Camœna,
Cuius ad chordas modulante plectro
Reſtitit torrens, ſiluëre venti;
Cui ſuo cantu volucris relicto
Adfuit tota comitante ſilva,
Thracios ſparſus iacuit per agros.
Ad caput tractus fluvialis Hebri
Contigit notam Styga, Tartarumque,
Non redituruus.
Stravit Alcides Aquilone natos.
Patre Neptuno genitum necavit,

Sumere innumeras ſolitum figuras.
Ipſe poſt terræ pelagique pacem,
Poſt feri Ditis patefacta regna,
Vivus ardenti recubans in OEta,
Præbuit ſævis ſua membra flammis,
Tabe conſumptus gemini cruoris
Munere nuptæ.
Stravit Ancæum violentus ictu
Setiger. fratres, Meleagre, matris
Impius mactas; morerisque dextra
Matris iratæ. meruère cuncti.
Morte quod crimen tener expiavit
Herculi magno puer irrepertus?
Raptus eſt tutas puer inter undas.
Ite nunc fortes; perarate pontum
Sorte timenda.
[Idmonem, quamvis bene fata noſſet,
Condidit ſerpens Libycis arenis.
Omnibus verax, ſibi falſus uni
Concidit Mopſus, caruitque Thebis,
Ille qui verè cecinit futura.
Exul erravit Thetidis maritus.
Igne fallaci nociturus Argis
Nauplius præceps cadit in profundum.
Crimini pœnas patrio pependit,
Fulmine & ponto moriens Oïleus.
Coniugis fatum redimens Pheræi
Uxor impendit animam marito.
Ipſe, qui prædam ſpoliumque iuſſit
Aureum prima revehi carina,
Uſtus accenſo Pelias aheno
Arſit anguſtas vagus inter undas.

Jam ſatis, divi, mare vindicaſtis.
Parcite iuſſo.]* * Al. vivo.

ACTVS QVARTVS.

NVTRIX.

Pavet animus, horret; magna pernicies adeſt.
Immane quantum augeſcit, & ſemet dolor
Accendit ipſe, vimque præteritam integrat.
Vidi furentem, ſæpe & aggreſſam deos
Cœlum trahentem. maius his, maius parat
Medea monſtrum. namque vt attonito gradu
Evaſit, & penetrale funeſtum attigit;
Totas opes effudit, & quidquid diu
Etiam ipſa timuit, promit; atque omnem explicat
Turbam malorum: arcana, ſecreta, abdita.
Et triſte læva complicans ſacrum manu,
Peſtes vocat, quascunque ferventis creat
Arena Libyæ, quasque perpetua nive
Taurus coërcet frigore Arctoo rigens;
Et omne monſtrum. tracta magicis cantibus
Squammea latebris turba deſertis adeſt.
Heic ſera ſerpens corpus immenſum trahit,
Trifidamque linguam exertat, & quærens quibus
Mortifera veniat, carmine audito ſtupet,
Tumidumque nodis corpus aggeſtis plicat,
Cogitque in orbes. parva ſunt, inquit, mala,
Et vile telum eſt, ima quod tellus creat:
Cœlo petam venena. iam nunc tempus eſt
Aliquid movere fraude vulgari altius.
Huc ille vaſti more torrentis iacens
Deſcendat anguis; cuius immenſos duæ

Maior

Maior minorque ſentiunt nodos feræ;
Maior Pelaſgis, apta Sidoniis minor.
Preſsasque tandem ſolvat Ophiuchus manus,
Virusque fundat. adſit ad cantus meos
Laceſsere auſus gemina Python numina.
Et hydra, & omnis redeat Herculea manu
Succiſa ſerpens, cæde ſe reparans ſua.
Tu quoque relictis pervigil Colchis ades,
Sopite primum cantibus ſerpens meis.
Poſtquam evocavit omne ſerpentum genus,
Congerit in vnum frugis infaustæ mala:
Quæcunque generat invius ſaxis Eryx;
Quæ fert opertis hieme perpetua iugis
Sparſus cruore Caucaſus Promethei;
Pharetraque pugnax Medus, aut Parthus levis;
Et queis ſagittas divites Arabes linunt;
Aut quos ſub axe frigido ſuccos legunt
Lucis Suëvi nobiles Hercyniis.
Quodcunque tellus Vere nidifico creat;
Aut rigida cum iam Bruma diſcuſſit decus
Nemorum, & nivali cuncta conſtrinxit gelu;
Quodcunque gramen flore mortifero viret,
Dirisve tortis ſuccus in radicibus
Cauſsas nocendi gignit, attrectat manu.
Æmonius illas contulit peſtes Athos;
Has Pindus ingens; illa Pangæi iugis
Teneram cruenta falce depoſuit comam;
Has aluit altum gurgitem Tigris premens;
Danubius illas; has per arentes plagas
Tepidis Hydaſpes gemmifer currens aquis,
Nomenque terris qui dedit Bætis ſuis,
Heſperia pulſans maria languenti vado,

Hæc paſſa ferrum eſt, dum parat Phœbus diem;
Illius alta nocte ſucciſus frutex:
At huius vngue ſecta cantato ſeges
Mortifera carpit gramina, ac ſerpentium
Saniem exprimit; miſcetque & obſcœnas aves,
Mœſtique cor bubonis, & raucæ ſtrigis
Exſecta vivæ viſcera. hæc ſcelerum artifex
Diſcreta ponit. his rapax vis ignium;
His gelida pigri frigoris glacies ineſt.
Addit venenis verba, non iſtis minus
Metuenda. ſonuit ecce veſano gradu,
Canitque. mundus vocibus primis tremit.

MEDEA.

Vos precor vulgus ſilentum, vosque ferales deos,
Et Chaos cœcum, atq; opacam Ditis vmbroſi domum,
Tartari ripis ligatos ſqualliдæ Mortis ſpecus,
Suppliciis animæ remiſſis currite ad thalamos novos.
Rota reſiſtat membra torquens; tangat Ixion humum.
Tantalus ſecurus vndas hauriat Pirenidas.
Gravior pœna ſedeat coniugis ſocero mei:
Lubricus per ſaxa retro Siſyphum volvat lapis.
Vos quoque, vrnis quas foratis irritus ludit labor,
Danaides, coite; veſtras hic dies quærit manus.
Nunc meis vocata ſacris noctium ſidus veni,
Peſſimos induta vultus, fronte non vna minax.
Tibi more gentis vinculo ſolvens comam,
Secreta nudo nemora luſtravi pede.
Et evocavi nubibus ſiccis aquas;
Egique ad imum maria, & Oceanus graves
Interius vndas æſtibus victis dedit.
Pariterque mundus lege confuſa ætheris

Et Solem & astra vidit ; & vetitum mare
Tetigistis Vrsæ. temporum flexi vices.
Æstiva tellus floruit cantu meo,
Messem coacta vidit hibernam Ceres.
Violenta Phasis vertit in fontem vada ;
Et Ister in tot ora divisus truces
Compressit vndas, omnibus ripis piger.
Sonuëre fluctus. tumuit insanum mare
Tacente vento. nemoris antiqui domus
Amisit vmbram vocis imperio meæ.
Die relicto Phœbus in medio stetit.
Hyadesque nostris cantibus motæ labant.
Adesse sacris tempus est, Phœbe, tuis.
Tibi hæc cruenta serta texuntur manu,
Novena quæ serpens ligat :
Tibi hæc Typhoëus membra qui discors tulit,
Qui regna concussit Iovis.
Vectoris istic perfidi sanguis inest,
Quem Nessus exspirans dedit.
OEtæus isto cinere defecit rogus,
Qui virus Herculeum bibit.
Piæ sororis, impiæ matris facem,
Vltricis Altheæ vides.
Reliquit istas invio plumas specu
Harpyia, dum Zethum fugit.
His adice pinnas saucias Stymphalidos,
Lernæa passæ spicula.
Sonuistis aræ. tripodas agnosco meos,
Favente commotos dea.
Video Triviæ currus agiles,
Non quos pleno lucida vultu
Pernox agitat ; sed quos facie

Lurida mœsta, cum Theſſalicis
Vexata minis, cœlum freno
Propiore legit. ſic face triſtem
Pallida lucem funde per auras;
Horrore novo terre populos;
Inque auxilium, Dictynna, tuum
Pretioſa ſonent æra Corinthi.
Tibi ſanguineo ceſpite ſacrum
Solenne damus. tibi de medio
Rapta ſepulchro fax nocturnos
Suſtulit ignes. tibi mota caput
Flexâ voces cervice dedi.
Tibi funereo de more iacens
Paſſos vincit vitta capillos.
Tibi iactatur triſtis Stygia
Ramus ab vnda. tibi nudato
Pectore Mænas ſacro feriam
Brachia cultro.
Manet noſter ſanguis ad aras.
Aſſueſce, manus, ſtringere ferrum,
Carosque pati poſſe cruores.
Sacrum laticem percuſſa dedi.
Quod ſi nimium ſæpe vocari
Quereris, votis ignoſce, precor.
Cauſſa vocandi, Perſei, tuos
Sæpius arcus, vna atque eadem
Semper, Iäſon. tu nunc veſtes
Tingue Creuſæ, quas cum primum
Sumpſerit, imas vrat ſerpens
Flamma medullas, ignis fulvo
Cluſus in auro latet obſcurus;
Quem mihi, cœli qui furta luit

Viſcere feto, dedit, & docuit
Condere virus arte Prometheus.
Dedit & tenui ſulphure tectos
Mulciber ignes. & vivacis
Fulgura flammæ de cognato
Phaëthonte tuli. habeo mediæ
Dona Chimæræ.
Habeo flammas vſto tauri
Gutture raptas; quas permiſto
Felle Meduſæ, tacitum iuſſi
Servare malum.
Adde venenis ſtimulos, Hecate,
Donisque meis ſemina flammæ
Condita ſerva. fallant viſus,
Tactusque ferant. meet in pectus
Venasque calor. ſtillent artus,
Oſſaque fument; vincatque ſuas
Flagrante comâ nova nupta faces.
Vota tenentur; ter latratus
Audax Hecate dedit, & ſacros
Edidit ignes face luctifera.
Peracta vis eſt omnis. huc gnatos voca,
Pretioſa per quos dona nubenti feras.
Ite, ite nati, matris infauſtæ genus,
Placate vobis munere & multa prece
Dominam & novercam. vadite, & celeres domum
Referte greſſus, vltimo amplexu vt fruar.

CHORVS.

Quonam cruenta Mænas
Præceps amore ſævo
Rapitur? quod impotenti

Facinus parat furore?
Vultus citatus ira
Riget, & caput feroci
Quatiens superba motu
Regi minatur vltro.
Quis credat exulantem?
Flagrant genæ rubentes,
Pallor fugat ruborem.
Nullum vagante formâ
Servat diu colorem.
Huc fert pedes & illuc,
Vt tigris orba gnatis
Cursu furente lustrat
Gangeticum nemus: sic
Frenare nescit iras
Medea, non amores.
Nunc ira amorque causam
Iunxere. quid sequetur?
Quando efferet Pelasgis
Nefanda Colchis arvis
Gressum: metuque solvet
Regnum, simulque reges?
Nunc, Phœbe, mitte currus
Nullo morante loro.
Nox condat alma lucem.
Mergat diem timendum
Dux noctis Hesperugo.

ACTVS

ACTVS QVINTVS.

NVNCIVS. CHORVS. NVTRIX.
MEDEA. IASON.

NVN. PEriëre cuncta, concidit regni ſtatus.
Gnata atque genitor cinere permiſto iacent.
CHO. Qua fraude capti? NVT. qua ſolent reges capi?
Donis. CHO. In illis eſſe quis potuit dolus?
NVN. Et ipſe miror; vixque iam facto malo
Potuiſſe fieri credo. CHO. Quis cladis modus?
NVN. Avidus per omnem regiæ partem furit,
Vt iuſſus, ignis: iam domus tota occidit;
Vrbi timetur. CHO. Vnda flammas opprimat.
NVN. Et hoc in iſta clade mirandum accidit,
Alit vnda flammas, quoque prohibetur magis,
Magis ardet ignis. ipſa præſidia occupat.
NVT. Effer citatum ſede Pelopea gradum,
Medea. præceps quaslibet terras pete.
MED. Egon' vt recedam? ſi profugiſſem prius,
Ad hoc redirem. nuptias ſpecto novas.
Quid, anime, ceſſas? ſequere felicem impetum.
Pars vltionis iſta, qua gaudes, quota eſt?
Amas adhuc, furioſa? ſic ſatis eſt tibi
Cælebs Iäſon? quære pœnarum genus
Haud vſitatum. iamque ſic temet para.
Fas omne cedat. abeat expulſus pudor.
Vindicta levis eſt, quam ferunt parvæ manus.
Incumbe in iras, teque languentem excita,
Penitusque veteres pectore ex imo impetus
Violentus hauri. quidquid admiſſum eſt adhuc,

Pietas vocetur. hoc age. & faxo, ſciant
Quam levia fuerint, quamque vulgaris notæ;
Quæ commodavi ſcelera. proluſit dolor
Per iſta noſter. quid manus poterant rudes
Audere magnum? quid puellaris furor?
Medea nunc ſum. crevit ingenium malis.
Iuvat, iuvat rapuiſſe fraternum caput.
Artus iuvat ſecuiſſe. & arcano patrem
Spoliaſſe ſacro. iuvat in exitium ſenis
Armaſſe natas. quere materiam, dolor,
Ad omne facinus non rudem dextram afferens.
Quo te igitur, ira, mittis? aut quæ perfido
Intendis hoſti tela? neſcio quid ferox
Decrevit animus intus, & nondum ſibi
Audet fateri. ſtulta properavi nimis.
Ex pellice vtinam liberos hoſtis meus
Aliquos haberet! quidquid ex illo tuum eſt,
Crëuſa peperit. placuit hoc pœnæ genus,
Meritoque placuit. vltimum magno ſcelus
Animo parandum eſt. liberi quondam mei,
Vos pro paternis ſceleribus pœnas date.
Cor pepulit horror. membra torpeſcunt gelu,
Pectusque tremuit. ira diſceſſit loco.
Materque tota coniuge expulſa redit.
Egon' vt meorum liberûm ac prolis meæ
Fundam cruorem? melius, ah demens furor.
Incognitum iſtud facinus, ac dirum nefas
A me quoque abſit. quod ſcelus miſeri luent?
Scelus eſt Iaſon genitor, & maius ſcelus
Medea mater. occidant: non ſunt mei.
Pereant? mei ſunt. crimine & culpa carent,
Sunt innocentes. fateor: & frater fuit.

Quid, anime, titubas? ora quid lacrimæ rigant?
Variamque nunc huc ira, nunc illuc amor
Diducit? anceps æstus incertam rapit.
Vt sæva rapidi bella cum venti gerunt;
Vtrimque fluctus maria discordes agunt,
Dubiumque pelagus fervet: haud aliter meum
Cor fluctuatur. ira pietatem fugat,
Iramque pietas. cede pietati, dolor.
Huc cara proles, vnicum afflictæ domus
Solamen, huc vos ferte, & infusos mihi
Coniungite artus. habeat incolumes pater,
Dum & mater habeat. vrget exilium, ac fuga.
Iam iam meo rapientur avulsi sinu,
Flentes, gementes. osculis pereant patris;
Perïëre matris. rursus increscit dolor,
Et fervet odium. repetit invisam manum
Antiqua mentis ira. qua ducis, sequor.
Vtinam superbæ turba Tantalidos meo
Exisset vtero, bisque septenos parens
Natos tulissem! sterilis in pœnas fui.
Fratri patrique quod sat est, peperi duos.
Quonam ista tendit turba Furiarum impotens?
Quem quærit? aut quo flammeos ictus parat?
Aut cui cruentas agmen infernum faces
Intentat? ingens anguis excusso sonat
Tortus flagello. quem trabe infestâ petet
Megæra? cuius vmbra dispersis venit
Incerta membris? frater est. pœnas petit.
Dabimus. sed omnes fige luminibus faces:
Lania, perure. pectus en furiis patet.
Discedere à me, frater, vltrices deas,
Manesque ad imos ire securas iube:

Mihi

Mihi me relinque, & vtere hac, frater, manu,
Quæ ſtrinxit enſem: victimâ manes tuos
Placemus iſtâ. Quid repens affert ſonus?
Parantur arma, meque in exitium petunt.
Excelſa noſtræ tecta conſcendam domus
Cæde inchoata. perge tu mecum comes.
Tuum quoque ipſe corpus hinc mecum aveham.
Nunc hoc age, anime. non in occulto tibi eſt
Perdenda virtus. approba populo manum.
IAS. *Quicunque regum es cladibus fidus, dolens,*
Concurre, vt ipſum ſceleris auctorem horridi
Capiamus. huc, huc, fortis armigeri cohors,
Conferte tela. vertite ex imo domum.
MED. *Iam iam recepi ſceptra, germanum, patrem;*
Spoliumque Colchi pecudis auratæ tenent.
Redière regna, rapta virginitas rediit.
O placida tandem numina! ô feſtum diem!
O nuptialem! vade. perfectum eſt ſcelus;
Vindicta nondum. perage-dum facinus manu.
Quid nunc moraris, anime? quid dubitas? potes.
Iam cecidit ira. pœnitet. facti pudet.
Quid, miſera, feci? miſera, pœniteat licet,
Feci. voluptas magna me invitam ſubit:
Et ecce creſcit. deerat hoc vnum mihi,
Spectator ipſe. nil adhuc factum reor.
Quidquid ſine iſto fecimus ſceleris, periit.
IAS. *En ipſa tecti parte præcipiti imminet.*
Huc rapiat ignes aliquis, vt flammis cadat
Suis peruſta. MED. *Congere extremum tuis*
Natis, Iäſon, funus, ac tumulum ſtrue.
Coniux ſocerque iuſta iam funeris habent
A me ſepulti. natus hic fatum tulit.

Hic

Hic te vidente dabitur exitio pari.
IAS. *Per numen omne, perque communes fugas,*
Torosque, quos non nostra violavit fides,
Iam parce nato. si quod est crimen, meum est:
Me dede morti. noxium macta caput.
MED. *Hac, qua recusas, qua doles, ferrum exigam.*
I nunc, superbe, virginum thalamos pete.
Relinque matres. IAS. *Vnus est pœnæ satis.*
MED. *Si posset vnâ cæde satiari manus,*
Nullam petisset. vt duos perimam tamen,
Nimium est dolori numerus angustus meo.
In matre si quod pignus etiamnum latet,
Scrutabor ense viscera, & ferro extraham.
IAS. *Iam perage cœptum facinus, haud vltra precor;*
Moramque saltem suppliciis dona meis.
MED. *Perfruere lento scelere; ne propera, dolor.*
Meus dies est: tempore accepto vtimur.
IAS. *Infesta memet perime.* MED. *Misereri iubes.*
Bene est, peractum est. plura non habui, dolor,
Quæ tibi litarem. lumina huc tumida alleva,
Ingrate Iason. coniugem agnoscis tuam?
Sic fugere soleo. patuit in cœlum via.
Squammosa gemini colla serpentes iugo
Summissa præbent. recipe iam natos parens.
Ego inter auras aliti curru vehar.
IAS. *Per alta vade spatia sublimi ætheris:*
Testare nullos esse, qua veheris, deos.

FINIS.

L. AN.

L. ANNAEI SENECAE AGAMEMNON.

Dramatis Personæ.

THYESTES. AGAMEMNON.
CLYTAEMNESTRA. CASSANDRA.
NVTRIX. EVRYBATES.
AEGISTHVS. ELECTRA.
CHORVS ARGIVARVM, STROPHIVS.
sive MYCENAEARVM. CHORVS ILIADVM.
ORESTES, muta persona. PYLADES, muta persona.

ACTVS PRIMVS.

THYESTIS VMBRA.

O Paca linquens Ditis inferni loca,
Adsum profundo Tartari emissus specu,
Incertus vtras oderim sedes magis.
Fugio Thyestes inferos, superos fugo.
En horret animus, & pavor membra excutit:
Video paternos, imò fraternos lares.
Hoc est vetustum Pelopiæ limen domus.
Hinc auspicari regium capiti decus

Mos

Mos est Pelasgis. hoc sedent alti toro,
Quibus superba sceptra gestantur manu.
Locus heic habendæ curiæ : heic epulis locus.
Libet reverti. nonne vel tristes lacus
Incolere satius ? nonne custodem Stygis
Tergemina nigris colla iactantem iubis ?
Vbi ille celeri corpus evinctus rotæ
In se refertur ; vbi per adversum irritus
Redeunte toties luditur saxo labor ;
Vbi tondet ales avida fecundum iecur ;
Et inter vndas fervida exustus siti
Aquas fugaces ore decepto appetit,
Pœnas daturus cœlitum dapibus graves.
Sed ille nostræ pars quota est culpæ senex ?
Reputemus omnes, quos ob infandas manus
Quæsitor vrna Cnossius versat reos :
Vincam Thyestes sceleribus cunctos meis.
A fratre vincar. liberis plenus tribus
In me sepultis. viscera exedi mea.
*Nec hactenus * fortuna maculavit patrem ;* * cortina. Scal.
Sed maius aliud ausa commisso scelus :
Gnatæ nefandos petere concubitus iubet.
Non pavidus hausi dicta, sed cepi nefas.
Ergo vt per omnes liberos irem parens
Coacta fatis nata fert vterum gravem,
Me patre dignum. versa natura est retro.
Avo parentem, (prò nefas !) patri virum,
Natis nepotes miscui, nocti diem.
Sed sera tandem respicit fessos malis
*Post fata demum sortis * incestæ fides.* * Al. incertæ.
Rex ille regum, ductor Agamemnon ducum,
Cuius secutæ mille vexillum rates

Iliacæ

Iliaca velis maria texerunt ſuis;
Poſt dena Phœbi luſtra devicto Ilio
Adeſt, daturus coniugi iugulum ſuæ.
Iam iam natabit ſanguine alterno domus.
Enſes, ſecures, tela, diviſum gravi
Ictu bipennis regium video caput.
Iam ſcelera prope ſunt; iam dolus, cædes, cruor.
Parantur epulæ. cauſſa natalis tui,
Ægiſthe, venit. quid pudor vultus gravat?
Quid dextra dubio trepida conſilio labat?
Quid ipſe temet conſulis, torques, rogas,
An deceat hoc te? reſpice ad matrem; decet.
Sed cur repente noctis æſtivæ vices
Hiberna longâ ſpatia producunt morâ?
Aut quid cadentes detinet ſtellas polo?
Phœbum moramur. redde iam mundo diem.

CHORVS. ARGIVARVM.

O Regnorum magnis fallax
Fortuna bonis, in præcipiti
Dubioque nimis excelſa locas.
Nunquam placidam ſceptra quietem,
Certumve ſui tenuêre diem.
Alia ex aliâ cura fatigat,
Vexatque animos nova tempeſtas.
Non ſic Libycis Syrtibus æquor
Furit alternos volvere fluctus;
Non Euxini turget ab imis
Commota vadis vnda nivali
Vicina polo;
Vbi cæruleis immunis aquis
Lucida verſat plauſtra Bootes.

Vt præcipites Regum casus
Fortuna rotat!
Metui cupiunt, metuique timent.
Non nox illis alma receſſus
Præbet tutos; non curarum
Somnus domitor pectora ſolvit.
Quas non arces ſcelus alternum
Dedit in præceps? impia quas non
Arma fatigant? iura, pudorque,
Et coniugii ſacrata fides,
Fugiunt aulas: ſequitur triſtis
Sanguinolenta Bellona manu,
Quæque ſuperbos vrit Erinnys,
** Tumidas ſemper comitata domos:* *Al. Nimias
Quas in planum quælibet hora
Tulit ex alto. licet arma vacent,
Ceſſentque doli,
Sidunt ipſo pondere magna,
Ceditque oneri Fortuna ſuo.
Vela ſecundis inflata Notis
Ventos nimium timuere ſuos.
Nubibus ipſis inſerta caput
Turris pluvio vapulat Auſtro.
Denſasque nemus ſpargens vmbras
Annoſa videt robora frangi.
Feriunt celſos fulmina colles.
Corpora morbis maiora patent:
Et cum in paſtus armenta vagos
Vilia currunt, placet in vulnus
Maxima cervix. Quidquid in altum
Fortuna tulit, ruitura levat.
Modicis rebus longius ævum eſt.

Felix, mediæ quisquis turbæ
Sorte quietus,
Aura stringit littora tuta;
Timidusque mari credere cymbam,
Remo terras propiore legit.

ACTVS SECVNDVS.

CLYTEMNÆSTRA. NVTRIX.

QVid, segnis anime, tuta consilia expetis?
Quid fluctuaris? clusa iam melior via est.
Licuit pudicos coniugis quondam toros,
Et sceptra castâ vidua tutari fide.* * Al. iuncta.
Periêre mores, ius, decus, pietas, fides,
Et qui redire, cum perit, nescit pudor.
Da frena, & omnem prona nequitiam incita.
Per scelera semper sceleribus tutum est iter.
Tecum ipsa nunc evolve femineos dolos,
Quod vlla coniux perfida, atque impos sui,
Amore cœco; quod novercales manus
Ausæ; quod ardens impiâ virgo face,
Phasiaca fugiens regna Thessalicâ trabe:
Ferrum, venena. vel Mycenæa domo,
Coniuncta socio, profuge furtiva rate.
Quid timida loqueris furta, & exilium, & fugas?
Soror ista fecit. te decet maius nefas.
NVT. *Regina Danaûm, inclitum Ledæ genus,*
Quid tacita versas? quidve consilij impotens
Tumido feroces impetus animo geris?
Licet ipsa fileas, totus in vultu est dolor.
Proin quidquid est, da tempus ac spatium tibi.
Quod ratio nequiit, sæpe sanavit mora.

CLY. *Maiora cruciant, quam vt moras possim pati.*
Flammæ medullas & cor exurunt meum.
Mistus dolori subdidit stimulos timor.
Invidia pulsat pectus. hinc animum iugo
Premit Cupido turpis, & vinci vetat,
Et inter istas mentis obsessæ faces,
*Fessus quidē,& * deiectus, & pessundatus* *Al. devictus
Pudor rebellat. fluctibus varijs agor:
Vt cum hinc profundum ventus, hinc æstus rapit,
Incerta dubitat vnda, cui cedat malo.
Proinde omisi regimen è manibus meis.
Quocunque me ira, quo dolor, quo spes feret,
Huc ire pergam. fluctibus dedam ratem.
Vbi animus errat; optimum est, casum sequi.
NVT. *Cœca est temeritas, quæ petit casum ducem.*
CLY. *Cui vltima est fortuna, quid dubiam timet?*
NVT. *Tuta est, latetque culpa, si pateris, tua.*
CLY. *Perlucet omne regiæ vitium domus.*
NVT. *Piget prioris, & novum crimen struis?*
CLY. *Res est profecto stulta, nequitiæ modus.*
NVT. *Quod metuit, auget, qui scelus scelere obruit.*
CLY. *Et ferrum & ignis sæpe medicinæ loco est.*
NVT. *Extrema primo nemo tentavit loco.*
CLY. *Capienda rebus in malis præceps via est.*
NVT. *At te reflectat coniugij nomen sacrum.*
CLY. *Decem per annos vidua respiciam virum?*
NVT. *Meminisse debes sobolis ex illo tuæ.*
CLY. *Equidem & iugales filiæ memini faces;*
Et generum Achillem. præstitit matri fidem.
NVT. *Redemit illa classis immotæ moras,*
Et maria pigro fixa languore impulit.
CLY. *Pudet, pigetque! Tyndaris cœli genus,*

Luſtrale claſſi Doricæ peperit caput.
Revolvit animus virginis thalamos meæ,
Quos ille dignos Pelopiâ fecit domo,
Cum ſtetit ad aras ore ſacrilego pater
Quaſi nuptiales. horruit Calchas ſuæ
Reſponſa vocis, & recedentes focos.
O ſcelera ſemper ſceleribus vincens domus!
Cruore ventos emimus, bellum nece.
NVT. *Sed vela pariter mille fecerunt rates.*
CLY. *Non eſt ſoluta proſpero claſſis deo:*
Eiecit Aulis impias portu rates.
Sic auſpicatus bella, non melius gerit.
Amore captæ captus; immotus prece,
Sminthea tenuit ſpolia Phœbei ducis,
Ardore ſacræ virginis iam tum furens.
Non illum Achilles flexit indomitus minis;
Non ille ſolus fata qui mundi videt,
In nos fidelis augur, in captas levis;
Non populus ager, & relucentes rogi.
Inter ruentis Græciæ ſtragem vltimam
Sine hoſte victus marcet, ac Veneri vacat,
Reparatque amores: neve deſertus foret
Apellice vnquã barbara cælebs torus,* *Al. vel ſuus c.
Ablatam Achilli diligit Briſeida:
Nec rapere puduit è ſinu avulſam viri.
En Paridis hoſtem! nunc novum vulnus gerens
Amore Phrygiæ vatis incenſus furit:
Et poſt trophæa Troica, ac verſum Ilium,
Captæ maritus remeat, & Priami gener.
Accingere, anime; bella non levia apparas:
Scelus occupandum eſt. pigra, quem exſpectas diem?
Pelopia Phrygiæ ſceptra dum teneant nurus?

An

An te morantur virgines viduæ domi;
Patrique Oreſtes ſimilis? horum te mala
Ventura moveant, turbo queis rerum imminet.
Quid miſera ceßas? en adeſt natis tuis
Furens noverca. per tuum, ſi aliud nequit,
Latus exigatur enſis, & perimat duos.
Miſce cruorem. perde pereundo virum.
Mors miſera non eſt, commori cum quo velis.
NVT. *Regina, frena temet, & ſiſte impetum;*
Et quanta tentes, cogita. victor venit
*Aſiæ ferocis, vltor Europæ, * trahens* * Al. trahit
Captiva Pergama, & diu victos Phrygas.
*Hunc fraude nunc conaris * inſana aggredi?* * Al. & furto
Quem non Achilles enſe violavit fero,
Quamvis procacem torvus armaßet manum
Non melior Aiax, morte decreta furens;
Non ſola Danais Hector & bello mora;
Non tela Paridis certa; non Memnon niger;
Non Xanthus armis corpora immiſtis gerens,
Fluctusque Simois cæde purpureos agens,
Non nivea proles Cycnus æquorei dei;
Non bellicoſo Threßa cum Rheſo phalanx;
Non picta pharetras, & ſecurigerâ manu
Peltata Amazon; hunc domi reducem paras
Mactare, & aras cæde maculare impiâ?
Vltrix inultum Græcia hoc facinus feret?
Equos & arma, claſſibusque horrens fretum
Propone, & alto ſanguine exundans ſolum,
Et tota captæ fata Dardaniæ domus
Regeſta Danais. comprime affectus truces,
Mentemque tibimet ipſa pacifica tuam.

AEGISTHVS. CLYTAEMNESTRA.

ÆGI. *Quod tempus animo ſemper ac mente horrui,*
Adeſt profectò rebus extremum meis.
Quid terga vertis, anime? quid primo impetu
Deponis arma? crede perniciem tibi,
Et dira ſævos fata moliri deos.
Oppone cunctis vile ſuppliciis caput,
Ferrumque & ignes pectore adverſo excipe.
CLY. *Ægiſthe, non eſt pœna ſic nato mori.*
ÆGI. *Tu nos periculi ſocia, tu Ledâ ſata*
Comitare tantum: ſanguinem reddet tibi
Ignavus: iſte ductor, ac fortis pater.
Sed quid trementes circuit pallor genas,
Facensque vultus languido obtutus ſtupet?
CLY. *Amor iugalis vincit, ac flectit retro.*
Remeemus illuc, vnde non decuit prius
*Abire: * ſic nunc caſta repetatur fides.* * Al. ſed.
Nam ſera nunquam eſt ad bonos mores via.
Quem pœnitet peccaſſe, pæne eſt innocens.
ÆGI. *Quo rapéris amens? credis aut ſperas tibi*
Agamemnonis fidele coniugium? vt nihil
Subeſſet animo, quod graves faceret metus;
Tamen ſuperba & impotens flatu nimis
Fortuna magno ſpiritus tumidos daret.
Gravis ille ſociis ſtante adhuc Troia fuit.
Quid rere ad animum ſuapte natura trucem,
Troiam addidiſſe? rex Mycenarum fuit.
Veniet tyrannus. proſpera animos efferunt.
Effuſa circa pellicum quanto venit
Turba apparatu! ſola ſed longe eminet,
Tenetq; regnum famula veridici Dei.

Feres-

Feresne thalami victa consortem tui?
At illa nolet. vltimum est nuptæ malum,
Palam mariti possidens pellex domum.
Nec regna socium ferre, nec tedæ sciunt.
CLY. *Ægisthe, quid me rursus in præceps rapis,*
Iramque flammis iam residentem excitas?
Permisit aliquid victor in captas sibi:
Non coniugem hoc respicere, non dominam decet.
Lex alia solio est, alia privato toro.* * Al. socio.
Quid quod severas ferre me leges viro
Non patitur animus turpis admissi memor?
Det ille veniam facile, cui venia est opus.
ÆGI. *Ita est. pacisci mutuam veniam licet.*
Ignota tibi sunt iura regnorum haud nova.
Nobis maligni iudices, æqui sibi,
Id esse regni maximum pignus putant,
Si quidquid alijs non licet, solis licet.
CLY. *Ignovit Helenæ. iuncta Menelao redit,*
Quæ Europam & Asiam paribus afflixit malis.
ÆGI. *Sed nulla Atriden Venere furtiva abstulit,*
Nec cepit animum coniugi obstrictum suæ.
Iam crimen ille quærit, & caussas parat.
Nil esse crede turpe commissum tibi.
Quid honesta prodest vita, flagitio carens,
Vbi dominus odit? fit nocens, non quæritur.
Spartamne repetes spreta, & à tanto viro,
Patriasque sedes profuga? non dant exitum
Repudia regum. spe metum falsa levas.
CLY. *Delicta norit nemo, nisi fidus, mea.*
ÆGI. *Non intrat vnquam regium limen fides.*
CLY. *Opibus merebor, vt fidem pretio obligem.*
ÆGI. *Pretio parata, vincitur pretio fides.*

CLY. *Surgit reſiduus priſtinæ mentis pudor.*
Quid obſtrepis? quid voce blandiloquâ mala
Conſilia dictas? ſcilicet nubet tibi
Regum relicto rege, generoſa exuli?
ÆGI. *Et cur Atrida videor inferior tibi,*
Natus Thyeſte? CLY. *Si parum eſt, adde & nepos.*
ÆGI. *Auctore Phœbo gignor. haud generis pudet.*
CLY. *Phœbum nefandæ ſtirpis auctorem vocas,*
Quem nocte ſubitâ frena revocantem ſua
Cœlo expuliſtis? quid deos probro advocas,
Surripere doctus fraude geniales toros,
Quem Venere tantum ſcimus illicitâ virum?
Secede propere. dedecus claræ domus
Aſporta ab oculis. hæc vacat regi ac viro.
ÆGI. *Exilia mihi ſunt haud nova. aſſuevi malis.*
Si tu imperas, regina, non tantum domo
Argisve cedo: nil moror iuſſu tuo
Aperire ferro pectus ærumnis grave.
CLY. *Siquidem hoc cruenta Tyndaris fieri ſinam?*
Quæ invita peccat, debet & culpæ fidem.
Secede mecum potius, vt rerum ſtatum
Dubium ac minacem iuncta conſilia explicent.

CHORVS ARGIVARVM.

Canite, ô pubes inclita, Phœbum.
Tibi feſta caput turba coronat.
Tibi virgineas laurum quatiens
De more comas innuba fundit
Stirps Inachia. tu quoque noſtros
* *Thebana manus comitare choros,* * Al. Thebais hoſpes ¢. ch.
Quæque Eraſini gelidos fontes,
Quæque Eurotam, quæque virentì

Tacitum

Taciturn ripa bibis Ismenon,
Quam fatorum præscia Manto
Sata Tiresia Latonigenas
Monuit sacris celebrare deos.
Arcus victor pace relata,
Phœbe, relaxa;
Humeroque graves levibus telis
Pone pharetras; resonetque manu
Pulsa citata vocale chelys.
Nil acre velim,
Magnumque modis intonet altis:
Sed quale soles leviore lyra
Flectere carmen simplex; lusus
Cum docta tuos Musa recenset.
Licet & chorda graviore sones,
Quale canebas cum Titanas
*Fulmine * misso fregére dei.* * Al. victos vidêre d.
Vel cum montes montibus altis
Superimpositi struxere gradus
Trucibus monstris. stetit imposita
Pelion Ossa. pinifer ambos
Pressit Olympus.
Ades, ô, magni soror & coniux,
Consors sceptri, regia Juno:
Tua te colimus turba Mycenæ.
Tu sollicitum supplexque tui
Numinis Argos sola tueris;
Tu bella manu pacemque regis:
Tu nunc lauros Agamemnonias
Accipe victrix.
Tibi multiforâ tibia buxo
Solenne canit. tibi fila movent

Docta puellæ carmine molli.
Tibi votivam matres Graiæ
Lampada iactant. ad tua coniux
Candida tauri delubra cadit,
Nescia aratri, nullo collum
Signata iugo.
Tuque ô magni nata Tonantis
Inclita Pallas, quæ Dardanias
Sæpe petisti cuspide turres:
Te permisto matrona minor
Maiorque choro colit, & referat
Veniente dea templa sacerdos:
Tibi nexilibus Turba coronis
Redimita venit.
Tibi grandævi lassique senes
Compote voto reddunt grates,
Libantque manu vina trementi.
Et te, Trivia, grata memores
Voce precamur. tu maternam
Sistere Delon, Lucina, iubes
Huc atque illuc prius errantem
Cyclada ventis. nunc iam stabilis
Fixa terras radice tenet;
Respuit auras; religatque rates
Assueta sequi. Tu Tantalidos
Funera matris victrix numeras.
Stat nunc Sipyli vertice summo
Flebile saxum,
Et adhuc lacrimas marmora fundunt* * Al. sudant
Antiqua novas.
Colit impense femina virque
Numen geminum. tuque ante omnes

Pater

Pater ac rector, fulmine pollens,
Cuius nutu simul extremi
Tremuëre poli, generis nostri
Iuppiter auctor, cape dona libens:
Abavusque tuam non degenerem
Respice prolem.
Sed, ecce, vasto concitus miles gradu
Manifesta properat signa lætitiæ gerens.
Namque hasta summo lauream ferro gerit.
Fidusque regi semper Eurybates adest.

ACTVS TERTIVS.

EVRYBATES. CLYTAEMNESTRA.

EVR. *DElubra & aras cœlitum, & patrios Lares*
Post longa fessus spatia, vix credens mihi,
Supplex adoro. vota superis solvite:
Telluris altum remeat Argolicæ decus
Tandem ad penates victor Agamemnon suos.
CLY. *Felix ad aures nuncius venit meas.*
Vbinam petitus per decem coniux mihi
Annos moratur? pelagus, an terras premit?
EVR. *Incolumis, auctus gloria, laude inclitus*
Reducem expetito littori impressit pedem.
CLY. *Sacris colamus * prosperũ tandẽ diẽ,* *Al. prospero t. die,
Et si propitios, attamen lentos, deos.
Tu pande, vivat coniugis frater mei,
Et pande, teneat quas soror sedes mea.
EVR. *Meliora votis posco, & obtestor deos.*
Nam certa fari sors maris dubij vetat.
Vt sparsa tumidum classis excepit mare,
Ratis videre socia non potuit ratem.

Quin

Quin ipſe Atrides æquore immenſo vagus
Graviora pelago damna, quam bello, tulit;
Remeatque victo ſimilis, exiguas trahens
Lacerasque victor claſſe de tanta rates.
CLY. *Quis, fare, noſtras hauſerit caſus rates,*
Aut quæ maris fortuna diſpulerit duces.
Acerba fatu poſcis. infaustum iubes
Miſcere læto nuncium. refugit loqui
Mens ægra, tantis atque inhorreſcit malis.
CLY. *Exprome. clades ſcire qui refugit ſuas,*
Gravat timorem. dubia plus torquent mala.
EVR. *Vt Pergamum omne Dorica cecidit face,*
Diviſa præda eſt. maria properantes petunt.
Jamque enſe feſſum miles exonerat latus;
Neglecta ſummas ſcuta per puppes iacent;
Ad militares remus aptatur manus;
Omnisque nimium longa properanti mora eſt.
Signum recurſus regiâ vt fulſit rate,
*Et clara lentum remigem * emovit tuba,* *Al. monuit.
Aurata primas prora ſignavit vias,
Aperitque curſus, mille quos puppes ſecent.
Hinc aura primo lenis impellit rates,
Allapſa velis. vnda vix tactu levis
Tranquilla Zephyri mollis afflatu tremit;
Splendetque claſſe pelagus, & pariter latet.
Juvat videre nuda Troiæ littora,
Juvat relicti ſola Sigei loca.
Properat iuventus omnis adductos ſimul
Lentare remos. adiuvat ventos manu,
Et valida niſu brachia alterno movet.
Sulcata vibrant æquora, & latera increpant;
Dirimuntque canæ cærulum ſpumæ mare.

Vt aura plenos fortior tendit sinus,
Posuēre tonsas. credita est vento ratis:
*Fususq; transtris * miles; aut terras procul,* *Al. navita.
Quantum recedunt vela, fugientes notat;
Aut bella narrat: Hectoris fortis minas,
Currusque, & empto redditum corpus rogo:
Sparsum cruore regis Herceum Iovem.
Tunc qui iacente reciprocus ludit salo,
Tumidumque pando transilit dorso mare
Tyrrhenus omni piscis exsultat freto,
Agitque gyros, & comes lateri adnatat,
Anteire naves lætus, & rursus sequi.
Nunc prima tangens rostra lascivit chorus,
Millesimam nunc ambit & lustrat ratem.
Iam littus omne tegitur, & campi latent,
Et dubia parent montis Idæi iuga.
Et iam, quod vnum pervicax acies videt,
Iliacus atra fumus apparet nota.
Iam lassa Titan colla relevabat iugo;
In astra iam lux prona, iam præceps dies.
Exigua nubes sordido crescens globo
Nitidum cadentis inquinat Phœbi iubar.
Suspecta varius occidens fecit freta.
Nox prima cœlum sparserat stellis. iacent
Deserta vento vela. tum murmur grave
Maiora minitans collibus summis cadit,
Tractuque longo littus ac petræ gemunt.
Agitata ventis vnda venturis tumet:
*Cum subitò luna conditur, stellæ * cadunt;* *Al. latent.
In astra pontus tollitur. cœlum perit.
Nec vna nox est. densa tenebras obruit
Caligo, & omni luce subducta fretum

Cœlum-

Cœlumque miſcet. vndique incumbunt ſimul,
Rapiuntque pelagus infimo everſum ſolo
Adverſus Euro Zephyrus, & Boreæ Notus.
Sua quisque mittunt tela, & infeſti fretum
Emoliuntur. turbo convoluit mare.
Strymonius altas Aquilo contorquet nives;
*Libycusq; arenas Auſter * ac Syrtes agit,* * Al. ad s.
Nec manet in Auſtro; ſit gravis nimbis Notus,
Imbre auget vndas; Eurus Orientem movet,
Nabathæa quatiens regna, & Eoos ſinus.
Quid rapidus ora Corus Oceano exerens?
*Mundum revelli ſedibus * totum ſuis,* * Al. motum
Ipſosque rupto crederes cœlo deos
Decidere, & atrum rebus induci chaos.
Vento reſiſtit æſtus, & ventus retro
Æſtum revolvit. non capit ſeſe mare:
Vndasque miſcent imber & fluctus ſuas.
Nec hoc levamen denique ærumnis datum eſt,
Videre ſaltem, & noſſe, quo pereant malo.
Premunt tenebræ lumina, & diræ Stygis
Inferna nox eſt. excidunt ignes tamen,
Et nube dirum fulmen eliſa micat:
Miſerisque lucis tanta dulcedo eſt malæ.
Hoc lumen optant. ipſa ſe claſſis premit,
Et prora proræ nocuit, & lateri latus.
Illam dehiſcens pontus in præceps rapit,
Hauritque, & alto redditam revomit mare.
Hæc onere ſidit. illa convulſum latus
Summittit vndis. fluctus hanc decimus tegit.
Hæc lacera, & omni decore populato levis,
Fluitat; nec illi vela, nec tonſæ manent;
Nec rectus altas malus antennas ferens,

Sed

Sed trunca toto puppis Ionio natat.
Nil ratio & vſus audet in magnis malis.* *Al. audet. ars ceſsit
Tenet horror artus. omnis officio ſtupet
Navita relicto. remus effugit manus.
In vota miſeros vltimus cogit timor,
Eademque ſuperos Troës & Danai rogant.
Quid fata poſſunt! invidet Pyrrhus patri,
Aiaci Vlyſſes, Hectori Atrides minor,
Priamo Agamemnon. quisquis ad Troiam iacet,
Felix vocatur, cadere qui meruit manu,
Quem fama ſervat, victa quem tellus premit.* *Al. tegit.
Nil nobile auſos pontus atque vndæ ferent?
Ignava fortes fata conſument viros?
Perdenda mors eſt. quisquis es nondum malis
Satiate tantis cœlitum, tandem tuum
Numen ſerena. cladibus noſtris daret
Vel Troia lacrimas. odia ſi durant tua,
Placetque mitti Doricum exitio genus;
Quid hos ſimul perire nobiſcum iuvat,
Quibus perimus? ſiſtite infeſtum mare.
Vehit iſta Danaos claſſis, & Troias vehit.
Nec plura poſſunt. occupat vocem mare.
Ecce alia clades. fulmine irati Iovis
Armata Pallas, quidquid aut haſta minax,
Aut ægide, aut furore Gorgoneo poteſt,
Aut igne patrio, tentat; & cœlo novæ
Spirant procellæ. ſolus invictus malis
Luctatur Aiax. vela cogentem hunc ſua
Tenſo rudente flamma perſtrinxit cadens.
Vibratur aliud fulmen. hoc toto impetu
Tortum reducta Pallas excuſſit manu,
Imitata patrem. tranſit Aiacem, & ratem,

Ratis-

Ratisque partem secum & Aiacis tulit.
Nil ille motus, ardua vt cautes salo
Ambustus exstat, dirimit insanum mare;
Fluctusque rumpit pectore, & navem manu
Complexus in se traxit, & cœco marì
Collucet Aiax. omne resplendet fretum.
Tandem occupata rupe, furibundum intonat,
Superasse nunc se pelagus, atque ignes: iuvat
Vicisse cœlum, Palladem, fulmen, mare.
Non me fugavit bellici terror Dei.
Et Hectorem vna solus & Martem tuli.
Phœbea nec me tela pepulerunt gradu.
Cum Phrygibus istos vicimus. tandem horream,
Aliena inerti tela mitti dextera?
Quid si ipse mittat? plura cum auderet furens,
Tridente rupem subruit pulsam pater
Neptunus, imis exerens vndis caput,
Solvitque montem; quem cadens secum tulit?
Terraque & igne victus & pelago iacet.
Nos alia maior naufragos pestis vocat.
Est humilis vnda, scrupeis mendax vadis,
Vbi saxa rapidis clusa vorticibus tegit
Fallax Caphareus. æstuat scopulis fretum,
Fervetque semper fluctus alterna vice,
Arx imminet prærupta, quæ spectat mare
Vtrimque geminum. Pelopis hinc oras tui,
Et Isthmon, arcto qui recurvatus solo
Ionia iungi maria Phrixeis vetat;
Hinc scelere Lemnon nobilem; hinc & Chalcida;
Tardamque ratibus Aulida. hanc arcem occupat
Palamedis ille genitor, & clarum manu
Lumen nefanda vertice è summo efferens,

In saxa ducit perfida classem face.
Hærent acutis rupibus fixæ rates.
Has inopis undæ brevia comminuunt vada.
Pars vehitur huius prima, pars scopulo sedet.
Hanc alia retro spatia relegentem ferit,
Et fracta frangit. iam timent terram rates,
*Voluntq; maria. * cedit in luctũ furor.* Al. cecidit in lucem f.
Postquam litatum est, Phœbus in lucem redit,
Et damna noctis tristis ostendit dies.
CLY. *Vtrumne doleam, læter an reducem virum?*
Remeasse, lætor. vulnus at regni grave
Lugere cogor. redde iam Graiis, pater
Altisona quatiens regna, placatos deos.
Nunc omne læta fronde veletur caput.
Sacrifica dulces tibia effundat modos;
Et nivea magnas victima ante aras cadat.
Sed ecce turba tristis, incomptæ comas,
Iliades adsunt: quas super celso gradu
Effrena Phœbas entheas laurus quatit.

CHORVS TROADVM.

CASSANDRA.

CHO. *Heu quam dulce malum mortalibus additum,*
Vitæ dirus amor: cum pateat malis
Effugium, & miseros libera mors vocet,
Portus æterna placidus quiete!
Nullus hunc terror, nec impotens
Procella Fortunæ movet,
Aut iniqui flamma Tonantis.
Pax alta nullos civium cœtus
Timet, aut minaces victoris iras;

Non maria asperis insana Coris:
Non acies feras,
Pulvereamque nubem
Motam Barbaricis equitum catervis;
Hostică aut muros populante flamma,
Urbe cum tota populos cadentes:
Indomitumve bellum, perrumpet omne
Solus contemptor levium deorum.
Qui vultus Acherontis atri,
Qui Styga tristem non tristis videt,
Audetque vitæ ponere finem,
Par ille regi, par superis erit.
O quam miserum est nescire mori!
Vidimus patriam ruentem nocte funesta,
Cum Dardana tecta Dorici raperetis ignes.
Non illa bello victa, nec armis,
Ut quondam Herculea cecidit pharetra:
Quam non Pelei Thetidisque natus,
Charusque Pelidæ nimium feroci
Vicit, acceptis cum fulsit armis,
Fuditque Troas falsus Achilles:
Aut cum ipse Pelides animos feroces
Sustulit luctu, celeremque saltu
Troades summis timuëre muris.
Perdidit in malis extremum decus,
Fortiter vinci. restituit annis
Troia bis quinis,
Unius noctis peritura fato.* *Al. furto.
Vidimus simulata dona molis immensæ;
Danaûmque fatale munus duximus nostra
Creduli dextra: tremuitque sæpe
Limine in primo sonipes, cavernis

Con-

Conditos reges bellumque geſtans:
Et licuit verſare dolos, vt ipſi
Fraude ſua capti caderent Pelaſgi.
Sæpe commotæ ſonuere parmæ,
Tacitumque murmur percuſſit aures;
Et fremuit male ſubdolo
Parens Pyrrhus Vlyſſi.
Secura metus Troïca pubes
Sacros gaudet tangere funes.
Hinc æquæui gregis Aſtyanax;
Hinc Æmonio deſponſa rogo,
Ducunt turmas: hæc femineas,
Ille viriles.
Feſtæ matres votiva ferunt
Munera divis: feſti patres
Adeunt aras. vnus tota eſt
Vultus in vrbe.
Et, quod nunquam poſt Hectoreos
Vidimus ignes, læta eſt Hecube.
Quid nunc primum, dolor infelix,
Quidve extremum deflere paras?
Mœnia divûm fabricata manu,
Diruta noſtra?
An templa deos ſuper vſta ſuos?
Non vacat iſtis lacrimare malis.
Te, magne parens, flent Iliades.
Vidi, vidi, ſenis in iugulo,
Telum Pyrrhi vix exiguo
Sanguine tingui.
CAS. *Cohibete lacrimas, omne quas tempus petit,*
Troades, & ipſæ veſtra lamentabili
Lugete gemitu funera. ærumnæ meæ

Socium recuſant. cladibus queſtus meis
Removete. noſtris ipſa ſufficiam malis.
CHO. *Lacrimas lacrimis miſcere iuvat.*
Magis exurunt, quos ſecretæ
Lacerant curæ. iuvat in medium
Deflere ſuos. nec enim, quamvis
Dura virago patiensque mali,
Poteris tantas flere ruinas.
Non quæ verno nobile carmen
Ramo cantat triſtis Aëdon,
Ityn in varios modulata ſonos;
Non quæ tectis Biſtonis ales
Reſidens ſummis impia diri
Furta mariti garrula deflet;
Lugere tuam poterit digne
Conqueſta domum: licet ipſe velit
Clarus niveos inter olores
Iſtrum cygnus Tanaimque colens
Extrema loqui: licet Alcyones
Ceyca ſuum fluctu leviter
Plangente ſonent, cum tranquillo
Male confiſæ credunt iterum
Pelago audaces, fetusque ſuos
Nido pavidæ titubante fovent:
Non ſi molles imitata viros
Triſtis laceret brachia tecum,
Quæ turritæ turba parenti
Pectora rauco concita buxo
Ferit, vt Phrygium lugeat Attyn.
Non eſt lacrimis, Caſſandra, modus:
Quia quæ patimur vicere modum.
Sed cur ſacratas deripis capiti infulas?

Miſeris

Miſeris colendos maxime ſuperos reor.
CAS. *Vicere noſtra iam metus omnes mala.*
Equidem nec vlla cœlites placo prece:
Nec, ſi velint ſævire, quo noceant, habent.
Fortuna vires ipſa conſumpſit ſuas.
Quæ patria reſtat? quis pater? quæ iam ſoror?
Bibêre tumuli ſanguinem atque aræ meum.
Quid illa felix turba fraterni gregis?
Exhauſta nempe: regiam miſeri ſenis
Vacuam relinqui, totque per thalamos vident,
Præter Lacænam, cæteras viduas nurus.
Tot illa regum mater, & regimen Phrygum
Fecunda in ignes Hecuba, fatorum novas
Experta leges, induit vultus feros.
Circa ruinas rabida latravit ſuas,
Troiæ ſuperſtes, Hectori, Priamo, ſibi.
CHO. *Silet repente Phœbas, & pallor genas,*
Creberque totum poſſidet corpus tremor.
Stetere vittæ. mollis horreſcit coma.
Anhela corda murmure incluſo fremunt.
Incerta nutant lumina; & verſi retro
Torquentur oculi. rurſus immites rigent.
Nunc levat in auras altior ſolito caput
Graditurque celſa. nunc reluctantes parat
Reſerare fauces; verba nunc cluſo male
Cuſtodit ore, Mænas impatiens dei.
CAS. *Quid me furoris incitam ſtimulis novi,*
Quid mentis inopem ſacra Parnaſſi iuga
Rapitis? recede, Phœbe. iam non ſum tua.
Extingue flammas pectori infixas meo.
Cui nunc vagor veſana? cui bacchor furens?
Iam Troia cecidit. falſa quid vates ago?

Vbi ſum? fugit lux alma, & obſcurat genas
Nox alta, & æther abditus tenebris latet.* * Al. atra.
Sed ecce gemino ſole præfulget dies;
Geminumque duplices Argos attollit domos.
Idæa cerno nemora. fatalis ſedet
Inter potentes arbiter paſtor deas.
Timete reges, moneo, furtivum genus.
Agreſtis ille alumnus evertet domum.
Quid iſta vecors tela femineâ manu
Diſtricta præfert? quem petit dextrâ virum
Lacæna cultu ferrum Amazonio gerens?
Quæ verſat oculos alia nunc facies meos?
Victor ferarum colla vexatus iacet
Ignobili ſub dente Marmaricus leo,
Morſus cruentos paſſus audacis leæ.
Quid me vocatis ſoſpitem ſolam è meis,
Vmbræ meorum? te ſequor, totâ pater
Troiâ ſepulte. frater, auxilium Phrygum,
Terrorque Danaûm, non ego antiquum decus
Video, aut calentes ratibus exuſtis manus:
Sed lacera membra, & ſaucios vinclo gravi
Fortes lacertos, te ſequor, nimium cito
Congreſſe Achilli Troile. incertos geris
Deiphobe vultus, coniugis munus novæ.
Iuvat per ipſos ingredi Stygios lacus;
Iuvat videre Tartari ſævum canem,
Avidique regna Ditis. hæc hodie ratis
Phlegethontis atri regias animas vehet,
Victamque, victricemque. vos, Vmbræ, precor,
Iurata ſuperis vnda te pariter precor,
Reſerate paulum terga nigrantis poli,
Levis vt Mycenas turba proſpiciat Phrygum.

Spectate

*Spectate miseri. fata se * vertunt retro.* *Al. volvun
Instant sorores squallidæ.
Sanguinea iactant verbera.
Fert læva semustas faces.
** Ardentque pallentes genæ,* *Al. Turgentq;
Et vestis atri funeris
Exesa cingit ilia;
Strepuntque nocturni metus,
Et ossa vasti corporis
Corrupta longinquo situ
Palude limosa iacent.
Et ecce defessus senex
Ad ora ludentes aquas
Non captat, oblitus sitis,
Mœstus futuro funere.
Exultat, & ponit gradus
Pater decoros Dardanus.
CHO. *Iam pervagatus ipse se fregit furor,*
Caditque; flexo qualis ante aras gradu
Cervice taurus vulnus incisa gerens.
Relevemus artus entheos. tandem suos
Victrice lauro cinctus Agamemnon adit;
Coniuxque pariter obvios illi tulit
Gressus. reditque iuncta concordi gradu.

ACTVS QVARTVS.

AGAMEMNON. CASSANDRA.

AG. *TAndem revertor sospes ad patrios lares.*
O cara salve terra. tibi tot Barbaræ
Dedere gentes spolia. tibi felix diu
Potentis Asiæ Troia submisit manus.

Cur iſta vates corpus effuſa, ac tremens
Dubia labat cervice? famuli, attollite.
Refovete gelido latice. iam recipit diem
Marcente viſu. ſuſcita ſenſus tuos.
Optatus ille portus ærumnis adeſt.
Feſtus dies eſt. CAS. *Feſtus & Troiæ fuit.*
AG. *Veneremur aras.* CAS. *Cecidit ante aras pater.*
AG. *Iovem precemur pariter.* CAS. *Herceum Jovem?*
AG. *Credis videre te Ilium?* CAS. *Et Priamum ſimul.*
AG. *Heic Troia non eſt.* C. *Vbi Helena eſt, Troiã puto.*
AG. *Ne metue dominam famula.* C. *Libertas adeſt.*
AG. *Secura vive.* CAS. *Mors mihi eſt ſecuritas.*
AG. *Nullum eſt periclũ tibimet.* C. *At magnũ tibi eſt.*
AG. *Victor timere quid poteſt?* CAS. *Quod non timet.*
AG. *Hanc fida, famuli, turba, dum excutiat Deum,*
Retinete, ne quid impotens peccet furor.
At te, pater, qui ſæva torques fulmina,
Pellisque nubes, ſidera & terras regis,
Ad quem triumphi ſpolia victores ferunt;
Et te ſororem cuncta pollentis viri,
Argolica Iuno, pecore votivo libens
Arabumque donis, ſupplice & fibra colam.

CHORVS ARGIVARVM.

Argos nobilibus nobile civibus,
Argos iratæ carum novercæ,
Semper ingentes educas alumnos;
Imparem æquaſti numerum deorum:
Tuus ille biſſeno meruit labore
Allegi cœlo magnus Alcides;
Cui lege mundi Iuppiter ruptæ
Roſcidæ noctis geminavit horas,

Iuſſitque

Iussitque Phœbum tardius celeres
Agitare currus, & tuas lente
Remeare bigas, candida Phœbe;
Retulitque pedem, alternis nomen
Stella quæ mutat, seque mirata est
Hesperum dici; Aurora movit
Ad solitas vices caput, & relabens
Imposuit senis humero mariti.
Sensit Ortus, sensit Occasus,
Herculem nasci. violentus ille
Nocte non una poterat creari.
Tibi concitatus substitit mundus,
O puer magnum subiture cœlum!
Te sensit Nemeéus arcto
Pressus lacerto fulmineus leo.
Cervaque Parrhasis.
Sensit Arcadii populator agri.
Gemuitque taurus, Dictæa linquens
Horridus arva.
Morte fecundum domuit draconem,
Vetuitque collo pereunte nasci.
Geminosque fratres pectore ab uno
Tria monstra natos, stipite incusso
Fregit insultans: duxitque ad ortus
Hesperium pecus,
Geryonis spolium triformis.
Egit Threicium gregem,
Quem non Strymonii gramine fluminis,
Hebrive ripis pavit tyrannus;
Hospitum dirus stabulis cruorem
Præbuit sævis; tinxitque crudos
Ultimus rictus sanguis auriga.

Vidit Hippolyte ferox,
Pectore in medio rapi ſpolium, & ſagittas.
Nube percuſſa Stymphalis alto
Decidit cœlo.
Arborque pomis fertilis aureis
Extimuit manus inſueta carpi,
Fugitque in auras leviore ramo:
Audivit ſonitum crepitante lamna
Frigidus cuſtos neſcius ſomni,
Linqueret cum iam nemus omne fulvo
Plenus Alcides vacuum metallo.
Tractus ad cœlum canis inferorum
Triplici catena, tacuit, nec vllo
Latravit ore; lucis ignotæ
Metuens colorem. te duce ſuccidit
Mendax Dardaniæ domus,
Et ſenſit arcus iterum timendos:
Te duce concidit totidem diebus
Troia, quot annis.

ACTVS QVINTVS.

CASSANDRA.

REs agitur intus magna, par annis decem.
Eheu, quid hoc eſt? anime, conſurge, & cape
Pretium furoris. vicimus victi Phryges.
Bene eſt! reſurgis Troia, traxiſti iacens
Pares Mycenas. terga dat victor tuus.
Tam clara nunquam providæ mentis furor
Oſtendit oculis. video, & interſum, & fruor.
Imago viſus dubia non fallit meos.
Spectamus. epulæ regia inſtructæ domo,

Quales

Quales fuerunt vltimæ Phrygibus dapes,
Celebrantur. ostro lectus Iliaco nitet;
Merumque in auro veteris Assaraci trahunt:
Et ipse picta veste sublimis iacet
Priami superbas corpore exuvias gerens.
Detrahere cultus vxor hostiles iubet,
Induere potius coniugis fidæ manu
Textos amictus. horreo, atque animo tremo.
Regemne perimet exul, & adulter virum?
Venêre fata. sanguinem extremæ dapes
Domini videbunt, & cruor Baccho incidet.
Mortifera vinctum perfidæ tradet neci
Induta vestis. exitum manibus negat,
Caputque laxi & invii cludunt sinus.
Hausit trementi semivir dextra latus,
Nec penitus adigit: vulnere in medio stupet.
At ille, vt altis hispidus silvis aper,
Cum casse vinctus tentat egressus tamen,
Arctatque motu vincla, & incassum furit:
Cupit fluentes vndique & cæcos sinus
Disjicere; & hostem quærit implicitus suum.
Armat bipenni Tyndaris dextram furens.
Qualisque ad aras colla taurorum prius
Designat oculis, ante quam ferro petat;
Sic huc & illuc impiam librat manum.
Habet. peractum est. pendet exigua male
Caput amputatum parte, & hinc trunco cruor
Exundat, illinc ora cum fremitu iacent.
Nondum recedunt. ille iam exanimem petit,
Laceratque corpus. illa fodientem adiuvat.
Vterque tanto scelere respondet suis.
Hic est Thyeste natus, hæc Helenæ soror.

Sta

Stat ecce Titan dubius emerito die,
Suáne currat, an Thyeſteâ viâ.

ELECTRA. STROPHIVS. ORESTES & PYLADES mutæ perſonæ.

EL. *Fuge, ô paternæ mortis auxilium vnicum,*
Fuge, & ſceleſtas hoſtium evita manus.
Everſa domus eſt funditus, regna occidunt.
Quis iſte celeres concitus currus agit?
Germane, vultus veſte furabor tuos.
Quos, anime demens, refugis? externos fugis?
Domus timenda eſt. pone iam trepidos metus,
Oreſta. amici fida præſidia intuor.
ST. *Phocide relicta Strophius, Elea inclitus*
Palma revertor. cauſa veniendi fuit,
Gratari amico, cuius impulſum manu
Cecidit decenni Marte concuſſum Ilium.
Quænam iſta lacrimis lugubrem vultum rigat,
Pavetque mœſta? regium agnoſco genus.
Electra, luctus cauſa quæ lætâ in domo eſt?
EL. *Pater peremptus ſcelere materno iacet.*
Comes paternæ quæritur natus neci.
Ægiſthus arces Venere uæſitas tenet.
ST. *O nulla longi temporis felicitas!*
EL. *Te per parentis memoriam obteſtor mei,*
Per ſceptra terris nota, per dubios deos,
Recipe hunc Oreſten, ac pium furtum occule.
ST. *Etſi timendum cæſus Agamemnon docet,*
Aggrediar, & te, Oreſta, furabor libens.
Poſcunt fidem ſecunda, at adverſa exigunt.
Cape hoc decorum ludicri certaminis

Inſigne

Insigne frontis. læva victricem tenens
Frondem virenti protegat ramo caput.
Et ista donum palma Pisæi Iovis
Velamen eadem præstet atque omen tibi.
Tuque ô, paternis assidens frenis comes,
Condisce, Pylade, patris exemplo fidem.
Vos, Græcia nunc teste, veloces equi
Infida cursu fugite præcipiti loca.
EL. *Excessit. abiit. currus effreno impetu*
Effugit aciem. tuta iam opperiar meos
Hostes, & vltro vulneri opponam caput.
Adest cruenta coniugis victrix sui,
Et signa cædis veste maculata gerit.
Manus recenti sanguine etiamnum madent.
Vultusque præ se scelera truculenti ferunt.
Concedam ad aras. patere me vittis tuis,
Cassandra, iungi paria metuentem tibi.

CLYTAEMNESTRA. ELECTRA.

AEGISTHVS. CASSANDRA.

CLY. *Hostis parentis, impium atque audax caput,*
Quo more cœtus publicos, virgo, petis?
EL. *Adulterorum virgo deserui domum.*
CLY. *Quis esse credat virginem?* EL. *gnatam tuam.*
CLY. *Modestius cum matre.* EL. *pietatem doces.*
CLY. *Animos viriles corde tumefacto geris:*
Sed agere domita feminam disces malo.
EL. *Nisi forte fallor, feminas ferrum decet.*
CLY. *Et esse demens te parem nobis putas?*
EL. *Nobis? quis iste est alter Agamemnon tuus?*
Vt vidua loquere. vir caret vita tuus.

CLY.

CLY. *Indomita post hæc virginis verba impiæ*
Regina frangam. * *citius interea mihi* *Al. mitius.
Edissere vbi sit gnatus, vbi frater tuus.
EL. *Exiit Mycenas.* CLY. *Redde nunc gnatum mihi.*
EL. *Et tu parentem redde.* CLY. *Quo latitat loco?*
EL. *Tuto; quietus, regna non metuens nova:*
Iustæ parenti satis, at iratæ parum.
CL. *Morieris hodie.* EL. *Dummodo hac moriar manu;*
Recedo ab aris. sive te iugulo iuvat
Mersisse ferrum; præbeo iugulum volens:
Seu more pecudum colla resecari placet;
Intenta cervix vulnus exspectat tuum.
Scelus peractum est: cæde respersam viri
Atque obsoletam sanguine hoc dextram ablue.
CLY. *Consors pericli pariter ac regni mei*
Ægisthe, gaudes? gnata genetricem impie
Probris lacessit. abditum fratrem occulit.
ÆGI. *Furibunda virgo, vocis infandæ sonum,*
Et aure verba indigna materna opprime.
EL. *Etiam monebit sceleris infandi artifex,*
Per scelera nactus nomen ambiguum suis?
Idem sororis gnatus, & patris nepos?
CLY. *Ægisthe, cessas impium ferro caput*
Demetere? fratrem reddat, aut animam statim.
ÆGI. *Abstrusa cæco carcere, & saxo exigat*
Ævum, per omnes torta pœnarum modos.
Referre, quem nunc occulit, forsan volet
Inops, egens, inclusa, pædore obsita,
Vidua ante thalamos, exul, invisa omnibus,
Æthere negato. serò succumbet malis.
EL. *Concede mortem.* ÆGI. *si recusares, darem.*
Rudis est tyrannus, morte qui pœnam exigit.

EL.

EL. *Mortẽ aliquid vltra eſt?* ÆGI. *vita, ſi cupias mori.*
CLY. *Abripite, famuli, monſtrum, & avectam procul*
Vltra Mycenas, vltimo in regni angulo
Vincite ſeptam nocte tenebroſi ſpecus,
Vt inquietam virginem carcer domet.
At iſta pœnas capite perſolvat ſuo,
Captiva coniux, regii pellex tori.
Trahite, vt ſequatur coniugem ereptum mihi.
CAS. *Ne trahite. veſtros ipſa præcedam gradus:*
Perferre prima nuncium Phrygibus meis
Propero; repletum ratibus everſis mare;
Captas Mycenas; mille ductorem ducum,
*Vt paria fata Troicis * tulerit malis,* *Al. lueret.
Periſſe dono feminæ, ſtupro, dolo.
Nihil moramur. rapite. quin grates ago.
Iam iam iuvat vixiſſe, poſt Troiam iuvat.
CLY. *Furibunda morere.* CAS. *Veniet & vobis furor.*

FINIS.

L. AN-

L. ANNAEI SENECAE HERCVLES OETÆVS.

Dramatis Perſonæ.

HERCVLES. DEIANIRA.
HYLLVS. IOLE.
ALCMENA. PHILOCTETES.
CHORVS ÆTOLARVM MVLIERVM. CHORVS OECHALIARVM VIRGINVM.
NVTRIX. LICHAS, muta perſona.
IOLE ET CHORVS OECHALIDVM

ſunt προτατικὰ πρόσωπα.

ACTVS PRIMVS.

HERCVLES.

SAtor deorum, cuius excuſſum manu
Vtræque Phœbi ſentiunt fulmen domus,
Secure regna: protuli pacem tibi,
Quacunque Nereus porrigi terras vetat.
Non eſt tonandum. perfidi reges iacent,

Savi

Sævity ranni. fregimus, quidquid fuit
Tibi fulminandum. ſed mihi cœlum, parens,
Adhuc negatur? parui certe Iove
Vbique dignus: teque teſtata eſt meum
Patrem noverca. quid tamen nectis moras?
Numquid timemur? numquid impoſitum ſibi
Non poterit Atlas ferre cum cœlo Herculem?
Quid aſtra, genitor, quid negas? mors me tibi
*Certe remiſit. omne * conceſſit malum,* Al. cum ceſsit.
Quod terra genuit, pontus, aër, inferi.
Nullus per vrbes errat Arcadicas leo.
Stymphalis icta eſt. Mænali nulla eſt fera.
Sparſit peremptus aureum ſerpens nemus.
Et hydra vires poſuit. & notos Hebro
Cruore pingues hoſpitum fudi reges:
Hoſtisque traxi ſpolia Thermodontiæ.
Vidi regentem fata; nec tantum redij,
Sed trepidus atrum Cerberum vidit dies,
Et ille ſolem. nullus Antæus Libys
Animam reſumit. cecidit ante aras ſuas
Buſiris. vna eſt Geryon ſparſus mann.
Taurusque populis horridus centum pavor.
Quodcunque tellus genuit infeſtum, occidit,
Meaque fuſum eſt dextera. iratis deis,
Non licuit eſſe. ſi negat mundus feras,
Animum noverca, redde nunc gnato patrem,
Vel aſtra forti. nec peto vt monſtres iter.
Permitte tantum, genitor; inveniam viam.
Vel ſi times, ne terra concipiat feras;
Properet malum quodcunque, dum terra Herculem
Habet, videtque. nam quis invadet mala?
Aut quis per vrbeis rurſus Argolicas erit

Iunonis odio dignus? in tutum meas
Laudes recepi. nulla me tellus silet.
Me sensit Vrsæ frigidum Scythicæ genus,
Indusque Phœbo subditus, Cancro Libys.
Te, clare Titan, testor. occurri tibi
Quacunque fulges. nec meos lux prosequi
Potuit triumphos. Solis excessi vices.
Infraque nostras substitit metas dies.
Natura cessit. terra defecit gradum.
Laxata per me nox. & extremum chaos
In me cucurrit. inde ad hunc orbem redij,
Vnde retro nemo. tulimus Oceani minas,
Nec vlla valuit quatere tempestas ratem,
Quamcunque pressi. pars quota est, quam prosequor!
Iam vacuus æther non potest odio tuæ
Sufficere nuptæ; quasque devincam feras
Tellus timet concipere, nec monstra invenit.
Feræ negantur. Hercules monstri loco
Iam cœpit esse. quanta nunc fregi mala,
Quot scelera nudus? quidquid immane obstitit,
Solæ manus stravere. nec iuvenis feras
Timui, nec infans. quidquid est iussum, leve est.
Nec vlla nobis segnis illuxit dies.
O quanta fudi monstra, quæ nullus mihi
Rex imperavit! institit virtus mihi
Iunone peior. sed quid impavidum genus
Feciisse prodest? non habent pacem dei.
Purgata tellus omnis in cœlo videt
Quodcunque timuit. transtulit Iuno feras.
Ambit peremptus Cancer ardentem plagam,
Libyæque sidus fertur, & messes alit.
Annum frugata tradit Astræa Leo.

At ille iactans feruidam cœlo iubam
Auſtrum madentem ſiccat, & nimbos trahit.
Inuaſit omnis ecce iam cœlum fera,
Meque anteceſſit. victor è terris meos
Specto labores. aſtra portentis prius
Ferisque Iuno tribuit, vt cœlum mihi
Faciat timendum. ſparſerit mundum licet,
Cœlumque terris peius, ac peius Styge
Irata faciat; dabitur Alcidæ locus.
Si poſt feras, poſt bella, poſt Stygium canem
Nondum aſtra merui, Siculus Heſperium latus
Tangat Pelorus; vna iam tellus erit:
Illinc fugabo maria, ſi iungi iubes;
Committat vndas Iſthmus, & iuncto ſalo
Novâ ferantur Atticæ puppes viâ.
Mutetur orbis. vallibus currat novis
Iſter, novasque Tanais accipiat vias,
Da da tuendos, Iuppiter, ſaltem deos.
Illa licebit fulmen à parte auferas,
Ego quam tueboř: ſive glacialem polum,
Seu me tueri feruidam partem iubes,
Hac eſſe ſuperos parte ſecuros puta.
Cirrhæa Pæan templa, & ætheream domum
Serpente cæſo meruit. at quoties iacet
Python in hydra? Bacchus & Perſeus deis
Iam ſe intulêre. ſed quota eſt mundi plaga
Oriens ſubactus? aut quota eſt Gorgon fera?
Quis aſtra gnatus laudibus meruit ſuis
Ex te & noverca? quem tuli, mundum peto.
Sed tu, comes laboris Herculei Licha,
Præfer triumphos, Euryti victos lares,
Stratumque regnum: vos pecus rapite ocius,

Qua templa tollens ara Cenæi Iovis
Auſtro timendum ſpectat Euboicum mare.

CHORVS OECHALIARVM VIRGINVM. IOLE.

CHO. *Par ille eſt ſuperis, cui pariter dies*
Et fortuna fuit. mortis habet vices,
Lente cum trahitur vita gementibus.
Quisquis ſub pedibus fata rapacia,
Et puppem poſuit liminis vltimi,
Non captiva dabit brachia vinculis,
Nec pompæ veniet nobile ferculum.
Nunquam eſt ille miſer, cui facile eſt mori.
Illum ſi medio decipiat ratis
Ponto, cum Boream expulit Africus,
Aut Eurus Zephyrum, cum mare dividunt,
Non puppis laceræ fragmina colligit,
Vt littus medio ſperet in æquore.
Vitam qui poterit reddere protinus,
Solus naufragium non poterit pati.
Nos turpis macies & lacrimæ tenent,
Et crinis patrio pulvere ſordidus.
Nos non flamma rapax, non fragor obruit.
Felices ſequeris Mors, miſeros fugis.
Stamus: nec patriæ mœnibus, heu locus
At ſilvis dabitur; lapſaque ſordidæ
Fient templa caſæ. iam gelidus Dolops
Hac ducet pecudes, qua tepet obrutus,
Stratæ qui ſuper eſt OEchaliæ, cinis.
Illo Theſſalicus paſtor in oppido
Indocta referens carmina fiſtula,
Cantu noſtra canet tempora flebili.

Et dum pauca Deus ſæcula contrahit,
Quæretur, patriæ quis fuerit locus.
Felix incolui non ſteriles locos,
Nec ieiuna ſoli iugera Theſſali.
Ad Trachina vocor, ſaxa rigentia,
Et dumeta iugis horrida torridis,
Vix gratum pecori montivago nemus.
At ſi quas melior ſors famulas vocat,
Illas aut volucer transferet Inachus;
Aut Dircæa colent mœnia, qua fluit
Iſmenus tenui flumine languidus.
Heic mater tumidi nupſerat Herculis.
Quæ cautes Scythiæ, quis genuit lapis?
Num Titana ferum te Rhodope tulit,
Te præruptus Athos, te fera Caſpia,
Quæ virgata tibi præbuit vbera?
Falſa eſt de geminis fabula noctibus,
Æther cum tenuit ſidera longius,
Commiſitque vices Lucifer Heſpero,
Et ſoles vetuit Delia tardior.
Nullis vulneribus pervia monſtra ſunt.* *Al. membra.
Ferrum ſentit hebes; lentior eſt chalybs.
In nudo gladius corpore frangitur,
Et ſaxum reſilit, fataque negligit,
Et mortem indomito corpore provocat.
Non illum poterant figere cuſpides,
Non artus Scythica tenſus arundine,
Non quæ tela gerit Sarmata frigidus;
Aut qui ſoliferæ ſuppoſitus plagæ
Vicino Nabathæ vulnera dirigit
Parthus Cnoſſiacis certior ictibus.
Muros OEchaliæ corpore propulit.

Nil obstare valet. vincere quod parat,
Iam victum est. quota pars vulnere concidit?
Pro fato potuit vultus iniquior,
Et vidisse sat est Herculeas minas.
Qui vastus Briareus, qui tumidus Gyges
Supra Thessalicos constitit aggeres,
Vt cœlo insereret vipereas manus,
Hoc vultu riguit. commoda cladibus
Magnis magna patent. nil superest mali.
Iratum miseræ vidimus Herculem.
IOL. *At ego infelix, non templa suis*
Collapsa deis, sparsosve focos,
Natis mistos arsisse patres,
Hominique deos, templa sepulchris;
Nullum querimur commune malum.
Alio nostras Fortuna vocat
Lacrimas. alias flere ruinas
Mea fata iubent. Quæ prima querar?
Quæ summa gemam? pariter cuncta
Deflere iuvat. nec plura dedit
Pectora tellus, vt digna sonent
Verbera planctu. me vel Sipyli
Flebile saxum figite, superi,
Vel in Eridani ponite ripis.
Vbi mœsta sonat Phaëthontiadum
Turba sororum. me vel Siculis
Addite saxis, vbi fata gemit
Thessala Siren: vel in Edonas
Tollite silvas : qualis natum
Daulias ales solet Ismaria
Flere sub vmbra. formam lacrimis
Aptate meis, resonetque malis

Aspera

Aſpera Trachin. Cyprias lacrimas
Myrrha tuetur: raptum coniux
Ceyca gemit. ſibi Tantalis eſt
Facta ſuperſtes. fugit vultus
Philomela ſuos, natumque ſonat
Flebilis Itym. cur mea nondum
Capiunt volucres brachia plumas?
Felix, felix, cum ſilva domus
Noſtra feretur, patrioque ſedens
Ales in agro referam querulo
Murmure * *queſtus: volucremque Iolen*
* *Turba loquetur. vidi, vidi*
Miſeranda mei fata parentis,
Cum letifero ſtipite pulſus,
Tota iacuit ſparſus in aula.
Pro, ſi tumulum fata dediſſent,
Quoties genitor quærendus eras!
Potuine tuam ſpectare necem,
Nondum teneras veſtite genas,
Nec dum fortis ſanguine Toxeu?
Quid veſtra querar fata, parentes,
Quos in tutum mors æqua tulit?
Mea me lacrimas fortuna rogat.
Iam iam dominæ captiva colos
Fuſosque legam: pro, ſæve decor,
Formaque mortem paritura mihi.
Tibi cuncta domus concidit vni,
Dum me genitor negat Alcidæ,
Atque Herculeus ſocer eſſe timet.
Sed iam dominæ tecta petantur.
CHO. *Quid regna tui clara parentis,*
Proavoſque tuos reſpicis amens?

* Al. *caſus.*
* Al. Fama.

Fugiat vultus fortuna prior.
Patiens, quisquis novit famulum
Regemque pati, vultusque ſuos
Variare poteſt. vires pepulit
Pondusque mali, caſus animo
Qui tulit æquo.

ACTVS SECVNDVS.

NVTRIX. DEIANIRA. LICHAS muta perſona.

NVT. *O Quam cruentus feminas ſtimulat dolor,*
Cum patuit vna pellici & nuptæ domus!
Scylla, & Charybdis Sicula contorquens freta
Minus eſt timenda. nulla non melior fera eſt.
Namque vt reluxit pellicis captæ decus,
Et fulſit Iöle, qualis innubis dies,
Purumve claris noctibus ſidus micat:
Stetit furenti ſimilis, ac torvum intuens
Herculea coniux: feta vt Armeniâ iacens
Sub rupe tigris, hoſte conſpecto exſilit:
Aut iuſſa thyrſum quatere, conceptum ferens
Mænas Lyæum, dubia quo greſſus agat,
Hæſit parumper: tum per Herculeos lares
Lymphata rapitur; tota vix ſatis eſt domus.
Incurrit, errat, ſiſtit. in vultus dolor
Proceſſit omnis: pectori pene intimo
Nihil eſt relictum. fletus inſequitur genas.
Nec vnus habitus durat, aut vno furit
Contenta vultu. nunc inardeſcunt genæ,
Pallor ruborem pellit, & formas dolor
Errat per omnes. queritur, implorat, gemit.

Sonuêre

Sonuĕre poſtes : ecce præcipiti gradu
Secreta mentis ore confuſo exerit.
DEI. *Quamcunque partem ſedis ætherea premis*
Coniux Tonantis, mitte in Alcidem feram,
Quæ mihi ſatis ſit: ſi qua fecundum caput
Palude tota vaſtior ſerpens movet,
Ignara vinci: ſi quid exceſſit feras,
Immane, dirum, horribile, quo viſo Hercules
Avertat oculos; hoc ſinu immenſo exeat.
Vel ſi feræ negantur, hanc animam precor
Converte in aliquid: quodlibet poſſim malum
Hac mente fieri. commoda effigiem mihi
Parem dolori. non capit pectus minas.
Quid excutis telluris extremæ ſinus,
Orbemque verſas? quid rogas Ditem mala?
Omnes in iſto pectore invenias feras,
Quas timeat. odijs accipe hoc telum tuis.
Ego ſum noverca: perdere Alcidem potes.
Profer manus quocunque. quid ceßas, Dea?
Utere furente. quod iubes fieri nefas?
Reperi. quid hæres? ipſa iam ceſſes licet,
Hæc ira ſatis eſt. NVT. *Pectoris ſani parum,*
Alumna, queſtus comprime, & flammas doma.
Frena dolorem. coniugem oſtende Herculis.
DEI. *Iole meis captiva germanos dabit*
Natis? Iovisque fiet è famula nurus?
Non. flamma curſus pariter & torrens ferem,
Et Vrſa pontum ſicca cæruleum bibet.
Non ibo inulta; geſſeris cœlum licet,
Totusque pacem debeat mundus tibi :
Eſt aliquid hydra potius; iratæ dolor* * Al. peius.
Nuptæ. Quis ignis tantus in cœlum furit

Ardentis Ætnæ? quidquid eſt victum tibi,
Hic vincet animus. capta præripiet toros?
Adhuc timebam monſtra. jam nullum eſt malum.
Ceſſere peſtes. in locum venit feræ
Inviſa pellex. ſumme prô rector deûm,
Et clare Titan, Herculis tantum fui
Coniux timentis. vota quæ ſuperis tuli,
Ceſſere captæ. pellici felix fui.
Illi meas audiſtis, ô ſuperi, preces:
Incolumis illi remeat. ô nulla dolor
Contente pœna, quære ſupplicia horrida,
Incogitata, infanda. Iunonem doce,
Quid odia valeant. neſcit irraſci ſatis.
Pro me gerebas bella. propter me vagas
Achelous vndas ſanguine infecit ſuo,
Cum lenta ſerpens fieret; in taurum trucem
Nunc flecteret ſerpente depoſita minas;
Et mille in hoſte vinceres vno feras.
Iam diſplicemus. capta prælata eſt mihi.
Non præferetur. qui dies thalami vltimus
Noſtri eſt futurus, hic erit vitæ tuæ.
Quid hoc? recedit animus, & ponit minas.
Iam ceſſit ira, quid miſer langues dolor?
Perdis furorem? conjugis ſanctæ fidem
Mihi reddis iterum. quid vetas flammas ali?
Quid frangis ignes? hunc mihi ſerva impetum.
Pares eramus. non erit votis opus.
Aderit noverca, quæ manus noſtras regat,
Nec invocata. NVT. *Quod paras demens ſcelus?*
Perimes maritum, cuius extremus dies
Primusque laudes novit, & cœlo tenus
Erecta terras fama ſuppoſitas habet?

Rogos

Rogos in iſtos terra conſurget parens,
Domusque ſoceri prima, & Ætolum genus
Sternetur omne; ſaxa iamdudum & faces
In te feruntur. vindicem tellus ſuum
Defendet omnis. vna quot pœnas dabis?
Effugere terras crede, & humanum genus
Te poſſe; fulmen genitor Alcidæ gerit.
Iam iam minaces ire per cœlum faces
Specta, & tonantem fulmine excuſſo diem.
Mortem quoque ipſam, quam putas tutam, time.
Dominatur illic patruus Alcidæ tui.
Quocunque perges, miſera, cognatos deos
Illic videbis. DEI. *Maximum fieri ſcelus*
Et ipſa fateor, ſed dolor fieri iubet.
NVT. *Moriere.* DEI. *Moriar Herculis nempe incliti*
Coniux. nec vllus nocte diſcuſſa dies
Viduam notabit, nec meos pellex toros
Captiva capiet. ante ab Occaſu dies
Naſcetur Indis. ante glacialem polum
Scythasve tepida Phœbus afficiet rota;
Quam me relictam Theſſalæ aſpiciant nurus.
Meo iugales ſanguine extinguam faces.
Aut pereat, aut me perimat, eliſis feris
Et coniugem addat. inter Herculeos licet
Me quoque labores numeret. Alcidæ toros
Moritura certe corpore amplectar meo.
Ire, ire ad vmbras Herculi iunctam libet;
Sed non inultam. ſi quid è noſtro Hercule
Concepit Iõle, manibus evellam meis
Ante, & per ipſas pellicem invadam faces.
Me nuptiali victimam feriat die
Infeſtus, Iõlem dum ſupra exanimem ruam.

Felix

Felix jacet, quicumque quos odit, premit.
NVT. *Quid ipsa flammas pascis? & vastum foves*
Vltro dolorem misera? quid cassum times?
Dilexit Iölem; nempe dum starent lares,
Regisque natam peteret. in famulæ locum
Regina cecidit. perdidit vires amor,
Multumque ab illo traxit infelix status.
Illicita amantur, excidit quidquid licet.
DEI. *Fortuna amorem peior inflammat magis.*
Amat vel ipsum, quod caret patrio lare,
Quod nudus auro crinis & gemma iacet:
Ipsas misericors forsan ærumnas amat.
NVT. *Hoc vsitatum est Herculi, captas amat.*
Dilecta Priami nempe Dardanij soror
Concessa famula est. adice, quot nuptas prius,
Quot virgines dilexit. erravit vagus.
Arcadia nempe virgo, Palladios choros
Dum nectit Auge, vim stupri passa excidit,
Nullamque amoris retinet Herculei notam.
Referam quid alias? méne Thespiades vocant?
Brevique in illas arsit Alcides face.
Hospes Timoli Lydiam fovit nurum,
Et amore captus, ad leves sedit colos,
* *Vdum feroci stamen intorquens manu.** Al. Vtrumque forti.
Nempe illa cervix spolia deposuit feræ,
Crinemque mitra pressit, & famulus stetit,
Hirtam Sabæa marcidus myrrha comam.
Vbique caluit, sed levi caluit face.
Hærere amantes post vagos ignes solent.
Famulamne & hostis præferet gnatum tibi?
DEI. *Vt alta silvas forma vernantes alit,*
Quas nemore nudo primus investit tepor;

At

At cum ſolutos expulit Boreas Notos,
Et ſæva totas Bruma decuſſit comas,
Deforme folijs aſpicis truncis nemus:* * Al. *ſolis.*
Sic noſtra longum forma percurrens iter,
Deperdit aliquid ſemper, & fulget minus;
Malisque minus eſt. quidquid in nobis fuit
Olim petitum, cecidit & partu labat;
Materque multum rapuit ex illo mihi.
Ætas citato ſenior eripuit gradu.
Vides vt altum famula non perdat decus?
Ceſſêre vultus penitus, & pædor ſedet;
Tamen per ipſas fulget ærumnas decor,
Nihilque ab illa caſus & fatum grave
Niſi regna traxit. hinc meum pectus timor,
Altrix, laceſſit; hinc rapit ſomnos pavor.
Præclara totis gentibus coniux eram;
Thalamosque noſtros invido fato nurus
Optabat omnis: quo nimis quiſquis deos
Orabat vllos. nuribus Argolicis fui
Menſura voti. quem Iovi ſocerum parem,
Altrix, habebo? quis ſub hoc mundo mihi
Dabitur maritus? ipſe qui Alcidæ imperat,
Facibus ſuis me iungat Euryſtheus licet,
Minus eſt. toro caruiſſe regnantis leve eſt.
Alte illa cecidit, quæ viro caret Hercule.
NVT. *Conciliat animos coniugum partus fere.*
DEI. *Sic ipſe forſan dividet partus toros.*
NVT. *Famula illa trahitur interim donum tibi.*
DEI. *Hic quem per vrbes ire præclarum vides,*
Et viva tergo ſpolia geſtantem feræ,
Qui regna miſeris donat & celſis rapit,
Vaſta gravatus horridam clava manum,

Cuius

Cuius triumphos vltimi Seres canunt,
Et quisquis alius orbe conſepto jacet;
Levis eſt, nec illum gloriæ ſtimulat decor.
Errat per orbem, non vt æquetur Iovi,
Nec vt per vrbes magnus Argolicas eat.
Quod amet, requirit. virginum thalamos petit.
Si qua eſt negata, rapitur. in populos furit;
Nuptas ruinis quærit: & vitium impotens,
Virtus vocatur. cecidit OEchalia inclita,
Vnusque Titan vidit atque vnus dies
Stantem & cadentem: cauſa bellandi eſt amor.
Toties timebit, Herculi gnatam parens,
Quoties negabit. hoſtis eſt, quoties ſocer
Fieri recuſat. ſi gener non eſt, furit.
Poſt hæc quid iſtas innocens ſervo manus,
Donec furentem ſimulet, ac ſæva manu
Intendat arcus, meque natumque opprimat?
Sic coniuges expellit Alcides ſuas:
Hæc ſunt repudia! nec poteſt fieri nocens.
Terris videri ſceleribus cauſam ſuis
Fecit novercam. quid ſtupes ſegnis furor?
Scelus occupandum eſt: perge, dum fervet manus,
NVT. *Perimes maritum?* DEI. *Pellicis certe meæ.*
NVT. *At Iove creatum.* DEI. *Nempe & Alcmena ſatũ.*
NVT. *Ferrone?* D. *Ferro.* N. *Si nequis?* D. *Perimã dolo.*
NVT. *Quis iſte furor eſt?* D. *Quem meus coniux docet.*
NVT. *Quem nec noverca potuit, hunc perimes virum?*
DEI. *Cœleſtis ira quos premit, miſeros facit;*
Humana nullos, NVT. *Parce miſeranda, & time.*
DEI. *Contempſit omnes ille, qui mortem prius.*
Libet ire in enſes. NVT. *Maior admiſſo tuus,*
Alumna, dolor eſt, culpa par odium exigit.

Cur

Cur ſæva modicis ſtatuis? vt paſſa es, dole.
DEI. *Leve eſſe credis pellicis nuptæ malum?*
Quidquid dolorem paſcit, id nimium puta.
NVT. *Amorne clari fugit Alcidæ tibi?*
DEI. *Non fugit, altrix. remanet, & penitus ſedet*
Fixus medullis, crede: ſed magnus dolor,
Iratus amor eſt. NVT. *Artibus magicis fere*
Coniugia nuptæ precibus admiſtis ligant.
Vernare iuſſi frigore in medio nemus:
Miſſumque fulmen ſtare. concuſſi fretum
Ceſſante vento. turbidum explicui mare:
Et ſicca tellus fontibus patuit novis.
Habuere motum ſaxa. diſcuſſi fores.
Vmbræ ſtetiſtis: & mea iuſſi prece
Manes loquuntur. ſonuit infernus canis.
Mare, terra, cœlum, & Tartarus ſervit mihi.
Nox media ſolem vidit, & noctem dies:
Nihilque leges ac meos cantus tenet.
Flectemus illum. carmina invenient iter.
DEI. *Quas Pontus herbas generat, aut quas Theſſala*
Sub rupe Pindus? aut vbi inveniam malum,
Cui cedat ille? carmine in terras mago
Diſcendat aſtris Luna deſertis licet,
Et Bruma meſſes videat, & cantu fugax
Stet deprehenſum fulmen, & verſa vice
Medius coactis fugerit ſtellis dies:
Non flectet vnum. NVT. *Vicit & ſuperos amor.*
DEI. *Vincetur vni forſan, & ſpolium dabit,*
Amorque ſummus fiet Alcidæ labor.
Sed te per omne cœlitum numen precor,
Per hunc timorem; quidquid arcani apparo,
Penitus recondas, & fide tacita premas.

NVT.

NVT. *Quid iſtud eſt, quod eſſe ſecretum jubes?*
DEI. *Non tela ſunt, non arma, non ignis minæ.*
NVT. *Præſtare fateor poſſe me tacitam fidem,*
Si ſcelere careat. interim ſcelus eſt fides.
DEI. *Circunſpice, agedum, nequis arcana aucupet;*
Partemque in omnem vultus inquirens eat.
NVT. *En locus ab omni tutus arbitrio vacat.*
DEI. *Eſt in remoto regiæ ſedis loco*
Arcana tacitus noſtra defendens ſpecus.
Non ille primos accipit ſoles locus,
Non ille ſeros, cum ferens Titan diem
Laſſam rubenti mergit Oceano rotam,
Illic amoris pignus Herculei latet.
Altrix, fatebor, Neſſus eſt auctor mali,
Quem gravida nubes Theſſalo genuit duci,
Qua celſus aſtris inſerit Pindus caput,
Vtraque nubes Othrys eductus riget.
Namque vt ſubactus Herculis clava horridi
Achelous, omnes facilis in ſpecies dari,
Tandem peractis omnibus patuit feris,
Vnoque turpis ſubdidit cornu caput:
Me coniugem dum victor Alcides habet,
Repetebat Argos. forte per campos vagus
Euenus altum gurgitem in pontum ferens
Iam pene ſummis turbidus ripis erat.
Tranſire Neſſus vorticem ſolitus vadis
Pretium popoſcit: meque iam dorſo ferens,
Qua jungit hominem ſpina deficiens equo;
Frangebat ipſas fluminis tumidi minas.
Iam totus vndis Neſſus exierat ferox,
Medioque adhuc errabat Alcides vado,
Vaſto rapacem vorticem ſcindens gradu.

Aſt ille vt eſſe vidit Alcidem procul,
Tu præda nobis, inquit, & coniux eris.
Prohibetur vndis; meque complexam ferens
Greſſum citabat. non tenent vndæ Herculem:
Infide vector, inquit, immiſti licet
Ganges & Iſter vallibus iunctis eant;
Vincemus ambos. conſequar telo fugam.
Præceſſit arcus verba. tum longum ferens
Arundo vulnus, tenuit hærentem fugam;
Mortemque fixit. ille iam quærens diem
Tabem fluentis vulneris dextra excipit,
Traditque nobis vngulæ inſertam ſuæ,
Quam forte ſæva ſciderat avulſam manu.
Tum verba moriens addit: hoc, inquit, magæ
Dixere amorem poſſe defigi malo.
Hoc docta Mycale Theſſalas docuit nurus,
Vnam inter omnes Luna quam ſequitur magam,
Aſtris relictis. illitas veſtes dabis
Hac, inquit, ipſa tabe, ſi pellex tuos
Inviſa thalamos tulerit, & coniux levis
Aliam parenti dederit altiſono nurum.
Hoc nulla lux aſpiciat, hoc tenebræ tegant.
Tantum remotæ. ſic potens vires ſuas
Sanguis tenebit: verba deprendit quies.
Mortemque laſſis intulit membris ſopor.
Tu, quam meis admittit arcanis fides,
Perge, vt nitentes virus in veſtes ſatum,
Mentem per artus adeat, & tactu intimas
Intret medullas. NVT. *Ocius iuſſa exequar,*
Alumna. precibus tu Deum invictum advoca,
Qui certa tenera tela dimittit manu.
DEI. *Te te precor, quem mundus & ſuperi timent;*

Et æquor, & qui fulmen Ætnæum quatit,
Timende matri teliger ſævæ puer;
Intende certa ſpiculum velox manu
Non è ſagittis levibus. è nervo, precor,
Graviore profer, quod tuæ nondum manus
Miſere in aliquem. non levi telo eſt opus,
Vt amare poſſit Hercules. regidas manus
Intende, & arcum cornibus junctis para.
Nunc nunc ſagittam prome, qua quondam horridus
Iovem petiſti; fulmine abjecto Deus
Cum fronte ſubita tumuit, & rapidum mare
Taurus puellæ vector Aſſyriæ ſcidit.
Immitte amorem. vincat exempla omnia.
Amare diſcat conjuges. ſi quas decor
Immiſit Iöles pectori Herculeo faces,
Extingue totas. perbibat flammas mei.
Tu fulminantem ſæpe domuiſti Iovem,
Tu furva nigri ſceptra geſtantem poli,
Turbæ ducem maioris, & dominum Stygis.
Tu, qui noverca es gravior irata deus,
Cape hunc triumphum, ſolus evince Herculem.
NVT. *Prolata vis eſt, quæque Palladia colu*
Laſſavit omnem texta famularem manum.
Nunc congeratur virus, vt veſtis bibat
Herculea peſtem. precibus augebo malum.
Intempore ipſo gnavus occurrit Lichas.
Celanda vis eſt, illa ne pateant mala.
DEI. *O, quod ſuperbæ non habent vnquam domus,*
Fidele ſemper regibus nomen, Licha,
Cape hos amictus, noſtra quos nevit manus,
Dum vagus in orbem fertur, & victus mero
Tenet feroci Lydiam gremio nurum,

Nunc poſcit Iölem. ſed iecur fors horridum
Flectam emerendo. merita vincunt & malos.
Non ante veſtes induat coniux iube,
Quam thure flammas ſpargat, & poſcat deos
Cana rigentem populo vinctus comam.
Ipſa ad penates regios greſſus feram,
Precibusque Amoris horridi matrem colam.
Vos, quas paternis extuli comites focis,
Calydoniæ, deflete lugendas vices.

CHORVS AETOLARVM MVLIERVM.

Flemus caſus, O Enei, tuos,
Comitum primos turba per annos,
Flemus dubios, miſeranda, toros,
Nos Acheloi tecum ſolitæ
Pulſare vadum, cum jam tumidas
Vere peracto poneret vndas,
Gracilisque vadò ſerperet æquo,
Nec præcipitem volveret amnem
Flavus rapido fonte Lycormas.
Nos Palladias ire per aras,
Et virgineos celebrare choros:
Nos Cadmeis orgia ferre
Tecum ſolitæ condita ciſtis,
Cum jam pulſo ſidere Brumæ
Tertia ſoles evocat æſtas,
Et ſpiciferæ conceſſa deæ
Attica myſtas olaudit Eleuſis.
Nunc quoque fatum quodcumque times,
Fidas comites accipe fatis.
Nam rara fides, ubi jam melior
Fortuna redit.

Tu quicunque es, qui ſceptra tenes,
Licet omne tua vulgus in aula
Centum pariter limina pulſet:
Cum tot populis ſtipatus eas,
In tot populis vix vna fides.
Tenet auratum limen Erinnys,
Et cum magnæ patuere fores,
Intrant fraudes, cautique doli,
Ferrumque latens. cumque in populos
Prodire parant, comes invidia eſt.
Noctem quoties ſummovet Eos,
Regem toties credite naſci.
Pauci reges, non regna colunt:
Plures fulgor convocat aulæ.
Cupit hic regi proximus ipſi
Clarus claras ire per vrbes:
Vrit miſerum gloria pectus.
Cupit hic gazis implere famem:
Nec tamen omnis plaga gemmiferi
Sufficit Iſtri; nec tota ſitim
Lydia vincit; nec quæ Zephyro
Subdita tellus, ſtupet aurato
Flumine clarum radiare Tagum;
Nec ſi totus ſerviat Hebrus;
Ruraque dives cingat Hydaſpes;
Intraque ſuos currere fines
Spectet toto flumine Gangem.
Avidis avidis natura parum eſt.
Colit hic regem, regumque lares,
Non vt preſſo vomere ſemper
Nunquam ceſſet curvus arator,
Vel mille ſecent arva coloni:

Solas

Solas optat, quas donet, opes.
Colit hic reges, calcet vt omnes,
Perdatque aliquos, nullumque levet.
Tantum vt noceat, cupit esse potens.
Quota pars moritur tempore fati!
Quos felices Cynthia vidit,
Vidit miseros abitura dies.
Rarum est, felix idemque senex.
Cespes Tyrio mollior ostro,
Solet impavidos ducere somnos.
Aurea rumpunt tecta quietem,
Vigilesque trahit purpura noctes.
O si pateant pectora ditum,
Quantos intus sublimis agit
Fortuna metus! Brutia Coro
Pulsante fretum mitior vnda est.
Pectora pauper secura gerit.
Tenet è patulâ pocula fago,
Sed non trepidâ tenet ipsa manu.
Carpit faciles vilesque cibos,
Sed non strictos respicit enses.
Aurea miscet pocula sanguis.
Coniux modico nupta marito
Non dispositò clara monili
Gestat pelagi dona rubentis,
Nec gemmiferas detrahit aures
Lapis Eoa lectus in vnda;
Nec Sidonio mollis aheno
Repetita bibit lana rubores;
Nec Maonia distinguit acu,
Quæ Phœbeis subditus Euris
Legit Eois Ser arboribus.

Qualibet herbæ tinxere colos,
Quas indoctæ nevêre manus:
Sed non dubios fovet illa toros.
Sequitur dirâ lampade Erinnys
Quorum populi coluere diem.
Nec sibi felix pauper habetur,
Nisi felices cecidisse videt.
Quisquis medium defugit iter,
Stabili nunquam tramite curret.
Dum petit vnum præbere diem,
Patriosque puer concitat axes,
Nec per solitum percurrit iter,
Sed Phœbeis ignota secat
Sidera flammis errante rota,
Secum pariter perdidit orbem.
Medium cœli dum sulcat iter,
Tenuit Latias Dædalus oras,
Nullique dedit nomina ponto.
Sed dum volucres vincere veras
Icarus audet, patriasque puer
Despicit alas, Phœboque volat
Proximus ipsi; dedit ignoto
Nomina ponto.
Male pensantur magna ruinis.
Felix alius, magnusque volet;
Me nulla vocet turba potentem.
Stringat tenuis littora puppis.
Nec magna meos aura phaselos
Jubeat medium scindere pontum.
Transit tutos Fortuna sinus,
Medioque rates quærit in alto,
Quarum ferunt suppara nubes.

Sed

Sed quid pavido territa vultu,
Qualis Baccho saucia Thyas,
Fertur rapido regina gradu?
Quæ te rursus Fortuna rotat,
Miseranda, refer. licet ipsa neges,
Vultus loquitur, quodcunque tegis.

ACTVS TERTIVS.

DEIANIRA. CHORVS.

DEI. *VAgus per artus errat excussos tremor.*
Erectus horret crinis. impulsis adhuc
Stat terror animis, & cor attonitum salit,
Pavidumque trepidis palpitat venis iecur.
Vt fractus Austro pontus etiamnum tumet,
Quamvis quiescat languidis ventis dies:
Ita mens adhuc vexatur excusso metu.
Semel profecto premere felices Deus
Cum cœpit, vrget. hos habent magna exitus.
CHO. *Quis tam impotens, ô misera, te casus rotat?*
DEI. *Vt missa palla est, tabe Nessea illita,*
Thalamisque mœrens intuli gressum meis,
Nescio quid animus timuit, & fraudem struit.
Libet experiri. solibus virus ferum
Flammisque Nessus sanguinem ostendi arcuit.
Hic ipse fraudes esse præmonuit Deus.
Et forte nulla nube resparsus iubar
Laxabat ardens fervidum Titan diem.
(Vix ora solvi patitur etiam nunc timor)
Medios in ignes solis, & claram facem
Quo tincta fuerat palla, vestisque illita,
Abiectus horret sanguis, & Phœbi comâ

Tepefactus ardet. vix queo monstrum eloqui.
Nives vt Eurus solvit, aut tepidus Notus,
Quas vere primo lubricus perdit Mimas;
Vtque involutos frangit Ionio salo
Opposita fluctus Leucas, & laxus tumor
In littore ipso spumat: aut cœlestibus
Aspersa tepidis thura laxantur focis:
Sic languet omne virus, & perdit comam.
Dumque ipsa miror causa mirandi perit.
Quin ipsa tellus spumeos motus agit,
Et quidquid illâ tabe contactum est, labat.
[Tumensque tacita sequitur, & quassat caput.]
Natum paventem cerno & ardenti pede
Gressus ferentem. prome, quid portes novi.

HYLLVS. DEIANIRA. NVTRIX.

HYL. *I, profuge, quære si quid vlterius patet*
Terris, freto, sideribus, Oceano, inferis.
Vltra labores, mater, Alcidæ fuge.
DEI. *Nescio quod animus grande præsagit malum.*
HYL. *Regna, triumpha, templa Iunonis pete:*
Hæc tibi patent. delubra præclusa omnia.
DEI. *Effare, qui me casus insontem premat.*
HYL. *Decus illud orbis, atque præsidium vnicum.*
Quem fata terris in locum dederant Iovis,
O mater, abijt. membra, & Herculeos toros
Vrit lues Nessea. qui domuit feras,
Ille ille victor, vincitur, mœret, dolet.
Quid quæris vltra? DEI. *Miserias properant suas*
Audire miseri. fare, quo posita in statu
Iam nostra domus est. ô lares, miseri lares!
Nunc vidua, nunc expulsa, nunc feror obruta!

HYL.

HYL. *Non ſola mœres. Hercules toto jacet*
Mundo gemendus. fata ne, mater, tua
Privata credas. iam genus totum obſtrepit.
Hunc eiulatu, quem gemis, cuncti gemunt.
Commune terris omnibus pateris malum.
Luctum occupaſti prima. non ſola Herculem
Miſeranda mœres. DEI. *Quam prope à leto tamen,*
Ede, ede, (quæſo) iaceat Alcides meus.
HYL. *Mors refugit illum, victa quæ in regno ſuo*
Semel eſt. nec audent fata tam vaſtum nefas
Admittere. ipſa forſitan trepidâ colos
Clotho manu proiecit, & fatum Herculis
Timet peragere. pro diem! infandum diem!
Hocne ille ſummo magnus Alcides eat
Ad fata & vmbras, atque peiorem polum?
DEI. *Præcedere tu illum dicis? an poſſum prior*
Mortem occupare? fare, ſi nondum occidit.
HYL. *Euboica tellus vertice immenſo tumens*
Pulſatur omni latere. Phrixeum mare
Scindit Caphareus. ſervit hoc Auſtro latus.
At qua nivoſi patitur Aquilonis minas,
Euripus vndas flectit inſtabiles vagus,
Septemque curſus flectit, & totidem refert,
Dum laſſa Titan mergat Oceano iuga.
Heic rupe celſa, nulla quam nubes ferit,
Annoſa fulgent templa Cænei Iovis.
Vt ſtetit ad aras omne votivum pecus,
Totumque tantis gemuit armentis nemus;
Spolium leonis ſordidum tabo exuit,
Poſuitque clavæ pondus, & pharetrâ graves
Laxavit humeros. veſte tunc fulgens tua,
Cana revinctus populo horrentem comam,

Succendit aras. Accipe has, inquit, focis
Non falſe meſſes genitor, & largo ſacer
Splendeſcat ignis thure, quod Phœbum colens
Dives Sabæis colligit truncis Arabs.
Pacata tellus, inquit, & cœlum, & freta;
Feris ſubactis omnibus victor redii.
Depone fulmen. gemitus in medias preces,
Stupente & ipſo, cecidit. heic cœlum horrido
Clamore complet. qualis impreſſa fugax
Taurus bipenni vulnus & telum ferens
Delubra vaſto trepida mugitu replet,
Aut quale mundo fulmen emiſſum tonat;
Sic ille gemitus ſidera & pontum ferit:
*Et vaſta * Calpe ſonuit: & voces Cyclas* *Al. Chalcis
Excepit omnis. hinc petræ Capharides;
Hinc omne voces reddit Herculeas nemus.
Flentem videmus. vulgus antiquam putat
Rabiem rediſſe. tunc fugam famuli petunt.
At ille vultus ignea torquens face,
Vnum inter omnes quærit & ſequitur Licham.
Complexus aras ille tremebunda manu,
Mortem metu conſumpſit, & parum ſui
Pœnæ reliquit. dumque tremebundum manu
Tenuit cadaver, Hac manu, inquit, hac ferar,
(O fata!) victus? Herculem perimit Lichas.
Ecce alia clades, Hercules perimit Licham.
Fata inquinantur. fiet hic ſummus labor.
In aſtra miſſus fertur, & nubes vago
Spargit cruore. talis in cœlum exſilis
Arundo, Getica viſa dimitti manu;
Aut quam Cydon excuſſit: inferius tamen
** Fugiet arundo. corpus in pontum cadit.*

* Al. Et tela fuginnt. truncus in p. c.

In

In ſaxa cervix. funus ambobus iacet.
Reſiſtite, inquit. non furor mentem abſtulit.
Furore gravius iſtud atque ira malum eſt.
In me iuvat ſævire. vix peſtem indicat,
Et ſævit. artus ipſe dilacerat ſuos,
Et membra vaſta carpit avellens manu.
Exuere amictus quærit. hoc ſolum Herculem
Non poſſe, vidi. trahere conatus tamen,
Et membra traxit. corporis palla horridi
Pars eſt. & ipſa veſtis immiſcet cutem.
Nec cauſſa diræ cladis in medio patet:
Sed cauſſa tamen eſt, vixque ſufficiens malo.
Nunc ore terram languidus prono ferit;
Nunc poſcit vndas. vnda non vincit malum.
** Et nota quærit littora, & pontum occupat.* * Al. Fluctiſona quær.
Famularis illum retinet errantem manus.
O ſortem acerbam! fuimus Alcidæ pares.
Nunc puppis illum littore Euboico refert,
Auſterque lenis pondus Herculeum rapit.
DEI. *Deſtituit animus membra. nox oculos premit.*
Quid, anime, ceſſas? quid ſtupes factum ſcelus?
Gnatum repoſcit Iuppiter, Iuno æmulum.
Reddendus orbi eſt. quod poteſt reddi, exhibe.
Eat per artus enſis exactus meos.
Sic, ſic agendum eſt. tam levis pœnas manus
Tantas repoſcit? tolle fulminibus, ſocer,
Nurum ſceleſtam. nec levi telo manus
Armetur. illud fulmen exſiliat polo,
Quo, ni fuiſſet genitus Alcides tibi,
Hydram cremaſſes; peſtem vt inſolitam feri,
Et vt noverca peius irata malum.
Emitte telum, quale in errantem prius

Phaëthonta miſſum eſt. perdidi erepto Hercule
Et ipſa populos. quid rogas telum deos?
Iam parce ſocero. coniugem Alcidæ necem
Optare pudeat. hæc erit votum, manus,
A me petatur. occupa ferrum ocius.
Quin deme ferrum. quidquid in mortem trahit
Telum eſt abunde. rupe ab ætherea ferar.
Hæc hæc renatum prima quæ poſcit diem,
OEta eligatur. corpus hinc mitti placet.
Abrupta cautes ſcindat, & partem mei
Ferat omne ſaxum. pendeant laceræ manus,
Totumque rubeat aſperi montis latus.
Levis vna mors eſt. levis, at extendi poteſt.
Eligere neſcis, anime, cui telo incubes.
Vtinam eſſet, vtinam fixus in thalamis meis
Herculeus enſis! huic decet ferro immori.
Vna perire dextera nobis ſat eſt?
Coïte gentes. ſaxa & incenſas faces
Jaculetur orbis. nulla nunc ceſſet manus.
Corripite tela. vindicem veſtrum abſtuli.
Jmpune ſævi ſceptra jam reges gerent.
Impune iam naſcetur indomitum malum.
Reddentur aræ cernere aſſuetæ hoſtiam
Similem colenti. ſceleribus feci viam.
Ego vos tyrannis, regibus, monſtris, feris,
Sævisque rapto vindice oppoſui deis.
Ceſſas, Tonantis ſocia? non ſpargis facem,
Imitata fratrem, & mittis ereptam Jovi?
Meque ipſa perdis? laus tibi erepta inclita eſt,
Ingens triumphus. æmuli, Iuno, tui
Mortem occupavi. NVT. *Quid domũ impulſam tabis?*
Erroris iſtuc omne, quodcunque eſt, nefas.

Haud

Haud eſt nocens, quicumque non ſponte eſt nocens.
DEI. *Quicumque fato ignoſcit, & parcit ſibi,*
Errare meruit. morte damnari placet.
NVT. *Nocens videri qui petit, mortem cupit.*
DEI. *Mors innocentes ſola deceptos facit.*
NVT. *Titana fugies?* DEI. *Ipſe me Titan fugit.*
NVT. *Vitã relinques miſera?* DEI. *At Alcidẽ ſequar.*
NVT. *Supereſt, & auras ille cœleſtes trahit.*
DEI. *Vinci Hercules cum potuit, hinc cœpit mori.*
NVT. *Natum relinques, fataque abrumpes tua?*
DEI. *Quamcumque natus ſepelit, hæc vixit diu.*
NVT. *Virum ſequeris?* DEI. *Prægredi caſtæ ſolent.*
NVT. *Si te ipſa damnas, miſera, ſceleris te arguis.*
DEI. *Nemo nocens ſibi ipſe pœnas irrogat.*
NVT. *Multis remiſſa eſt vita, quorum error nocens*
Non dextra fuerat. fata quis damnat ſua?
DEI. *Quicumque fata iniqua ſortitus fugit.*
NVT. *Hic ipſe Megaram nempe confixam ſuis*
Stravit ſagittis, atque natorum indolem,
Lernæa figens tela furibundâ manu.
Ter parricida factus, ignovit tamen
Sibi. nam furoris fonte Cinyphio ſcelus
Sub axe Libyco terſit, & dextram abluit.
Quo miſera pergis? quid tuas damnas manus?
DEI. *Damnat meas devictus Alcides manus.*
Fraudem placet punire. NVT. *Si novi Herculem,*
Aderit cruenti forſitan victor mali,
Dolorque fractus cedet Alcidæ tuo.
DEI. *Exedit artus virus, vt fama eſt, hydræ.*
Immerſa peſtis coniugis membra abſtulit.
NVT. *Serpentis illi virus enectæ autumas*
Haud poſſe vinci, qui malum & vivum tulit?

Eliſit

Eliſit hydram, dente cum infixo ſtetit
Media palude victor, effuſo obrutus
Artus veneno. ſanguis hunc Neſſi opprimet,
Qui vicit ipſas horridas Neſſi manus?
DEI. *Fruſtra tenetur ille, qui ſtatuit mori.*
Proinde lucem fugere decretum eſt mihi.
Vixit ſatis, quicumque cum Alcide occidit.
NVT. *Per has aniles ecce te ſupplex comas,*
Atque vbera iſta pene materna obſecro,
Depone tumidas pectoris læſi minas,
Mortisque diræ expelle decretum horridum.
DEI. *Quicumque miſero forte diſſuadet mori,*
Crudelis ille eſt. interim pœna eſt mori:
Sed ſæpe donum in pluribus veniæ fuit.
NVT. *Defende ſaltem dexteram, infelix, tuam,*
Fraudisque facinus eſſe, non nuptæ, ſciat.
DEI. *Defendar illic. inferi ſolvent ream.*
A me ipſa damnor. purget has Pluton manus.
Stabo ante ripas immemor, Lethe, tuas,
Et vmbra triſtis coniugem excipiam meum.
Sed tu, nigrantis regna qui torques poli,
Para laborem. ſcelera quæ quisque auſus eſt;
Hic vicit error. Iuno non auſa Herculem eſt
Eripere terris. horridam pœnam para.
Siſyphia cervix ceſſet, & noſtros lapis
Impellat humeros. me vagus fugiat latex,
Meamque fallax vnda decipiat ſitim.
Merui manus præbere turbinibus tuis,
Quæcumque regem Theſſalum torques, rota.
Effodiat avidus hinc & hinc vultur fibras.
Vacat vna Danais; has ego explebo vices.
Laxate manes. recipe me comitem tui,

Phasiaca coniux. peior hæc, peior tuo
Vtroque dextra est scelere, seu mater nocens,
Seu dira soror es. adde me comitem tuis,
Threicia coniux, sceleribus. gnatam tuam,
Althæa mater, recipe: nunc veram tuam
Agnosce prolem. quid tamen tantum manus
Vestræ abstulerunt? claudite Elysium mihi,
Quacumque fidæ coniuges nemoris sacri
Lucos tenetis. si qua respersit manus
Viri cruore, nec memor castæ facis
Stricto cruenta Belias ferro stetit,
In me suas cognoscat & laudet manus.
In hanc abire coniugum turbam libet.
Sed & illa fugiet turba tam diras manus.
Invicte coniux, innocens animus mihi,
Scelesta manus est. prô nimis mens credula,
Prô Nesse fallax! namque semiferi dolis
Auferre cupiens pellici, eripui mihi.
Recede, Titan; tuque, quæ blanda tenes
In luce miseros, vita: caritura Hercule
Lux vilis ista est. exigam pœnas tibi.
Reddamque vitam. fatane extendo mea?
Mortemque coniux in tuas servo manus?
Virtusne superest aliqua, & armatæ manus
Intendere arcum tela missurum valent?
An arma cessant, teque languenti manus
Non audit arcus? si potest letum dare,
Animose coniux, dexteram exspecto tuam.
Mors differatur. frange vt insontem Licham;
Alias in vrbes sparge; & ignotum tibi
Emitte in orbem. perde, vt Arcadiæ nefas,
Et quidquid aliud restitit. ab illis tamen

Coniux rediſti. HYL. *Parce iam, mater, precor.*
Ignoſce fatis. error à culpa vacat.
DEI. *Si vera pietas, Hylle, quærenda eſt tibi,*
Iam perime matrem. pavida quid tremnit manus?
Quid ora flectis? hoc erit pietas ſcelus.
Ignave, dubitas? Herculem eripui tibi.
Hæc hæc peremit dextra, cui debes patri
Avum Tonantem. maius eripui decus,
Quam in luce tribui. ſi tibi ignotum eſt nefas;
A matre diſce. ſeu tibi iugulo placet
Merſiſſe ferrum, ſive maternum libet
Invadere vterum; mater intrepidum tibi
Præbebit animum. non erit totum ſcelus
A te peractum. dextera ſternar tua,
Sed mente noſtra. natus Alcidæ times?
Ita nulla peragas iuſſa, nec frangens mala
Erres per orbem. ſi qua naſcetur fera,
Referas parentem. dexteram intrepidam paras.
Patet ecce plenum pectus ærumnis. feri.
Scelus remitto. dexteræ parcunt tuæ
Eumenides ipſæ. verberum crepuit ſonus.
Quænam iſta torquens angue vipereo comam
Temporibus atras ſquallidis pinnas quatit?
Quid dira me flagrante perſequeris face,
Megæra? pœnas poſcit Alcides. dabo.
Iamne inferorum, Diva, ſedere arbitri?
Sed ecce, diras carceris video fores.
Quis iſte ſaxum immane detritis gerit
Iam ſenior humeris? ecce, iam vectus lapis
Quærit relabi. membra quis præbet rotæ?
Heic ecce pallens dira Tiſiphone ſtetit,
Cauſam popoſcit. parce verberibus, precor.

Me

Megæra, parce; ſuſtine Stygias faces.
Scelus eſt amoris. ſed quid hoc? tellus labat
Et aula tectis crepuit excuſsis. minax
Vnde iſte cœtus? totus in vultus meos
*Decurrit orbis, hinc & hinc populi * fremunt.* Al. premunt.
Totusque poſcit vindicem mundus ſuum.
Iam parcite, vrbes. quo fugam præceps agam?
Mors ſola portus. dabitur ærumnis locus.
Teſtor nitentis flammeam Phœbi rotam,
Superosque teſtor. Herculem terris adhuc
Moritura linquo. HYL, *Fugit attonita. hei mihi!*
Peracta iam pars matris eſt. ſtatuit mori.
Nunc noſtra ſupereſt, mortis auferre impetum.
O miſera pietas! ſi mori matrem vetas,
Patri es ſceleſtus. ſi mori pateris tamen,
In matre peccas. ſurgit hinc illinc nefas.
Inhibenda tamen eſt. pergam, & eripiam ſcelus.

CHORVS.

Verum eſt, quod cecinit ſacer
Threſſæ ſub Rhodopes iugis,
Tangens Threiciam chelym,
Orpheus, Calliopæ genus:
ÆTERNVM FIERI NIHIL.
Illius ſtetit ad modos
Torrentis rapidi fragor,
Oblitusque ſequi fugax
Amiſit liquor impetum:
Et dum fluminibus mora eſt,
Defeciſſe putant Geten
Hebrum Biſtones vltimi.
Advexit volucrem nemus,

Et ſilva reſidens venit;
Aut ſi quæ aëra pervolat,
Auditis vaga cantibus
Ales deficiens cadit.
Abrupit ſcopulos Athos,
Centauris obitum ferens;
Et iuxta Rhodopen ſtetit
Laxata nive cantibus.
Et quercum fugiens ſuam,
Ad vatem properat Dryas,
Ad cantus veniunt ſuis
Ipſæ cum latebris feræ.
Iuxtaque inpavidum pecus
Sedit Marmaricus leo,
Nec damæ trepidant lupos.
Et ſerpens latebras fugit,
Tunc oblita veneni.
Quin per Tænarias fores
Manes cum tacitos adiit,
Mœrentem feriens chelym,
Cantu Tartara flebili
Et triſtes Erebi deos
Movit: nec timuit Stygis
Iuratos ſuperis lacus.
Hæſit non ſtabilis rota
Victo languida turbine.
Increvit Tityi iecur,
Dum cantus volucres tenet.
Audito quoque navita
Inferni ratis æquoris
Nullo remigio venit.
Tunc primum Phrygius ſenex.

Vndis ſtantibus immemor
Excuſſit rapidam ſitim.
Nec pomis adhibet manus.
Sed cum linqueret inferos
Orpheus carmina fundens;
Et vinci lapis improbus,
Et vatem potuit ſequi.
Conſumptas iterum deæ
Supplex Eurydices colos.
Sed dum reſpicit immemor,
Nec credens ſibi reddítam
Orpheus Eurydicen ſequi,
Cantus præmia perdidit.
Quæ nata eſt iterum, perit.
Tunc ſolamina cantibus
Quærens, flebilibus modis
Hæc Orpheus cecinit Getis:
LEGES IN SVPEROS DATAS,
[Et qui tempora digerens
Quattuor præcipitis deus
Anni diſpoſuit vices]
NVLLI NON AVIDAS COLO
PARCAS STAMINA NECTERE.
QVOD NATVM EST, POTERIT MORI.
Vati credere Thracio
Devictus iubet Hercules.
Iam iam legibus obrutis
Mundo cum veniet dies;
Auſtralis polus obruet
Quidquid per Libyam iacet,
Et ſparſus Garamas tenet.
Arctous polus obruet

Quidquid ſubiacet axibus,
Et ſiccus Boreas ferit. *
Amiſſum trepidus polo
Titan excutiet diem.
Cœli regia concidet,
Certos atque obitus trahet.
Atque omnes pariter deos
Perdet mors aliqua, & chaos.
Et mors fata noviſſima
In ſe conſtituet ſibi.
Quis mundum capiet locus?
Diſcedet via Tartari,
Stratis vt pateat polis?
An quod dividit æthera
A terris ſpatium, ſat eſt
Et mundi nimium malis?
Quis tantum capiet nefas
Fratrum? quis ſuperis locus?
Pontum, ſidera, Tartara,
Regna vnus capiet tria.
Sed quis non modicus fragor
Aures attonitas movet?
Eſt eſt Herculeus ſonus.

* Poſt hunc verſiculum retrahit quaſi è fuga tres ſuperiores uncinulis incluſos Rutgerſius, quem adi Variar. lib. II. cap. VI.

ACTVS QVARTVS.

HERCVLES. CHORVS.

HER. *Converte, Titan clare, anhelantes equos,*
Emitte noctem. pereat hic mundo dies,
Quo moriar. atra nube inhorreſcat polus.
Obſta novercæ. nunc, pater, cœcum chaos
Reddi decebat. hinc & hinc compagibus

Ruptis

Ruptis vterque debuit frangi polus.
Quid parcis astris? Herculem amittis, pater.
Nunc parte in omni, Iuppiter, specta poli,
Ne quis gigas Thessalica iaculetur iuga,
Et fiat Othrys pondus Encelado leve.
Laxabit atri carceris iam iam fores
Pluton superbus. vincula excutiet patri,
Cœlumque reddet. ille, qui pro fulmine
Tuisque facibus, natus in terris eram,
Ad Stygа revertor. surget Enceladus ferox,
Mittetque, quo nunc premitur, in superos onus.
Regum omne, genitor, ætheris dubium tibi
Mors nostra faciet. antequam spolium tui
Cœlum omne fiat, conde me tota, pater,
Mundi ruina. frange, quem perdis, polum.
CHO. *Non vana times, nate Tonantis.*
Iam Thessalica Pelion Ossa
Premet; & Pindo congestus Athos
Nemus æthereis inseret astris.
Vincet scopulos inde Typhoeus,
Et Tyrrhenam feret fnarimen.
Feret Ætnæos inde caminos,
Scindetque latus montis aperti,
Nondum Enceladus fulmine victus.
Iam te cœli signa sequentur.
HER. *Ego, qui relicta morte, contempta Styge,*
Per media Lethes stagna cum spolio redij.
Cum pene trepidis excidit Titan equis:
Ego, quem deorum regna senserunt tria,
Morior: nec vllus per meum stridet latus
Transmissus ensis: haud meæ telum necis
Saxum est, nec instar montis abrupti latus.

Aut totus Othrys, non truci vultu Gyges
Pindo cadaver obruit toto meum.
Sine hoſte vincor: quodque me torquet magis,
(O miſera virtus !) ſummus Alcidæ dies
Nullum malum proſternit. impendo, hei mihi,
In nulla vitam facta. prô mundi arbiter,
Superique, quondam dexteræ teſtes meæ!
Prô cuncta tellus, Herculis veſtri placet
Mortem perire ? dirus ô nobis pudor,
O turpe fatum! femina Herculeæ necis
Auctor feretur: auctor Alcides quibus?
Invicta ſi me cadere fœminea manu
Voluere fata, perque tam turpes colos
Mea mors cucurrit, cadere potuiſſem, hei mihi,
Iunonis odio: fœminæ caderem minis,
Sed cœlum habentis. Si nimis ſuperis fuit,
Scythico ſub axe genita domuiſſet meas
Vires Amazon. fœminæ cuius manus
Iunonis hoſtis vincor? hinc gravior tui,
Noverca, pudor eſt. quid diem hunc lætum vocas?
Quid tale tellus genuit iratæ tibi?
Mortalis odia fœmina exceſſit tua.
Adhuc furebas eſſe te Alcidæ imparem.
Victa es duobus: pudeat irarum deos.
Vtinam meo cruore ſatiaſſet ſuos
Nemeæa victus peſtis! aut centum anguibus
Vallatus hydram tabe paviſſem mea!
Vtinam fuiſſem præda Centauris datus!
Qui inter vmbras vinctus, æterno miſer
Saxo ſederem, ſpolia cum traxi vltima
Fato ſtupente. nunc ab inferna Styge
Lucem recepi, Ditis evici moras.

Vbi-

Vbique me mors fugit, vt leto inclyto*
Fortis carerem. ô feræ victæ, ô feræ!
Non me triformis sole conspecto canis
Ad Styga reduxit. non sub Hesperio polo
Ibera vicit turba pastoris feri.
Non gemina serpens. perdidi mortem, hei mihi,
Toties honestam. titulus extremus quis est?
CHO. *Viden, vt laudis conscia virtus*
Non Lethæos horreat amnes?
Pudet auctoris, non morte dolet.
Cupit extremum finire diem
Vasta pressus mole gigantum,
*Et * montiferum Titana pati.*
Rabidæque necem debere feræ.
Si tua causa est miseranda necis,
Quod nulla fera est, nullusque gigas,
Iam quis dignus necis Herculeæ
Superest auctor, nisi dextra tui?
HER. * *Heu qualis intus scorpius, quis fervida*
Plaga revulsus cancer infixus meas
Vrit medullas? sanguinis quondam capax
Tumidi iecur pulmonis arentes fibras
Distendit: ardet felle siccato iecur,
Totumque lentus sanguinem avexit vapor.
Primam cutem consumpsit, hinc aditus nefas
In membra fecit, abstulit costis latus,
Exedit artus penitus, & totas malum
Hausit medullas. ossibus vacuis sedet.
Nec ossa durant ipsa, sed compagibus
Discussa ruptis mole collapsa fluunt.
Defecit ingens corpus, & pesti satis
Herculea non sunt membra. pro, quantum est malum,

* Al. *telo inclitæ Mortis &c.*

* Al. Monstriferum.

* Al. Eheu quis int.

Quod eſſe vaſtum fateor? ô dirum nefas!
En cernite, vrbes, cernite ex illo Hercule
Quid iam ſuperſit. Herculem agnoſcis, pater?
Hisne ego lacertis ſpolia Nemeæi mali
Eliſa preſſi? tenſus hac arcus manu
*Aſtris ab ipſis * depulit Stymphalidas?* *Al. detulit.
His ego citatam greſſibus vici feram,
Radiante clarum fronte geſtantem caput?
His fracta Calpe manibus eliſit fretum?
His tot feræ, tot ſcelera, tot reges iacent?
His mundus humeris ſedit? hæc moles mei eſt?
Hæc ne illa cervix? has ego oppoſui manus
Cœlo ruenti ? cuius, ô, cuſtos manu
Trahetur vltra Stygius? ô, vires prius
In me ſepultæ! quid patrem appello Iovem?
Quid per Tonantem vindico cœlum mihi?
Iam iam meus credetur Amphitryo pater.
Quæcumque peſtis viſcere in noſtro lates,
Procede. quid me vulnere occulto petis?
Quis te ſub axe frigido Pontus Schytes,
Quæ pigra Tethys genuit, aut Maurum premens
Ibera Calpe littus! ô dirum malum!
Vtrumne ſerpens ſquallidum criſta caput
Vibrans? an aliquod eſt mihi ignotum malum?
Numquid cruore es genita Lernææ feræ?
An te reliquit Stygius in terris canis?
Omne es malum, nullumque. quis vultus tibi eſt!
Concede ſaltem ſcire, quo peream malo.
Quæcumque peſtis, ſæva quæcumque es fera,
Palam timeres, quis tibi in medias locum
Fecit medullas! ecce, dirupta cute
Viſcera manus detexit, vlterior tamen

Inven-

Inventa latebra est. ô malum simile Herculi!
Unde iste fletus? unde in has lacrimæ genas?
Invictus olim vultus & nunquam malis
Lacrimas suis præbere consuetus (pudet!)
Iam flere didicit. quis dies fletum Herculis,
Quæ terra vidit? siccus ærumnas tuli.
Tibi illa virtus, quæ tot elisit mala,
Tibi cessit uni. primo, & ante omnes mihi
Fletum abstulisti. durior saxo horrido
Et Chalybe vultus, & vaga Symplegade,
Rictus meos infregit, & lacrimam extulit.
Flentem, gementem, summe pro rector poli,
Me terra vidit. quodque me torquet magis,
Noverca vidit. urit ecce iterum fibras,
Incaluit ardor. unde nunc fulmen mihi?
CHO. *Quid non possit superaxe dolor?*
Quondam Getico durior Ætno,
Nec Pharrhasio lenior axe,
Sævo cessit membra dolori:
Fessumque movens per colla caput
Latus alterno pondere flectit.
Fletum virtus sæpe resolvit.
Sic Arctoas laxare nives,
Quamvis tepido sidere Titan
Non tamen audet, vicitque faces
Solis adusti glaciale iubar.

HERCVLES. ALCMENA.

HER. *Converte vultus ad meas clades, pater.*
Nunquam ad tuas confugit Alcides manus.
Non, cum per artus hydra fecundum meos
Caput explicaret, inter infernos lacus

Poſſeſſus atra nocte cum Fato ſteti;
Nec invocavi. tot feras vici horridas,
Reges, tyrannos; non tamen vultus meos
In aſtra torſi. ſemper hæc nobis manus
Votum ſpopondit. nulla propter me ſacro
Micuëre cœlo fulmina. hic aliquid dies
Optare iuſſit. primus audierit preces,
Idemque ſummus. vnicum fulmen peto.
Giganta crede. non minus cœlum mihi
Aſſerere potui. dum patrem verum puto,
Cœlo peperci. ſive crudelis pater,
Sive es miſericors, commoda gnato manum.
Propera ante mortem, & occupa hanc laudem tibi.
Vel, ſi piget, manusque detractat nefas,
Emitte Siculo vertice ardentes, pater,
Titanas in me, qui manu Pindum ferant,
Aut te, Oſſa; qui me monte proiecto opprimant.
Abrumpe & Erebi clauſtra, me ſtricto petat.
Bellona ferro. mitte Gradivum trucem;
Armetur in me dirus; & frater quidem,
Sed ex noverca. tu quoque Alcidæ ſoror
Tantem ex pareme, cuſpidem in fratrem tuum
Iacularе, Pallas. ſupplices tendo manus
Ad te, noverca. ſparge tu ſaltem, precor,
Telum. perire fœminæ poſſum manu.
Iam fracta, iam ſatiata, quid paſcis minas?
Quid quæris vltra? ſupplicem Alciden vides.
Et nulla tellus, nulla me vidit fera
Te deprecantem. nuuc mihi iratâ quidem
Opus eſt noverca. nunc tuus ceſſat dolor.
Nunc odia ponis. parcis, vbi votum eſt mori?
O terræ & vrbes! non facem quisquam Herculi,

Non

Non arma tradet? tela ſubtrahitis mihi.
Ita nulla ſævas terra concipiat feras
Poſt me ſepultum. nec meas vmquam manus
Imploret orbis. ſi qua naſcetur fera,
Naſcatur alius. vndique infelix caput
Mactate ſaxis, vincite ærumnas meas.
Ingrate ceſſas orbis? excidimus tibi?
Adhuc malis ferisque ſuppoſitus fores,
Ni me tuliſſes. vindicem veſtrum malis
Eripite, populi. tempus hoc vobis datur.
Penſate merita. mors erit pretium omnium.
ALC. *Quas miſera terras mater Alcidæ petam?*
Vbi natus, vbinam eſt? certa ſi viſus notat,
Reclinis ecce corde anhelanti æſtuat.
Gemit. peractum eſt. membra complecti vltima,
O nate, liceat. ſpiritus fugiens meo
Legatur ore. brachia in amplexu cape.
Vbi membra ſunt? vbi illa, quæ mundum tulit,
Stelligera cervix? quis tibi exiguam tui
Partem reliquit? HER. *Herculem ſpectas quidem,*
Mater; ſed vmbræ ſimile neſcio quid mei
Agnoſce, mater. ora quid flectis retro,
Vultumque mœrens? Herculem dici tuum
Partum erubeſcis? ALC. *Quis feram mundus novam*
Quæ terra genuit? quodve tam dirum nefas
De te triumphat? Herculis victor quis eſt?
HER. *Nuptæ iacentem cernis Alciden dolis.*
ALC. *Quis tantus eſt, qui vincat Alciden, dolus?*
HER. *Quicunque; mater, fœminæ iratæ ſat eſt.*
ALC. *At vnde in artus peſtis aut oſſa incidit?*
HER. *Aditum venenis palla fœmineis dedit.*
ALC. *Vbinam ipſa palla eſt? membra nudata intuor.*

HER.

HER. *Consumpta mecũ est.* ALC. *tãtane invẽta est lues?*
HER. *O mater, hydram, & mille cum Lerna feras*
Errare mediis credo visceribus meis.
Quæ tanta nubes flamma Sicanias bibit?
Quæ Lemnos ardens? quæ plaga igniferi poli,
Vetans flagranti currere in zona diem?
In ipsa me iactate, pro comites, fretã;
Mediosque in amnes. qui sat est Ister mibi?
Non ipse terris maior Oceanus meos
Frangit vapores. omnis in nostris malis
Deficiet humor, omnis arescet latex.
Quid, rector Erebi, me remittebas Iovi?
Decuit tenere, redde me tenebris tuis.
Talem subactis Herculem ostende inferis,
Nil inde ducam. quid times iterum Herculem?
Invade mors non trepida. iam possum mori.
ALC. *Compesce lacrimas saltem, & ærumnæs doma,*
Malisque tantis Herculem indomitum refer,
Mortemque vince. quod soles, vince inferos.
HER. *Si me catenis horridus vinctum suis*
Præberet avidæ Caucasus volucri dapem
Scythia gemente, flebilis gemitus mihi
Non extitisset. si vagæ Symplegades
Viraque premerent rupe, redeuntis minas
Ferrem ruinæ. Pindus incumbat mihi
Atque Æmus, & qui Thracios fluctus Athos
Frangit, Iovisque fulmen excipiens Mimas.
Non ipse si in me, mater, hic mundus ruat,
Superque nostros flagret incensus rogos
Phœbeus axis, degener mentem Herculis
Clamor domaret. mille decurrant feræ,
Pariterque lacerent: hinc feris clangoribus

Æthe-

Ætherea me Stymphalis; hinc taurus minax
Cervice tota pulset, & quidquid furit.
Solum quoque ingens surgat, hinc illinc fremens,
Artusque nostros dirus imminuat dolor.
Sparsus silebo. non feræ excutient mihi,
Non arma gemitus. nil, quod impelli potest.
ALC. *Non virus artus, nate, fœmineum coquit;*
Sed dura series operis; & longus tibi
Favet cruentis forsitan morbis dolor.
HER. *Vbi mors? vbi illa? testis est aliquis mali?*
Intendat arcus. nuda sufficiet manus.
In orbe mecum veniat huc aliquis mihi.
Procedat, agedum, huc. ALC. *Hei mihi, sensus quoque*
Excussit ille nimius * *impulsu dolor.* * Al. impulsos
Removete, quæso, tela, & infestas, precor,
Rapite hinc sagittas. igne suffusa genæ
Scelus minantur. qua fuga latebras petam?
Dolor iste furor est. Herculem solus domat.
Cur deinde latebras aut fugam vecors petam?
Obire forti meruit Alcmene manu.
Vel scelere pereat, ante quam letum mihi
Ignavus aliquis mandet, ac turpis manus
De me triumphet. ecce, lassatus malis
Sopore sessas alligat venas dolor,
Gravique anhelum pectus impulsu quatit.
Favete, superi. si mihi gnatum inclitum
Miseræ negatis; vindicem saltem precor
Servate terris. abeat excussus dolor,
Corpusque vires reparet Herculeum suas.

HER.

HYLLVS. ALCMENA. HERCVLES.

PHILOCTES muta persona.

HYL. *Prô lux acerba, prô capax scelerum dolor!*
Nurus Tonantis occidit. natus jacet.
Nepos supersum. scelere materno hic perijt;
Fraude illa capta est. quis per annorum vices,
Totoque in ævo poterit ærumnas senex
Referre tantas? vnus eripiet dies
Parentem vtrumque. cætera vt fileam mala,
Parcamque fatis, Herculem amitto patrem.
ALC. *Compesce voces inclitum Alcidæ genus,*
*Miseræque *fato similis Alcmenæ nepos.* *Al. MALO
Longus dolorem forsitan vincet sopor.
Sed ecce lassam deserit mentem quies,
Redditque morbo corpus, & luctus mihi.
HER. *Quid hoc? rigenti cernitur Trachin iugo.*
Et inter astra positus evasi genus
Mortale tandem. quis mihi cœlum parat?
Te te, pater, iam video: placatam quoque
Specto novercam. qui sonus nostras ferit
Cœlestis aures? Iuno me generum vocat.
Video nitentem regiam clari ætheris,
Phœbique tritam flammea zonam rota.
*Cubile video noctis. *hinc tenebras vocat.* Al. in
Quid hoc? quis axem cludit, & ab ipsis, pater,
Deducor astris? ora Phœbeus modo
Afflabat axis. tam prope à cœlo fui.
Trachina video. quis mihi terras dedit?
Modò nempe me infra steterat, ac totus mihi

Suppe-

Suppoſitus orbis. tam bene excideras, dolor.
Cogis fateri. parce, & hanc vocem occupa.
Hæc, Hylle, dona matris. hoc munus parat.
Vtinam liceret ſtipite ingeſto impiam
Effringere animam, quale Amazonium malum
Circa nivalis Caucaſi domui latus.
O clara Megara, tunc, cum furerem, mihi
Coniux fuiſti? ſtipitem atque arcus date.
Dextra inquinetur. laudibus maculam imprimam.
Summus legatur fœmina Herculeus labor.
HYL. *Compeſce diras, genitor, irarum minas.*
Habet. peractum eſt. quas petis pœnas, dedit.
Sua perempta dextera mater iacet.
HER. *Cœci dolores. manibus irati Herculis*
Occidere meruit. perdidit comitem Lichas
Sævire in ipſum corpus exanime impetus
Atque ira cogit. cur minis noſtris caret?
Ipſum cadaver pabulum accipiant feræ.
HYL. *Plus miſera læſo doluit. huic aliquid quoque*
Detrahere velles. occidit dextra ſua,
Tuo dolore. plura, quam poſcis, tulit.
Sed non cruentæ ſceleribus nuptæ iaces.
Nec fraude matris. Neſſus hos ſtruxit dolos;
Ictus ſagittis qui tuis vitam expulit.
Cruore tincta eſt palla ſemiferi, pater,
Neſſusque nunc has exigit pœnas ſibi.
HER. *Habet. peractum eſt. fata ſe noſtra explicant.*
Lux iſta ſumma eſt. quercus hanc ſortem mihi
Fatidica quondam dederat, & Pernaſſio
Cirrhæa quatiens templa mugitu nemus:
„ *Dextra perempti, victor Alcide, viri*
„ *Olim iacebis. hic tibi emenſo freta,*

„ Ter-

„ *Terrasque, & vmbras, finis extremus datur.*
Nil querimur vltra. decuit hunc finem dari,
Ne quis superstes Herculis victor foret.
Nunc mors legatur clara, memoranda, inclita,
Me digna prorsus. nobilem hunc faciam diem.
Cædatur omnis silva, & OEtæum nemus
Suscipiat ignis. Herculem accipiat rogus.
Sed ante mortem, tu genus Pæantium,
Hoc triste nobis, iuvenis, officium appara.
Herculea totum flamma succendat diem.
Ad te preces nunc, Hylle, supremas fero.
*Est clara, captas inter * incultas, genus*
Regeumque referens, Euryto virgo edita,
Iole. tuis hanc facibus & flammis para.
Victor cruentus abstuli patriam, lares,
Nihilque miseræ præter Alcidem dedi;
Et iste rapitur. pensæt ærumnas suas:
Iovis nepotem foveat, & natum Herculis.
Tibi illa pariat quidquid ex nobis habet.
Tuque ipsa planctus pone funebres, precor,
O clara genitrix. vivet Alcides tuus.
Virtute nostra pellicem feci tuam
Credi novercam. sive nascente Hercule
Nox illa certa est, sive mortalis meus
Pater est: licet sit falsa progenies mihi;
Materna culpa cesset, & crimen Jovis;
Merui parentem, contuli cœlo decus.
Natura me concepit in laudes Iovis.
Quin ipse quamquam Iuppiter credi meus
Pater esse gaudet. parce iam lacrimis, parens
Superba matres inter Argolicas eris.
Quid tale Juno peperit, æthereum gerens

* Oechalias, Scal.

Sce-

Sceptrum, & Tonanti nupta? mortali tamen
Cœlum tenens invidit? Alciden ſuum
Dici eſſe voluit. perage nunc, Titan, vices
Solus relictus. ille, qui veſter comes
Vbique fueram, Tartara & Manes peto.
Hanc tamen ad imos perferam laudem inclitam,
Quod nulla peſtis vicit Alcidem palam,
Omnemque peſtem vicit Alcides palam.

CHORVS.

O decus mundi, radiate Titan,
Cuius ad primos Hecate vaporeis
Laſſa nocturnæ levat ora bigæ,
Dic ſub Aurora poſitis Sabæis,
Dic ſub Occaſu poſitis Iberis,
Quique ferventem patiuntur axem,
Quique ſub plauſtro patiuntur Vrſæ;
Dic ad æternos properare Manes
Herculem, & regnum Canis inquieti,
Vnde non vnquam remeavit vllus.
Sume, quos nubes radios ſequantur.
Pallidus mœſtas ſpeculare terras,
Et caput turpes nebulæ pererrent.
*Quando, prô Titan, vbi, * quove, ſumme,* *Al. quo ſub axe
Herculem in terris alium ſequeris?
Quas manus, orbis miſer, invocabis,
Si qua ſub terra numeroſa peſtis
Sparget intentam rabiem draconis?
Arcadum ſi quis, populi veteſti,
Fecerit ſilvas aper inquietas?
Thraciæ ſi quis Rhodopes alumnus
Durior terris Helices nivoſæ

Sparget humano ſtabulum cruore?
Quis dabit pacem populo timenti,
Si quid irati ſuperi per vrbes
Iuſſerint naſci? iacet omnibus par,
Quem parem tellus genuit Tonanti.
Planctus immenſas reſonet per vrbes,
Et comas nullo cohibente nodo,
Fœmina exertos feriat lacertos;
Solaque obductis foribus deorum,
Templa ſecuræ pateant novercæ.
Vadis ad Lethen Stygiumque littus,
Vnde te nullæ referent carinæ.
Vadis ad Manes miſerandus, vnde
Morte devicta tuleras trimphum.
Vmbra nudatis venies lacertis,
Languido vultu, trepidoque collo:
Teque non ſolum feret illa puppis.
Non tamen viles eris inter vmbras;
Æacumque inter, geminoſque Cretas,
**Fata diſcernes. fieri tyranni* * Al. Facta diſcernes. feries tyrānos. P.
Parcite, ô dites, inhibite dextras.
Laudis eſt, parum tenuiſſe ferrum.
Dumque regnabas, minimum cruentis
*In tuas vrbes licuiſſe * fatis.* Al. Factis.
Sed locum virtus habet inter aſtra.
Sedis Arctoæ ſpatium tenebis?
An gravis Titan vbi promit æſtus?
An ſub Occaſu tepido nitebis,
Vnde commiſſo reſonare ponto
Audies Calpen? loca quæ ſereni
Deprimes cœli? quis erit recepto
Tutus Alcidæ locus inter aſtra?

Horrido

Horrido tantum procul a Leone
Det pater ſedes, calidoque Cancro;
Ne tuo vultu tremefacta leges
Aſtra conturbent, trepidetque Titan.
Vere dum flores venient tepenti,
Et comam ſilvis hiemes recident,
[Vel comam ſilvis revocabit æſtas;]
Pomaque autumno fugiente cedent,
Nulla te terris rapiet vetuſtas.
Tu comes Phœbo, comes ibis aſtris.
Ante naſcetur ſeges in profundo,
Vel fretum dulci reſonabit vnda;
Ante deſcendet glacialis Vrſæ
Sidus, & Ponto vetito fruetur,
Quam tuas laudes populi quieſcant.
Te, pater rerum, miſeri precamur,
Nulla naſcatur fera, nulla peſtis.
Non duces ſævos miſeranda tellus
Habeat: nec vlla dominetur aula
Qui putet ſolum decus eſſe regni,
*Semper * impenſum tenuiſſe ferrum.* *Al. intenſum.
Si quid in terris iterum timetur,
Vindicem terræ petimus relictæ.
Hem, quid hoc? mundus tonat. ecce, mœræ,
Mœret Alcidæ pater. an deorum
Clamor, an vox eſt timidæ noverca?
Hercule an viſo fugit aſtra Iuno?
Laſſus an pondus titubavit Atlas?
An magis diri tremuĕre Manes
Herculem? & viſum canis inferorum
Fugit abruptis trepidus catenis?
Fallimur: lato venit, ecce, vultu

Quem tulit Pæas, humerisque tela
Geſtat, & notas populis pharetras,
Herculis hæres.

ACTVS QVINTVS.

NVTRIX PHILOCTETES

NVT. *EFfare caſus, iuvenis, Herculeos precor,*
Vultuque quonam tulerit Alcides necem.
PHIL. *Quo nemo vitam.* NVT. *Lætus adeone vltimos*
Invaſit ignes? PHIL. *Eſſe iam flammas nihil*
Oſtendit ille, qui ſub occaſu Herculis
Virtute vinci docuit indomita omnia.
NVT. *Inter vapores quis fuit forti locus?*
PHIL. *Quod vnum in orbe venerat nondum malum,*
Et flamma victa eſt. hæc quoque acceſſit feris.
Inter labores ignis Herculeos abijt.
NVT. *Ediſſere agedum, flamma quo victa eſt modo?*
PHIL. *Vt omnis OEten mœſta corripuit manus,*
Hinc fagus vmbras perdit, & toto iacet
Succiſa trunco: flectit hinc pinum ferox
Aſtris minantem, & nube de media vocat;
Ruitura cautes movit, & ſilvam trahit
Secum minorem. Chaonis quondam loquax
Stat vaſta late quercus, & Phœbum vetat,
Vltraque totos porrigit ramos nemus.
Gemit illa multo vulnere impreſſo minax,
Frangitque cuneos. reſilit excuſſus chalybs,
Vulnusque ferrum patitur, & truncum fugit.
*Commota tandem eſt. tunc cadens *lenta mora* *Al. latam ſui.
Duxit ruinam. protinus radios locus

Ad-

Admiſit omnes. ſedibus pulſæ ſuis
*Volucres pererrant nemore ſucciſo * diem,* * Al. domus.
Quæruntque laſſis garrulæ pinnis nemus.
Famque omnis arbor ſonuit, & ſacræ quoque
Senſere quercus horridam ferro manum,
Nullique priſcum profuit ligno nemus.
Aggeritur omnis ſilva, & alternæ trabes
In aſtra tollunt Herculi angustum rogum.
Rapit alta flammas pinus, & robur tenax,
Et brevior ilex ſilva. contexit pyram
Populea ſilva, frondis Herculeæ nemus.
At ille, vt ingens nemore ſub Naſamonio
Æger reclini pectore admugit leo,
Fertur. quis illum credat ad flammas rapi?
Vultus petentis aſtra, non igneis, erant.
Vt preſſit OEten, ac ſuis oculis rogum
Luſtravit, omnes fregit impoſitus trabes,
Arcumque poſcit: Accipe hæc, inquit, ſate
Peante, dona; munus Alcidæ cape.
Has hydra ſenſit: his iacent Stymphalides,
Et quidquid aliud eminus vici malum.
Victure felix: has enim numquam irritas
Mittes in hoſteis. ſive de media voles
Auferre volucres nube, deſcendent aves,
Et certa prædam tela de cœlo ferent.
Nec fallet vmquam dexteram hic arcus tuam:
Librare telum didicit, & certam dare
Fugam ſagittis. ipſa non fallunt iter
Emiſſa nervo tela. tu tantum, precor,
Accommoda ignes, & facem extremam mihi.
Hic nodus, inquit, nulla quem capiet manus,
Mecum per ignem flagret, hoc telum Herculem

Tantum ſequatur. hoc quoque acciperes, ait,
Si ferre poſſes. adiuvet domini rogum.
Tum rigida ſecum ſpolia Nemeei mali
Arſura poſcit. latuit in ſpolio rogus.
Ingemuit omnis turba; nec lacrimas dolor
Cuiquam remiſit. mater in luctum furens
Diduxit avidum pectus, atque vtero tenus
Exerta vaſtos vbera in planctus ferit:
Superoſque & ipſum vocibus pulſans Iovem
Implevit omnem voce fœminea locum.
Deforme letum mater Herculeum facis:
Compeſce lacrimas, inquit. introrſus dolor
Fœmineus abeat. Iuno cur lætum diem
Te flente ducat? pellicis gaudet ſuæ
Spectare lacrimas. contine infirmum iecur
Mater. nefas eſt vbera atque vterum tibi
Laniare, qui me genuit. & dirum fremens
Qualis per vrbes duxit Argolicas canem,
Cum victor Erebi Dite contempto redijt
Tremente Fato; talis incubuit rogo.
Quis ſic triumphans lætus in curru ſtetit
Victor? quis illo gentibus vultu dedit
Leges tyrannus? quanta pax obitus tulit?
Hæſere lacrimæ. cecidit expulſus dolor
Nobis quoque ipſis. nemo morituro ingemit.
Iam flere pudor eſt, ipſa, quam ſexus iubet
Mœrere, ſiccis hæſit Alcmene genis;
Stetitque nato pene iam ſimilis parens.
NVT. *Nullaſne in aſtra miſit ad ſuperos preces*
Arſurus, aut in vota reſpexit Iovem?
PHI. *Iacuit ſui ſecurus, & cœlum intuens,*
Quæſivit oculis arce an ex aliqua pater

Deſpi-

Deſpiceret illum. tum manus tendens ait:
Quacumque parte proſpicis natum, pater,
Iſte eſt pater, quem nocte commiſſa dies
Quæſivit vnus. ſi meas laudes canit
Vtrumque Phœbi littus, & Scythiæ genus,
Et omnis ardens ora, quam torret dies.
Si pace tellus plena, ſi nullæ gemunt
Vrbes, nec aras impius quiſquam inquinat:
Si ſcelera deſunt, ſpiritum admitti hunc precor
In aſtra. nec me mortis infernæ locus,
Nec mœſta nigri regna conterrent Iovis:
Sed ire ad illos vmbra, quos vici, Deos,
Pater, erubeſco. nube diſcuſſa diem
Pande, vt Deorum vultus ardentem Herculem
Spectet: licet tu ſidera & mundum neges
Vltro, pater, cogére. ſi voces dolor
Abſtulerit vllas, pande tum Stygios lacus,
Et redde Fatis approba gnatum prius.
Vt dignus aſtris videar, hic faciet dies.
Leve eſt quod actum eſt. Herculem genitor prius
Invenit, an damnavit? hoc poſtque addidit:
Noverca cernat, quo feram flammas modo.
Flammas popoſcit. hoc age Alcidæ comes;
Non ſegnis, inquit, corripe OEtæam facem.
Quid dextra tremuit? num manus pavida impium
Scelus refugit? redde iam pharetras mihi,
Ignave, iners, inermis. en noſtros manus
Quæ tendat arcus. quis ſedet pallor genis?
Animo faces invade, quo Alciden vides
Vultu iacere: reſpice arſurum, miſer.
Vocat ecce iam me genitor, & pandit polos.
Venio, pater. vultuſque non idem fuit.

Tremente pinum dextera ardentem impuli.
Refugit ignis, & reluctantur faces,
Et membra vivant: sed recedentem Hercules
Insequitur ignem. Caucasum, aut Pindum, aut Athon
Ardere credas. nullus erumpit sonus.
Tantum ingemiscit ignis ad durum iecur.
Typhon in illo positus immanis rogo
Gemuisset ipse, quique convulsam solo
Impositit humeris Ossan Enceladus ferox.
At ille medias inter exsurgens faces
Semiustus ac laniatus, intrepidus, rubens;
Nunc, ô parens Herculea, sic stare ad rogum,
Te mater, inquit, sic decet fleri Herculem.
Inter vapores positus, & flammæ minas,
Immotus, inconcussus, in neutrum latus
Correpta flectens membra, adhortatur, monet.
Gerit aliquid ardens: omnibus fortem addidit
Animum ministris. vrere ardentem putes.
Stupet omne vulgus, vix habens flammæ fidem.
Tam placida frons est, tanta maiestas viro.
Nec properat vri. cumque iam forti datum
Leto satis pensavit, igniferas trabes
Hinc inde traxit, nimia quas flamma occupat.
Totasque in ignem verit, & qua plurimus
Exundat ignis, recipit intrepidus, ferox.
Nunc ora flammis implet. ast illi graves
Luxere barbæ: cumque iam vultum minax
Appeteret ignis, lamberent flammæ caput,
Non pressit oculos. Sed quid hoc? mœstam intuor
Sinu gerentem reliquias magni Herculis.
Crinemque iactans squallidum Alcmene gemit.

ALCMENA. PHILOCTETES.

ALC. *Timete ſuperi fata. tam parvus cinis*
Herculeus eſt. huc ille decrevit gigas.
O quanta, Titan, in nihil moles abit!
Anilis, heu me, cepit Alciden ſinus.
Hic tumulus illi eſt. ecce vix totam Hercules
Complevit vrnam. quam leve eſt pondus mihi,
Cui totus æther pondus incubuit leve!
Ad Tartara olim regnaque, ô gnate, vltima
Redituruſ ibas. quando ab inferna Styge
Remeabis iterum? non vti ſpolium trahas,
Rurſumque Theſeus debeat lucem tibi:
Sed quando ſolus? ignis impoſitus tuas
Compeſcet vmbras, teque Tatareus canis
Inhibere poterit? quando Tænareas fores
Pulſabis? ah, quas mater ad fauces agar?
Qua mors aditur? vadis ad Manes iter
Habiturus vnum. quid diem queſtu tero?
Quid miſera duras vita? quid lucem hanc tenes?
Quem parere rurſus Herculem poſſum Jovi?
Quis me parentem gnatus Alcmenam ſuam
Tantus vocabit? ô nimis felix, nimis,
Thebane coniux. Tartari intraſti loca
Florente gnato; teque venientem inferi
Timuere forſan, quod pater tantum Herculis
Vel falſus aderas. quas petam terras anus,
Inviſa ſævis regibus? ſi quis tamen
Rex eſt relictus ſævus. hei miſeræ mihi.
Quicumque cæſos ingemunt gnati patres,
A me petent ſupplicia. me cuncti obruent.
Si quis minor Buſiris, aut ſi quis minor

Antæus vrbes perfidæ terret plagæ,
Ego præda ducar. ſi quis Iſmarios greges
Thracis cruenti vindicat, carpent greges
Mea membra diri. forſitan pœnas petet
Irata Iuno. totus vretur dolor.
Secura victo tandem ab Alcide vacat.
Pellex ſuperſum, ſupplicia de qua exigat.
Ne parere poſſem, fecit hic gnatus mihi
Vterum timendum. quæ petam Alcmene loca?
Quis me locus, quæ regio, quæ mundi plaga
Defendet? aut quas mater in latebras agar?
Vbique certe nota. ſi patriam petam,
Lareſque miſeros, Argos Euryſtheus tenet.
Orbata Thebas, regnum & Iſmenum petam,
Thalamoſque noſtros, in quibus quondam Iovem
Dilecta vidi? prô nimis felix, nimis,
Si fulminantem & ipſa ſenſiſſem Iovem!
Vtinam meis viſceribus Alcides foret
Exectus infans! nunc datum eſt miſeræ, datum,
Videre gnatum laude certantem Iovi:
Et hoc daretur ſcire, quod fatum mihi
Eripere poſſet! quis memor vivet tui,
O gnate, populus? omne iam ingratum eſt genus.
Petam Cleonas? Arcadum an populos petam?
Meritiſque terram nobilem quæram tuis?
Heic dira ſerpens cecidit; heic ales fera;
Heic rex cruentus; heic tua fractus manu,
Quite ſepulto poſſidet cœlum, leo.
Si grata terra eſt, populus Alcmenam tuam
Defendat omnis. Thracias gentes petam,
Hebrique populos? hæc quoque eſt meritis tuis
Defenſa tellus. ſtabula cum regno iacent.

Heic

Heic pax cruento rege proſtrato data eſt.
Vbi enim negata eſt? quod tibi infelix anus
Quæram ſepulchrum? de tuis totus rogis
Contendat orbis, reliquias magni Herculis
Quis populus, aut quæ templa, quæ gentes colent?
Quis iam petet, quis poſcet Alcmenes onus?
Quæ tibi ſepulchra, gnate, quis tumulus ſat eſt?
Hic totus orbis fama erit tumulus tibi.
Quid, anime, trepidas? Herculis cineres tene.
Complectere oſſa. reliquiæ auxilium dabunt.
Erunt ſatis præſidia. terrebunt tuæ
Reges vel vmbræ. PHI. *Debitos gnato quidem*
Compeſce fletus, mater Alcidæ incliti.
Non eſt gemendus, nec gravi vrgendus nece,
Virtute quisquis abſtulit fatis iter.
Æterna virtus Herculem fleri vetat.
Fortes vetat mœrere, degeneres iubet.
ALC. *Sedabo queſtus? vindicem amiſi parens*
Terræ atque pelagi, quaque purpureus dies
Vtrumque clara ſpectat Oceanum rota.
Quot miſera in vno condidi gnatos parens?
Regno carebam, regna ſed poteram dare.
Vna inter omnes terra quas matres gerit,
Votis peperci. nil ego à ſuperis petii
Incolume nato. quid dare Herculeus mihi
Non poterat ardor? quis Deus quidquam mihi
Negare poterat? vota in hac fuerant manu.
Quidquid negaret Iupiter, daret Hercules.
Quid tale genitrix vlla mortalis tulit?
Deflevit aliqua mater, & toto ſtetit
Succiſa fetu, biſque ſeptenos greges
Deplanxit vna. gregibus æquari meus

Quot

Quot ille poterat? matribus miseris adhuc
Exemplar ingens deerat. Alcmene dabit.
Cessate matres, pertinax si quas dolor
Adhuc iubet lugere, quas luctus gravis
In saxa vertit, cedite his cunctæ malis.
Agedum, senile pectus, ô miseræ manus,
Pulsate. & vna funeri tanto sat est
Grandæva anus defecta; quod totus brevi
Iam quæret orbis? expedi in planctus tamen
Defessa quamquam brachia. invidiam vt Deis
Lugendo facias, advoca in planctum genus.

ALCMENA.

Flete Alcmenen, magnique Iovis
Plangite gnatum, cui concepto
Lux vna periit, noctesque duas
Contulit Eos: ipsa quiddam
Plus luce perit. totæ pariter
Plangite gentes, quarum sævos
Ille tyrannos iussit Stygias
Penetrare domos, populisque madens
Ponere ferrum. fletum meritis
Reddite tantis, totus, totus
Personet orbis. fleat Alciden
Cærula Crete; magno tellus
Clara Tonante: centum populi
Brachia pulsent
Nunc Curetes, nunc Corybantes,
Arma Idæa quassate manu:
Armis illum lugere decet.
Nunc nunc funus plangite verum:
Iacet Alcides non minor ipso,

• Creta,

Creta, Tonante.
Flete Herculeos, Arcades, obitus,
Nondum Phœbe naſcente genus.
Iuga Parthenii Nemeæque ſonent.
Feriantque graves Mœnala planctus.
Poſcite magno Alciden gemitu:
Stratus veſtris ſetiger oris:
Aleſque ſequi iuſſa ſagittas,
Totum pinnis velata diem.
Flete, Argolici; flete, Cleonæ;
Hic terrentem mœnia quondam
Veſtra leonem fregit noſtri
Dextera nati. Date Sitoniæ
Verbera matres, geliduſque ſonet
Planctibus Hebrus. flete Alciden,
Quod non ſtabulis naſcitur infans,
Nec veſtra greges viſcera carpunt.
Fleat Antæo libera tellus,
Et rapta fero plaga Geryone.
Mecum miſeræ plangite gentes.
Audiat ictus vtraque Tethys.
Vos quoque mundi turba citati
Flete Herculeos, numina, caſus.
Veſtrum Alcides cervice meus
Mundum, ſuperi, cœlumque tulit:
Cum ſtelligeri vector Olympi,
Pondere liber ſpiravit Atlas.
Vbi nunc Veſtræ, Iuppiter, arces?
Vbi promiſſi regia mundi?
Nempe Alcides mortalis obit,
Nempe ſepultus. quoties telis
Facibuſque tuis ille pepercit!

Quoties ignis ſpargendus erat?
In me ſaltem iaculare facem,
Semelemque puta. Iamne Elyſias,
O gnate, domus, iam littus habes,
Ad quod populos Natura vocat.
An poſt raptum Styx alta canem
Præcluſit iter;
Teque in primo limine Ditis
Fata morantur? quis nunc Vmbras,
Gnate, tumultus, Maneſque tenet?
Fugit abducta navita cymba,
Et Centauris Theſſala motis
Ferit attonitos vngula Manes?
Angueſque ſuos hydra ſub vndis
Territa merſit? teque labores,
O gnate, timent?
Fallor, fallor, veſana parens;
Nec te Manes Vmbræque timent.
Non Argolico rapta leoni
Fulvâ pellis contecta iubâ
Lævos operit dura lacertos;
Vallantque feri tempora dentes.
Donum pharetræ ceſſere tuæ.
Telaque mittet iam dextra minor.
Vadis inermis, gnate, per vmbras,
Ad quas ſemper manſurus eris.

HERCVLES. ALCMENA.

HER. *Quid me tenentem regna ſiderei poli,*
Cœloque tandem redditum, planctu iubes
Sentire fatum? parce. nam virtus mihi
In aſtra, & ipſos fecit ad ſuperos iter.

ALC. *Vnde ſonus trepidas aures ferit?*
Vnde meas inhibet lacrimas fragor?
Agnoſco, agnoſco, victum eſt Chaos.
A Styge, gnate, redis iterum mihi:
Fractaque non ſemel eſt Mors horrida.
Viciſti rurſus Noctis loca,
Puppis & infernæ vada triſtia.
Pervius eſt Acheron iam languidus,
Et remeare licet ſoli tibi.
Nec te Fata tenent poſt funera.
An tibi præcluſit Pluton iter,
Et pavidus regni metuit ſibi?
Certe ego te vidi flagrantibus
Impoſitum ſilvis, cum pluribus
In cœlum furerent flammæ minis.
Arſiſti certe; verum vltima
Non tenuëre tuas vmbras loca.
Quid timuëre tui manes precor?
Vmbra quoque eſt Diti nimis horrida.
HER. *Non me rigentis ſtagna Cocyti tenent.*
Non puppis vmbras furva tranſvexit meas.
Iam parce, mater, queſtibus. Manes ſemel
Vmbraſque vidi: quidquid in nobis tui
Mortale fuerat, ignis iniectus tulit.
Paterna cœlo pars data eſt, flammis tua.
Proinde planctus pone, quos gnato paret
Genitrix inerti. luctus in turpes eat.
Virtus in aſtra tendit, in mortem timor.
Præſens ab aſtris, mater, Alcides cano;
Pœnas cruentus iam tibi Euryſtheus dabit.
Curru ſuperbum vecta tranſcendes caput.
Me iam decet ſubire cœleſtem plagam.

Inferna

Inferna vinco rursus Alcides loca.
ALC. *Mane parumper. cessit; ex oculis abiit;*
In astra fertur. fallor, an vultus putat
Vidisse gnatum? misera mens incredula est.
Es numen, & te mundus æternus tenet.
Credo, triumphas. regna Thebarum petam,
Novumque templis additum numen canam.

CHORVS.

Numquam Stygias fertur ad umbras
Inclita virtus. vivite fortes;
Nec Lethæos sæva per amnes
Vos fata trahent. sed cum summas
Exiget horas consumpta dies,
Iter ad superos gloria pandet.
Sed tu domitor magne ferarum,
Orbisque simul pacator ades.
Nunc quoque nostras respice terras:
Et si qua novo bellua vultu
Quatiet populos terrore gravi,
Tu fulminibus frange trisulcis.
Fortius ipso genitore tuo
Fulmina mittes.

FINIS.

INCER.

INCERTI AVCTORIS
OCTAVIA.

Perſonæ.

OCTAVIA.
NVTRIX OCTAVIAE.
CHORVS ROMANORVM.
SENECA.
PRAEFECTVS.
POPPEA.
NVTRIX POPPEAE
AGRIPPINA.
NERO.
NVNCIVS.

ACTVS PRIMVS.

OCTAVIA.

IAm vaga cœlo ſidera fulgens
Aurora fugat: ſurgit Titan
Radiante coma, mundoque diem
Reddit clarum.
Eia age, tantis onerata malis,
Repete aſſuetos iam tibi queſtus,
Atque æquoreas vince Alcyonas;
Vince & volucres Pandionias:
Gravior namque his fortuna tua eſt.
Semper genitrix deflenda mihi,
Prima meorum cauſſa malorum,
Triſtes queſtus
Natæ exaudi, ſi quis remanet

Senſus in vmbris. vtinam ante manu
Grandæva ſua mea rupiſſet
Stamina Clotho; tua quam mœrens
Vulnera vidi,
Oraque fœdo ſparſa cruore!
O lux ſemper funeſta mihi!
Tempore ab illo lux eſt tenebris
Inviſa magis.
Tulimus ſæva iuſſa novercæ,
Hoſtilem animum, vultuſque truces.
Illa illa meis triſtis Erinnys
Thalamis Stygios prætulit ignes:
Teque extinxit, miſerande pater,
Modò cui totus parvit orbis
Vltra Oceanum; cuique Britanni
Terga dedêre,
Ducibus noſtris ante ignoti,
Iuriſque ſui.
Coniugis (heu me) pater inſidiis
Oppreſſe iaces; ſervitque domus
Cum prole tua capta tyranno!

NVTRIX OCTAVIAE.

Fulgore primo captus, & facili bono
Fallacis aulæ, quiſquis attonitus ſtupet,
Subito latentis ecce Fortunæ impetu
Modo præpotentem cernat everſam domum,
Stirpemque Claudii, cuius imperio fuit
Subiectus orbis; paruit liber diu
Oceanus, & recepit invitus rates.
En qui Britannis primus impoſuit iugum,
Ignota & ante claſſibus texit freta,

Interqu

Interque gentes barbaras tutus fuit,
Et ſæva maria; coniugis ſcelere occidit,
Mox illa gnati, cuius extinctus iacet
Frater venenis. mœret infelix ſoror,
Eademque coniux. nec graves luctus valet
Ira coacta tegere. crudelis viri
Secreta refugit ſemper, atque odio pari
Ardens mariti, mutua flagrat face.
Animum dolentis noſtra ſolatur fides,
Pietaſque fruſtra. mutat immitis dolor
Conſilia noſtra. nec regi mentis poteſt
Generoſus ardor, ſed malis vires capit.
Heu, quam nefandum proſpicit noſter timor
Scelus. quod vtinam numen avertat Deûm!

OCTAVIA. NVTRIX.

O mea nullis æquanda malis
Fortuna! licet repetam luctus
Electra tuos. tibi mœrenti
Caſum licuit flere parentem;
Scelus vlciſci vindice fratre,
Tua quem pietas hoſti rapuit,
Texitque fides: me crudeli
Sorte parentes raptos prohibet
Lugere timor, fratriſque necem
Deflere vetat, in quo fuerat
Spes vna mihi,
Totque malorum breve ſolamen.
Nunc in luctus ſervata meos,
Magni reſto nominis vmbra.
NVT. *Vox (heu) noſtras perculit aures*
Triſtis alumnæ.

Ceßas thalamis inferre gradus
Tarda ſenectus? OCT. *Excipe noſtras*
Lacrimas, nutrix, teſtis noſtri
Fida doloris. NVT. *Quis te tantis*
Solvet curis, miſeranda, dies?
OCT. *Qui me Stygias mittet ad vmbras.*
NVT. *Omina (quæſo) ſint iſta procul.*
OCT. *Non vota meos tua nunc caſus,*
Sed fata regunt. NVT. *Dabit afflicta*
Meliora Deus tempora mitis.
Tu modò blando vince obſequio
Placata virum. OCT. *Vincam ſævos*
Ante leones, tigreſque truces,
Fera quam ſævi corda tyranni.
Odit genitos ſanguine claro,
Spernit ſuperos hominesque ſimul,
Nec fortunam capit ipſe ſuam,
Quam dedit illi per ſcelus ingens
Infanda parens, licet ingratum
Diræ pudeat munere matris,
Hoc imperium cepiße; licet
Tantum munus morte rependat:
Feret hunc titulum poſt fata tamen
Femina longo ſemper in ævo.
NVT. *Animi retine verba furentis.*
Temere emiſſam comprime vocem.
OCT. *Toleranda quamvis patiar, haud vmquã queant,*
Niſi morte triſti, noſtra finiri mala.
Genitrice cæſa, per ſcelus rapto patre,
Orbata fratre, miſerijs, luctu obruta,
Mœrore preßa, coniugi inviſa, ac meæ
Subiecta famulæ, luce non grata fruor;

Trepi-

Trepidante ſemper corde, non mortis metu,
Sed ſceleris. abſit crimen à fatis meis:
Mori iuvabit. pœna nam gravior nece eſt
Videre tumidos & truces miſeræ mihi
Vultus tyranni, iungere atque hoſti oſculæ,
Timere nutus; cuius obſequium meus
Haud ferre poſſet, fata poſt fratris, dolor,
Scelere interempti; cuius imperium tenet
Et morte gaudet auctor infandæ necis.
Quam ſæpe triſtis vmbra germani meis
Offertur oculis, membra cum ſolvit quies,
Et feſſa fletu lumina oppreſſit ſopor!
Modò facibus atris armat infirmas manus,
Oculoſque, & ora fratris infeſtus petit:
Modò trepidus idem refugit in thalamos meos.
Perſequitur hoſtis, atque inhærenti mihi,
Violentus enſem per latus noſtrum rapit.
Tunc tremor, & ingens excutit ſomnos pavor,
Renovatque luctus & metus miſeræ mihi.
Adice his ſuperbam pellicem, noſtræ domus
Spoliis nitentem; cuius in munus ſuam
Stygiæ parentem natus impoſuit rati;
Quam dira poſt naufragia ſuperato mari
Ferro interemit, ſævior pelagi fretis.
Quæ ſpes ſalutis poſt nefas tantum mihi?
Inimica, victrix, imminet thalamis meis.
Odioque noſtri flagrat, & pretium ſtupri
Iuſtæ maritum coniugis captat caput.
Emergere vndis, & fer auxilium tuæ
Gnatæ invocanti, genitor; aut Stygios ſinus
Tellure rupta pande, quo præceps ferar.
NVT. *Fruſtra parentis invocas manes tui,*

Miſeranda; fruſtra. nulla cui prolis ſuæ
Manet inter vmbras cura: qui gnato ſuo
Præferre potuit ſanguine alieno ſatum,
Genitamque fratris coniugem captus ſibi
Toris nefandis flebili iunxit face.
Hinc orta ſeries facinorum, cædes, doli,
Regni cupido, ſanguinis diri ſitis;
Mactata ſoceri concidit thalamis gener
Victima, tuis ne fieret hymenæis potens.
Prô facinus ingens! feminæ eſt munus datus
Sillanus, & cruore fœdavit ſuo
Patrios penates, criminis ficti reus.
Intravit hoſtis (hei mihi) captam domum
Dolis novercæ, Principis factus gener,
Idemque gnatus, invenis infandi ingenii
Capaxque ſcelerum, dira cui genitrix facem
Accendit, & te iunxit invitam metu.
Tantoque victrix facta ſucceſſu ferox,
Auſa imminere eſt orbis imperio ſacri.
Quis tot referre facinorum formas poteſt,
Et ſpes nefandas feminæ, & blandos dolos
Regnum petentis per gradum ſcelerum omnium?
Tunc ſancta Pietas extulit trepidos gradus,
Vacuamque Erinnys ſæva funeſto pede
Intravit aulam; polluit Stygia face
Sacros penates; iura Naturæ furens
Faſque omne rupit; miſcuit coniux viro
Venena ſæva; cecidit atque eadem ſui
Mox ſcelere gnati. tu quoque extinctus iaces
Deflende nobis ſemper, infelix puer,
Modò ſidus orbis, columen Auguſtæ domus,
Britannice, (heu me) nunc levis tantum cinis,

Et triſtis vmbra; ſæva cui lacrimas dedit
Etiam noverca, cum rogis artus tuos
Dedit cremandos, membraque & vultus Deo
Similes volanti, flamma fervens abſtulit.
OCT. *Extinguat & me, ne manu noſtra cadat.*
NVT. *Natura vires non dedit tantas tibi.*
OCT. *Dolor, ira, mœror, miſeria, luctus, dabunt.*
NVT. *Vince obſequendo potius immitem virum.*
OCT. *Vt fratrem ademptum ſcelere reſtituat mihi?*
NVT. *Incolumis vt ſis ipſa, labentem vt domum*
Genitoris olim ſobole reſtituas tua.
OCT. *Et ſpectat aliam Principis ſobolem domus:*
Me dira miſeri fata germani trahunt.
NVT. *Confirmet animum civium tantus favor.*
OC. *Solatur iſte noſtra, non relevat, mala.*
NV. *Vis magna populi eſt.* OC. *Principis maior tamẽ.*
NV. *Reſpiciet ipſe conjugem.* OC. *pellex vetat.*
NV. *Inviſa cunctis nempe.* OC. *ſed cara eſt viro.*
NV. *Nondũ vxor eſt.* OC. *iam fiet, & genitrix ſimul.*
NV. *Iuvenilis ardor impetu primo furit;*
Langueſcit idem facile, nec durat diu
In Venere turpi, ceu levis flammæ vapos.
Amor perennis coniugis caſtæ manet.
Violare prima quæ toros auſa eſt tuos,
Animumque domini famula poſſedit diu,
Iam metuet eadem, nempe prælatam ſibi
Subiecta & humilis: atque monumenta exſtruit,
Quibus timorem faſſa teſtatur ſuum.
Et hanc levis fallaxque deſtituet deus
Volucer Cupido. ſit licet formâ eminens,
Opibus ſuperba; gaudium capiet breve.
Paſſa eſt ſimiles ipſa dolores

Regina deûm, cum ſe formas
Vertit in omnes dominus cœli,
Divûmque pater:
Et modò pinnas ſumpſit oloris;
Modò Sidonij cornua tauri;
Aureus idem
Fluxit in imbri. fulgent cœlo
Sidera Ledæ. patrio reſidet
Bacchus Olympo. Deus Alcides
Poſſidet Heben, nec Iunonis
Iam timet iras; cuius gener eſt,
Qui fuit hoſtis. vicit ſapiens
Tamen obſequium coniugis altæ,
Preßusque dolor. ſola Tonantem
Tenet æthereo ſecura toro
Maxima Iuno; nec mortali
Captus forma deſerit altam
Iuppiter aulam. tu quoque terris
Altera Iuno, ſoror Auguſti,
Coniuxque, graves vince dolores.
OCT. *Iungentur ante ſæva ſideribus freta,*
Et ignis vndæ, Tartaro triſti polus,
Lux alma tenebris, roſcidæ noctì dies:
Quam cum ſceleſti coniugis mente impiâ
Mens noſtra; ſemper fratris extinctì memor,
Vtinam nefandi Principis dirum caput
Obruere flammis Cœlitum rector paret,
Qui ſæpe terras fulmine infeſto quatit,
Mentesque noſtras ignibus terret ſacris,
Novisque monſtris! vidimus cœlo iubar
Ardens, cometam pandere infeſtam facem,
Qua planſtra tardus noctis æterna vice

Regit

*Regit Bootes, * frigido Arctoo rigens,* * frigore
En ipse diro spiritu sævi ducis
Polluitur æther, gentibus clades novas
*Minantur astra, * quas regit dux impius.* *Al. quæ
Non tam ferum Typhona neglecto Iove
Irata tellus edidit quondam parens.
Hæc gravior illo pestis. hic hostis deûm
Hominumque, templis expulit superos suis;
Civesque patriâ; spiritum fratri abstulit;
Hausit cruorem matris. & lucem videt,
Fruiturque vita, noxiamque animam trahit?
Prô, summe genitor, tela cur frustra iacis
Invicta toties temere regali manu?
In tam nocentem dextra cur cessat tua?
Utinam suorum facinorum pœnas luat.
** Nero, ipse Divo Domitio genitus patre,* * Genere insitivo
Orbis tyrannus, quem premit turpi iugo,
Morumque vitiis nomen Augustum inquinat.
NVT. *Indignus ille (fateor) est thalamis tuis:*
Sed cede fatis atque fortunæ tuæ,
Alumna, quæso; neve violenti move
Iram mariti. forsitan vindex deus
Existet aliquis; lætus & veniet dies.
OCT. *Gravi deorum nostra iam pridem domus*
Urgetur ira: prima quam pressit Venus,
Furore miseræ dira genitricis meæ.
Quæ nupta demens nupsit incesta face,
Oblita nostri, coniugis, legum immemor;
Illo soluta crine, succincta anguibus,
Ultrix Erinnys venit ad Stygios toros,
Raptasque thalamis sanguine extinxit faces:
Incendit ira Principis pectus truci

Cadem in nefandam. cecidit infelix parens
(Heu) noſtra ferro, meque perpetuo obruit
*Extincta luctu. coniugem * traxit ſuum* * Al. truſit.
Natumque ad vmbras. prodidit lapſam domum.
NVT. *Renouare luctus parce cum fletu pios,*
Manes parentis neve ſollicita tuæ,
Graves furoris quæ ſui pœnas dedit.

CHORVS.

Quæ fama modò venit ad aures,
Vtinam falſo credita, perdat
Fruſtra toties iactata fidem!
Nec noua noſtri coniux thalamos
Principis intret, teneatque ſuos
Nupta penates Claudia proles:
Edat partu pignora pacis,
Qua tranquillus gaudeat orbis,
Seruetque decus Roma æternum.
Fratris thalamos ſortita tenet
Maxima Iuno. ſoror Auguſti
Sociata toris, cur à patria
Pellitur aula? ſancta quid illi
Prodeſt pietas, Diuuſque pater?
[Quid virginitas, caſtuſque pudor?]
Nos quoque noſtri ſumus immemores
Poſt fata ducis, cuius prodimus
Stirpem ſæuo ſuadente metu.
Vera priorum virtus quondam
Romana fuit, verumque genus
Martis in illis ſanguiſque viris.
Illi reges hac expulerunt
Vrbe ſuperbos; vltique tuos

Sunt

Sunt bene manes, virgo, dextra
Cæſa parentis, ne ſervitium
*Paterere grave, * aut improba ferret* *Al. &.
Præmia victrix dira libido.
Te quoque bellum triſte ſecutum eſt,
Mactata tua miſeranda manu
Nata Lucretij; ſtuprum ſævi
Paſſa tyranni. dedit infandi
Sceleris pœnas cum Tarquinio
Tullia coniux; quæ per cæſi
Membra parentis ſævos egit
Impia currus, laceroque ſeni
Violenta rogos nata negavit.
**Hoc quoque noſtra videre nefas* * Al. Hæc quoque
Secula; magnum cum Tyrrhenum nati v. n. Scelera.
Rate ferali Princeps captam
Fraude parentem miſit in æquor.
Properant placidos linquere portus
Iuſſi nautæ;
Reſonant remis pulſata freta;
Fertur in altum provecta ratis.
Quæ reſoluto robore labens
Preſſa debiſcit, ſorbetque mare.
Tollitur ingens
Clamor ad aſtra cum femineo
Miſtus planctu. mors ante oculos
Dira vagatur. quærit leti
Sibi quiſque fugam:
Alij laceræ puppis tabulis
Hærent nudi, fluctusque ſecant:
Repetunt alij littora nantes:
Multos mergunt fata profundo:

Scindit

Scindit veſtes Auguſta ſuas,
Laceratque comas, rigat & mœſtis
Fletibus ora.
Poſtquam ſpes eſt nulla ſalutis,
Ardens ira, iam victa malis ;
Hæc, exclamat, mihi pro tanto
Munere reddis præmia, gnate ?
Hac ſum, fateor, digna carina,
Quæ te genui, quæ tibi lucem
Atque imperium nomenque dedi
Cæſaris amens. exere vultus
Acheronte tuos, pœniſque meis
Paſcere coniux : ego cauſſa tuæ,
Miſerande, necis : gnatoque tuo
Funeris auctor :
En, vt merui, ferar ad manes
Inhumatá tuos,
Obruta ſævis æquoris vndis.
Feriunt fluctus ora loquentis.
Ruit in pelagus, rurſumque ſalo
Preſſa reſurgit. pellit palmis
Cogente metu fata, & cedit
Feſſa labori. manſit tacitis
In pectoribus ſpreta triſti
Iam morte fides. multi dominæ
Ferre auxilium pelago fractis
Viribus audent. brachia quamvis
Lenta trahentem, voce hortantur,
Manibuſque levant. quid tibi ſævæ
Fugiſſe maris profuit vndas ?
Ferro es gnati moritura tui:
Cuius facimus vix poſteritas,

Tarde

Mundique motus, Solis alternas vices,
Orbemque Phœbes, aſtra quem cingunt vaga,
Lateque fulgens ætheris magni decus!
Qui ſi ſeneſcit, tantus in cœcum chaos
Caſurus iterum, nunc adeſt mundo dies
Supremus ille, qui premat genus impium
Cœli ruina; rurſus vt ſtirpem novam
Generet, renaſcens melior: vt quondam tulit
Iuvenis tenente regna Saturno poli.
Tunc illa virgo, numinis magni dea,
Iuſtitia, cœlo miſſa cum ſancta Fide,
Terras regebat mitis. humanum genus
Non bella norat; non tubæ fremitus truces;
Non arma gentes; cingere aſſuerant ſuas
Muris nec vrbes. pervium cunctis iter.
Communis vſus omnium rerum fuit.
Et ipſa tellus læta fecundos ſinus
Pandebat vltro, tam piis felix parens
Et tuta alumnis. alia ſed ſoboles minus
Conſpecta mitis. tertium ſollers genus
Novas ad artes extitit; ſanctum tamen
Mox inquietum, quod ſequi curſu feras
Auderet acres; fluctibus tectos graves
Extrahere piſces rete; vel calamo levi
Decipere volucres; premere ſubiectos iugo
Tauros feroces; vulnere immunem prius
Sulcare terram, læſa quæ fruges ſuas
** Interius alte condidit ſacro ſinu.* * Al. Interior
Sed in parentis viſcera intravit ſuæ
Deterior ætas; eruit ferrum grave,
Aurumque; ſævas mox & armavit manus;
Partita fines regna conſtituit, novas

Exſtru-

Tarde ſemper credula, credet.
Furit, ereptam pelagoque dolet
Vivere matrem
Impius, ingens geminatque nefas.
Ruit in miſeræ fata parentis,
Patiturque moram ſceleris nullam.
Miſſus peragit iuſſa ſatelles;
Reſerat dominæ pectora ferro:
Cædis moriens illa miniſtrum
Rogat infelix, vtero dirum
Condat vt enſem.
Hic eſt, hic eſt fodiendus, ait,
Ferro, monſtrum qui tale tulit.
Poſt hanc vocem cum ſupremo
Miſtam gemitu
Animam tandem per fera triſtem
Vulnera reddit.

ACTVS SECVNDVS.

SENECA.

QVid me, potens Fortuna, fallaci mihi
Blandita vultu, ſorte contentum mea
Alte extuliſti, graviùs vt ruerem editâ
Receptus arce, totque proſpicerem metus?
Melius latebam procul ab invidiæ malis
Remotus inter Corſici rupes maris:
Vbi liber animus, & ſui iuris, mihi
Semper vacabat, ſtudia recolenti mea.
O quam iuvabat (quo nihil maius parens
Natura genuit, operis immenſi artifex)
Cœlum intueri, Solis & curſus ſacros,

Mundi-

Exstruxit vrbes; tecta defendit suis
Aliena telis, aut petijt prædæ imminens.
Neglecta terras fugit, & mores feros,
Hominum cruenta cæde pollutas manus,
Astræa virgo, siderum magnum decus.
Cupido belli crevit, atque auri fames.
Totum per orbem maximum exortum est malum,
Luxuria, pestis blanda; cui vires dedit
Roburque longum tempus, atque error gravis.
Collecta vitia per tot ætates diu
In nos redundant. seculo premimur gravi,
Quo scelera regnant. sævit impietas furens.
Turpi libido Venere dominatur potens.
Luxuria victrix orbis immensas opes
Iam pridem avaris manibus, vt perdat, rapit.
Sed ecce gressu fertur attonito Nero,
Trucique vultu. quid ferat, mente horreo.

NERO. PRAEFECTVS. SENECA.

NER. *Perage imperata. mitte, qui Plauti mihi*
Sullæque cæsi referat abscissum caput.
PRÆ. *Iussa haud morabor. castra confestim petam.*
SEN. *Nihil in propinquos temere constitui decet.*
NE. **Iusto esse facile est, cui vacat pectus meum.* *Iustum
SEN. *Magnum timoris remedium clementia est.*
NER. *Extinguere hostem, maxima est virtus ducis.*
SEN. *Servare cives, maior est patriæ patri.*
NER. *Præcipere mitem convenit pueris senem.*
SEN. *Regenda magis est fervida adolescentia.*
NER. *Ætate in hac satis esse consilii reor.*
SEN. *Vt facta superi comprobent semper tua.*
NER. *Stulte verebor, * ipse cum faciam, deos.* *Al. esse,

SEN.

SEN. *Hoc plus verere, quod licet tantum tibi.*
NER. *Fortuna nostra cuncta permittit mihi.*
SEN. *Crede obsequenti parciùs. levis est dea.*
NER. *Inertis est, nescire quid liceat sibi.*
SEN. *Id facere, laus est, quod decet, non, quod licet.*
NER. *Calcat iacentem vulgus.* SEN. *invisum opprimet.*
NER. *Ferrum tuetur Principem.* SEN. *melius fides.*
NER. *Decet timeri Cæsarem.* SEN. *at plus diligi.*
NE. *Metuãt necesse est.* SE. *quidquid exprimitur, grave*
NER. *Iussisque nostris pareant.* SEN. *iusta impera.* (est.
NER. *Statuam ipse.* SEN. *quæ consensus efficiat rata.*
NE. * *Despectus ensis faciet.* SE. *Hoc absit nefas.* *Detectus
NER. *An patiar vltra, sanguinem nostrum peti*
* *Invictus, & contemptus vt subito opprimar?* *Al. Invisus
Exilia non fregêre submotos procul
Plautum atque Sullam; pertinax quorum furor
Armat ministros sceleris in cædem meam.
Absentium cum maneat etiam ingens favor
In vrbe nostra, qui fovet spes exulum;
Tollantur hostes ense suspecti mihi.
*Invisa coniux pereat, * & carum sibi* * Al. vi
Fratrem sequatur. quidquid excelsum est, cadat.
SEN. *Pulchrum eminere est inter illustres viros;*
Consulere patriæ; parcere afflictis; ferâ
Cæde abstinere; tempus atque iræ dare,
Orbi quietem, seculo pacem suo.
Hæc summa virtus. petitur hac cœlum via.
Sic ille patriæ primus Augustus parens
Complexus astra est, colitur & templis Deus.
Illum tamen Fortuna iactavit diu
Terra marique per graves belli vices;
Hostes parentis donec oppressit sui.

Tibi

Tibi numen incruenta ſummittit ſuum;
Et dedit habenas imperij facili manu;
Nutuque, terras, maria, ſubiecit tuo.
Invidia triſtis victa conſenſu pio
Ceſſit. * *ſenatus equitis accenſus favor* * ſecutus
Plebiſque votis, atque iudicium patrum eſt.
Tu pacis auctor, generis humani arbiter
Electus, orbem tu ſacra ſpecie regis
Patriæ parens: quod nomen, vt ſerves, petit,
Suoſque cives Roma commendat tibi.
NER. *Munus Deorum eſt, ipſa quod ſervit mihi*
Roma, & ſenatus; quodque ab invitis preces,
Humileſque voces exprimit noſtri metus.
Servare cives Principi & patriæ graves
Claro tumentes genere, quæ demenia eſt,
Cum liceat vna voce ſuſpectos ſibi
Mori iubere? Brutus in cædem ducis,
A quo ſalutem tulerat, armavit manus.
Invictus acie, gentium domitor, Iovi
Æquatus alios ſæpe per honorum gradus,
Cæſar nefando civium ſcelere occidit.
Quantum cruoris Roma * *tunc vidit ſui,* *Al. non
Lacerata toties! ille, qui meruit pia
Virtute cœlum, Divus Auguſtus, viros
Quot interemit nobiles, iuvenes, ſenes,
Sparſos per orbem, cum ſuos mortis metu
Fugerent penates, & trium ferrum ducum
Tabula notante deditos triſti neci?
Expoſita roſtris capita cæſorum patres
Vidêre mœſti: flere nec licuit ſuos,
Non gemere, dira tabe polluto foro,
Stillante ſanie per putres vultus gravi.

Nec finis heic cruoris aut cædis ſtetit.
Pavêre volucres & feras ſævas diu
Triſtes Philippi. hauſit & Siculum mare
Claſſes, viroſque ſæpe cedentes. ſuis
Concuſſus orbis viribus. Magnus ducum
Superatus acie, puppibus Nilum petit
Fugæ paratis, ipſe periturus brevi.
Hauſit cruorem inceſta Romani ducis
Ægyptus iterum, nunc leves vmbras tegit.
Illic ſepultum eſt impie geſtum diu
Civile bellum. condidit tandem ſuos
Iam feſſus enſes victor, hebetatos feris
*Vulneribus, & continuit imperium * metu.* *Al. metus.
Armis, fideque militis tutus fuit.
Pietate gnati factus eximia Deus,
Poſt fata conſecratus, & templis datus.
Nos quoque manebunt aſtra, ſi ſævo prior
Enſe occuparo quidquid inſeſtum eſt mihi,
Dignaque noſtram ſobole fundaro domum.
SEN. *Implebit aulam ſtirpe cœleſti tuam*
Generata Divo, Claudiæ gentis decus;
Sortita fratris, more Iunonis, toros.
NER. *Inceſta genitrix detrahit generi fidem,*
Animuſque nunquam coniugis iunctus mihi.
SEN. *Teneris in annis haud ſatis clara eſt fides,*
Pudore victus cum tegit flammas amor.
NER. *Hoc equidem & ipſe credidi fruſtra diu,*
Manifeſta quamvis pectore inſociabili,
Vultuque ſigna proderent odium mei.
Tandem quod ardens ſtatuit vltiſci dolor:
Dignamque thalamis coniugem inveni meis
Genere atque forma, victa cui cedat Venus,
Joviſque coniux, & ferox armis Dea,

SEN. *Probitas, fideſque coniugis, mores, pudor,*
Placeant marito. ſola perpetuo manent,
Subiecta nulli, mentis atque animi bona.
Florem decoris ſinguli carpunt dies.
NER. *Omnes in vnam contulit laudes Deus,*
Talemque naſci Fata voluerunt mihi.
SEN. *Recedat à te, temere ne credas, amor.*
NER. *Quem ſubmovere fulminis dominus nequit,*
Cœli tyrannum, ſæva qui penetrat freta,
Ditiſque regna, detrahit Superos polo.
SEN. *Volucrem eſſe Amorem fingit immitem deum*
Mortalis error, armat & telis manus,
Arcuſque ſacros miſcuit ſæva face;
Genitumque credit Venere, Vulcano ſatum.
Vis magna mentis, blandus atque animi calor
Amor eſt; inventa gignitur; luxu, otio
Nutritur inter læta Fortunæ bona.
Quem ſi fovere atque alere deſiſtas, cadit,
Brevique vires perdit extinctus ſuas.
NER. *Hanc eſſe vitæ maximam cauſam reor,*
Per quam voluptas oritur. interitu caret,
Cum procreetur ſemper humanum genus
Amore grato, qui truces mulcet feras.
Hic mihi iugales præferat tedas deus,
* *Iugetque noſtris igne Poppeam toris.* *Al. Iungatque.
SEN. *Vix ſuſtinere poſſet hos thalamos dolor*
Videre populi: ſancta nec pietas ſinat!
NER. *Prohibebor vnus facere, quod cunctis licet?*
SEN. *Maiora populus ſemper à ſummo exigit.*
NER. *Libet experiri, viribus fractus meis*
*An cedat animis temere conceptus * favor.* * Al. *furor.*
SEN. *Obſequere potius civibus placidus tuis.*
NER. *Male imperatur, cum regit vulgus duces.*

SEN. *Nihil impetrare cum valet, iuſte dolet.*
NER. *Exprimere ius eſt, ferre quod nequeunt preces.*
SEN. *Negare durum eſt.* NER. *Principem cogi nefas.*
SEN. *Remittat ipſe.* NER. *fama ſed victum feret.*
SEN. *Levis atque vana.* NER. *ſi licet, multos notat.*
SEN. *Excelſa metuit.* NER. *non minus carpit tamen.*
SEN. *Facile opprimetur. merita te Divi patris,*
Ætaſque frangat coniugis, probitas, pudor.
NER. *Deſiſte tandem, iam gravis nimium mihi,*
Inſtare. liceat facere quod Seneca improbat.
Et ipſe populi vota iampridem moror,
Cum portet vtero pignus, & partem mei.
Quin deſtinamus proximam thalamis diem?

ACTVS TERTIVS.

AGRIPPINA.

TEllure rupta Tartaro greſſum extuli,
Stygiam cruenta præferens dextra facem
Thalamis ſceleſtis. nubat his flammis meo
Poppea gnato iuncta, quas vindex manus
Dolorque matris vertet ad triſtes rogos.
Manet inter vmbras impiæ cædis mihi
Semper memoria, manibus noſtris gravis
Adhuc inultis, reddita & meritis meis
Funeſta merces puppis, & pretium imperij
Nox illa, qua naufragia deflevi mea.
Comitum necem, natique crudelis nefas
Deflere, votum fuerat, haud tempus datum eſt.
Lacrimis, ſed ingens ſcelere geminavit nefas
Perempta ferro, fœda vulneribus, ſacros
Intra penates ſpiritum effudi gravem
Erepta pelago. ſanguine extinxi meo
Nec odia gnati. ſævit in nomen ferus

Matris

Matris tyrannus. obrui meritum cupit.
Simulacra, titulos deſtruit, mortis metu,
Totum per orbem, quem dedit pœnam in meam
Puero regendum noſter infelix amor.
Extinctus vmbras agitat infeſtus meas
Flammiſque vultus noxios coniux petit,
Inſtat, minatur, imputat fatum mihi
Tumulumque gnati. poſcit auctorem necis.
Iam, parce, dabitur. tempus haud longum peto.
Vltrix Erinnys impio dignum parat
Letum tyranno; verbera, & turpem fugam,
Pœnaſque queis & Tantali vincat ſitim,
Dirum laborem Siſyphi, Tityi alitem,
Ixioniſque membra rapientem rotam.
Licet exſtruat marmoribus, atque auro tegat
Superbus aulam; limen armatæ ducis
Servent cohortes; mittat immenſas opes
Exhauſtus orbis; ſupplices dextram petant
Parthi cruentam; regna, divitias, ferant:
Veniet dies tempuſque, quo reddat ſuis
Animam nocentem ſceleribus, iugulum hoſtibus,
Deſertus, & deſtructus, & cunctis egens.
Heu, quo labor, quo vota ceciderunt mea!
Quo te furor provexit attonitum tuus,
Et fata, gnate? cedat vt tantis malis
Genitricis ira, quæ tuo ſcelere occidit!
Vtinam, antequam te parvulum in lucem edidi
Aluique, ſævæ noſtra laceraſſent feræ
Viſcera! ſine vllo ſcelere, ſine ſenſu innocens
** Meus occidiſſes: iunctus atq; hærens mihi,* *Al. Meum
Semper quietam cerneres ſedem Inferûm,
Proavos, patremque, nominis magni viros.
Quos nunc pudor, luctuſque perpetuus manet,

Ex te nefande, meque, quæ talem tuli.
Quid tegere ceſſo Tartaro vultus meos,
Noverca, coniux, mater infelix meis?

OCTAVIA. CHORVS.

OCT. *Parcite lacrimis vrbis feſto*
Lætoque die; ne tantus amor,
Noſtrique favor Principis acres
Suſcitet iras, vobisque ego ſim
Cauſſa malorum. non hoc primum
Pectora vulnus mea ſenſerunt.
Graviora tuli. dabit hic noſtris
Finem curis vel morte dies.
Non ego ſævi cernere cogar
Coniugis ora.
Non inviſos intrare mihi
Thalamos famula. ſoror Auguſti,
Non vxor, ero.
Abſint tantum triſtes pœnæ,
Letique metus, ſocerûm diri* Al. ſcelerum.
Miſeranda viri potes hæc demens
Sperare memor? hos ad thalamos
Servata diu, victima tandem
Funeſta cades. ſed quid patrios
Sepe penates reſpicis vdis
Confuſa genis? propera tectis
Efferre gradus: linque cruentam
Principis aulam.
CHO. *En illuxit ſuſpecta diu*
Fama toties iactata dies!
Ceſſit thalamis Claudia diri
Pulſa Neronis,
Quos iam victrix Poppea tenet,

Ceſſat

Ceſſat pietas dum noſtra, gravi
Compreſſa metu, ſegniſque dolor.
Vbi Romani vis eſt populi?
Fregit claros quæ ſæpe duces;
Dedit invictæ leges patriæ,
Faſces dignis civibus olim;
Iuſſit bellum, pacemque; feras
Gentes domuit; captos reges
Carcere cluſit? gravis en oculis
Vndique noſtris iam Poppeæ
Fulget imago iuncta Neroni:
** Affigat humo violenta manus* **Al. affligat.*
Similes nimium vultus dominæ:
Ipſamque toris detrahat altis:
Petat infelix mox & flammis
Teliſque feri Principis aulam.

ACTVS QVARTVS.

POPPEA, ET EIVS NVTRIX.

NVN. *QVo trepida greſſum coniugis thalamis tui*
Effers, alumna? quodve ſecretum petis
Turbata vultu? cur genæ fletu madent?
Certe petitus precibus & votis dies
Noſtris refulſit. Cæſari iuncta es tuo
Teda iugali. quem tuus cepit decor,
Et culpa Senecæ; tradidit vinctum tibi
Genitrix amoris maximum numen Venus.
O qualis, altos quanta preſſiſti toros
Reſidens in aula! vidit attonitus tuam
Formam ſenatus, tura cum Superis dares,
Sacraſque grato ſpargeres aras mero,
Velata ſummum flammeo tenui caput.

Et ipſe lateri iunctus atque hærens tuo
Sublimis inter civium læta omina
Inceſſit; habitu atque ore lætitiam gerens
Princeps ſuperbo. talis emerſam freto
Spumante Peleus coniugem accepit Thetin.
Quorum toros celebraſſe Cœleſtes ferunt.
Pelagique numen omne conſenſu pari.
Quæ ſubita vultus cauſa mutavit tuos?
Quid pallor iſte, quid ferant lacrimæ, doce:
POP. *Confuſa triſti proximæ noctis metu*
Viſuque, nutrix, mente turbata feror,
Defecta ſenſus. læta nam poſtquam dies
Sideribus atris ceſſit, & nocti polus,
Inter Neronis iuncta complexus mei
Somno reſalvor; nec diu placida frui
Quiete licuit: viſa nam thalamos meos
Celebrare turba eſt mœſta; reſolutis comis
Matres Latinæ flebiles planctus dabant;
Inter tubarum ſæpe terribilem ſonum
Sparſam cruore coniugis genitrix mei
Vultu minaci ſæva quatiebat facem:
Quam dum ſequor, coacta præſenti metu,
Diducta ſubitò patuit ingenti mihi
Tellus hiatu: læta quo præceps, toros
Cerno iugales pariter & miror meos,
In queis reſedi feſſa. venientem intuor
Comitante turba coniugem quondam meum,
Gnatumque. properat petere complexus meos
Criſpinus, intermiſſa libare oſcula.
Irrumpit intra tecta cum trepidus mea,* *Al. Irrupit illa tum
Enſemque iugulo condidit ſævum Nero.
Tandem quietem magnus excuſſit timor:
Quatit ora & artus horridus noſtros tremor,

Pulſatque

Pulſatque pectus: continet vocem timor,
Quam nunc fides pietaſque produxit tua.
Heu, quid minantur Inferûm Manes mihi,
Aut quem cruorem coniugis vidi mei?
NVT. *Quæcumque mentis agitat infeſtus vigor,*
Ea per quietem ſacer & arcanus refert
Veloxque ſenſus. coniugem, thalamos, rogos,
Vidiſſe te miraris, amplexu novi
Hærens mariti? ſed movent læto die
Pulſata palmis pectora, & fuſæ comæ.
Octaviæ diſcidia planxerunt ſacros
Intra penates fratris, & patrium larem.
Fax illa, quam ſecuta es, Auguſtæ manu
Prælata, clarum nomen invidia tibi
Partum ominatur. Inferûm ſedes toros
Stabiles futuros ſpondet æterna domus.
Iugulo quod enſem condidi Princeps tuus;
Bella haud movebit, pace ſed ferrum teget.
Recollige animum. recipe lætitiam, precor,
Timore pulſo. redde te thalamis tuis.
POP. *Delubra & aras petere conſtitui ſacras,*
Cæſis litare victimis numen Deûm,
Ut expientur noctis & ſomni minæ,
Terrorque in hoſtes redeat attonitus meos.
Et vota pro me ſuſcipe, & precibus piis
Superos adora, manet vt præſens metus.

CHORVS.

Si vera loquax fama Tonantis
Furta & gratos narrat amores;
Quem modò Ledæ preſſiſſe ſinum
Tectum plumis pinnisque ferunt;
Modò per fluctus raptam Europen

Taurum tergo portasse trucem;
Quæ regit, & nunc deseret astra,
Petet amplexus, Poppea, tuos;
Quos & Ledæ præferre potest:
Et tibi quondam, cui miranti
Fulvo Danaë fluxit in auro.
Formam Sparte iactet alumnæ,
Licet, & Phrygius præmia pastor;
Vincet vultus hæc Tyndaridos,
Qui moverunt horrida bella,
Phrygiæque solo regna dedêre.
Sed quis gressu ruit attonito?
Aut quid pectore portat anhelo?

NVNCIVS. CHORVS.

NVN. *Quicumque tectis miles exsultat ducis,*
Defendat aulam, cui furor populi imminet.
Trepidi cohortes, ecce, Præfecti trahunt
Præsidia ad vrbis; victa nec cedit metu
Concepta rabies temere; sed vires capit.
CHO. *Quis iste mentes agitat attonitus furor?*
NVN. *Octaviæ furore perculsa agmina,*
Et efferata per nefas ingens ruunt.
CHO. *Quid ausa facere, quove consilio, doce.*
NVN. *Reddere penates Claudiæ Divi parent,*
Torosque fratris, debitam partem imperij.
CHO. *Quos iam tenet Poppea concordi fide?*
NVN. *Hic vrit animos pertinax nimium furor,*
Et in furorem temere præcipites agit.
Quæcumque claro marmore effigies stetit,
Aut ære fulgens ora Poppeæ gerens,
Afflicta vulgi manibus, & sævo iacet
Eversa ferro. membra per partes trahunt

Deducta

Deducta laqueis, obruunt turpi diu
Calcata cœno. verba conveniunt feris
Immista factis, quæ timor recipit meus.
Sepire flammis Principis sedem parant,
Populi nisi iræ coniugem reddat novam,
Reddat penates Claudiæ victus suos.
Vt noscat ipse civium motus, mea
Voce, haud morabor iussa Præfecti exsequi.
CHO. *Quid fera frustra bella movetis?*
Invicta gerit tela Cupido,
Flammis vestros obruet ignes:
Queîs extinxit fulmina sæpe,
Captumque Iovem cœlo traxit.
Læsi tristes dabitis pœnas
Sanguine vestro. non est patiens
Fervidus iræ facilisque regi.
Ille ferocem iussit Achillem
Pulsare lyram; fregit Danaos;
Fregit Atridem; regna evertit
Priami; claras diruit vrbes.
Et nunc animus, quid ferat, horret,
Vis immitis violenta dei.

ACTVS QVINTVS.

NERO. PRÆFECTVS.

NER. *O Lenta nimium militis nostri manus,*
Et ira patiens post nefas tantum mea,
Quod non cruor civilis accensas faces
Extinguit in nos; cæde nec populi madet
** Funerea Roma, quæ viros tales tulit!* *Al. Funesta.
Admissa sed iam morte puniri parum est,
Graviora meruit impium plebis scelus.

Et

Et illa, cui me civium ſubicit furor,
Suſpecta coniux & ſoror ſemper mihi,
Tandem dolori ſpiritum reddat meo,
Iramque noſtram ſanguine extinguat ſuo.
Mox tecta flammis concidant vrbis meis.
Ignes, ruina, noxium populum premant,
Turpiſque egeſtas, ſæva cum luctu fames.
Exſultat ingens ſeculi noſtri bonis
Corrupta turba: nec capit clementiam
Ingrata noſtram, ferre nec pacem poteſt,
Sed inquieta rapitur. hinc audaciâ,
Hinc temeritate fertur in præceps ſuâ.
Malis domanda eſt, & gravi ſemper iugo
Premenda, ne quid ſimile tentare audeat,
Contraque ſanctos coniugis vultus mea
Attollere oculos. fracta per pœnas metu
Parere diſcet Principis nutu ſui.
Sed adeſſe cerno, rara quem pietas virum
Fideſque caſtris nota præpoſuit meis.
PRÆ. *Populi furorem cæde paucorum, dius*
Qui reſtiterunt temere, compreſſum affero.
NER. *Et hoc ſat eſt? ſic miles audiſti ducem?*
Compeſcis? hæc vindicta debetur mihi?
PRÆ. *Cecidêre motus impii ferro duces.*
NER. *Quid! illa turba, petere quæ flammis meos*
Auſa eſt penates, Principi legem dare,
*Abſtrahere noſtris coniugem * caram toris,* *Al. tanquam f. famam.
Violare, quantum licuit, inceſta manu
Et voce dira, debita pœna vacat?
PRÆ. *Pœnam dolor conſtituet in cives tuos?*
NER. *Conſtituet, ætas nulla quam fama eximat.*
PRÆ. *Quam temperet non ira, non noſter timor?*
NER. *Iram expiabit prima quæ meruit meam.*

PRÆ.

PRÆ. *Quam poſcat, ede; noſtra ne parcat manus.*
NER. *Cædem ſororis poſcit, & dirum caput.*
PRÆ. *Horrore victum trepidus adſtrinxit rigor.*
NER. *Parere dubitas?* PRÆ. *Cur meam damnas fidem?*
NER. *Quod parcis hoſti.* PRÆ. *Femina hoc nomẽ capit?*
NER. *Si ſcelera cepit.* PRÆ. *Eſtne qui ſontem arguat?*
NER. *Populi furor.* PRÆ. *Quis regere dementes valet?*
NER. *Qui concitare potuit.** PRÆ. *Haud quẽquã reor.*
NER. *Mulier, dedit natura cui pronũ malo*
Animũ, ad nocendũ pectus inſtruxit dolis;
Sed vim negavit, vt ne inexpugnabilis
Eſſet, ſed ægras frangeret vires timor,
** Vel pœna; quæ tam ſera damnatã premit,*
Diu nocentem. tolle conſilium, ac preces;
Et imperata perage. devectam rate
Procul in remotum littus interimi iube.
Tandem vt reſidat pectoris noſtri tumor.*

* PR. haud quaquã reor Mulier, extrita perſona Neronis. Lipſ.

* NER. Vel pœna quæ tã ſera, inſerta Neronis perſonæ. Lipſ.

* Al. timer.

CHORVS. OCTAVIA.

CHO. *O funeſtus multis populi*
Diruſque favor! qui, cum flatu
Vela ſecundo ratis implevit,
Vexitque procul; languidus idem
Deſerit alto ſævoque mari.
Flevit Gracchos miſeranda parens,* * Al. gnatos
Perdidit ingens quos plebis amor,
Nimiuſque favor, genere illuſtres,
Pietate, fide, lingua claros,
Pectore fortes, legibus acres.
Te quoque, Livi, ſimili leto* * Al. lenis, & levis
Fortuna dedit; quem neque faſces
Texêre ſui, nec tecta domus.
Plura referre prohibet præſens

Exempla

Exempla dolor. modò cui patriam
Reddere cives, aulam, & fratris
Voluëre toros; nunc ad pœnam
Letumque trahi, flentem, miseram
*Cernere * possunt. Bene paupertas* **Al. possis.*
Humili tecto contenta latet.
Quatiunt altas sæpe procellæ
Aut evertit Fortuna domos.
OCT. *Quo me trahitis? quodve tyrannus*
Aut exilium regina iubet;
Si mihi vitam fracta remittit
Tot iam nostris evicta malis;
Si cæde mea cumulare parat
Luctus nostros; invidet etiam
Cur in patria mihi sæva mori?
Sed iam spes est nulla salutis,
Fratris cerno miseranda ratem.
Hæc est, cuius vecta carina
Quondam genitrix, nunc & thalamis
Expulsa soror miseranda vehar;
Nullum Pietas nunc numen habet,
Nec sunt Superi. regnat mundo
Tristis Erinnys.
Quis mea digne deflere potest
Mala? quæ lacrimis nostris questus
Reddet Aëdon? cuius pinnas
Vtinam miseræ mihi Fata darent!
Fugerem luctus ablata meos
Penna volucri, procul & cœtus
Hominum tristes, cædemque feram.
Sola in vacuo nemore, & tenui
Ramo pendens, querulo posem
Gutture mœstum fundere murmur.

CHO.

CHO. *Regitur fatis mortale genus;*
Nec ſibi quidquam ſpondere poteſt
Firmum & ſtabile:
Per quæ caſus volvit varios
Semper nobis metuenda dies.
Animum firment exempla tuum
Iam multa, domus
Quæ veſtra tulit. quid ſævior eſt
Fortuna tibi? tu mihi primum
Tot natorum memoranda parens,
Nata Agrippæ, nurus Auguſti,
Cæſaris vxor, cuius nomen
Clarum toto fulſit in orbe;
Vtero toties enixa gravi
Pignora pacis: mox exilium,
Verbera, ſævas paſſa catenas,
Funera, luctus, tandem letum.
Cruciata diu, felix thalamis
Livia Druſi. natiſque ferum
Ruit in facinus; pœnamque ſuam.
Iulia matris fata ſecuta eſt:
Poſt longa tamen tempora ferro
Cæſa eſt, quamvis crimine nullo.
Quid non potuit quondam genitrix
Tua quæ rexit Principis aulam,
Cara marito. partuque potens?
Eadem famulo ſubiecta ſuo,
Cecidit diri militis enſe.
Quid, cui licuit regnum in cœlum
Sperare, parens tanta Neronis?
Non funeſta violata manu
Remigis ante,
Mox & ferro lacerata diu,

Sævi iacuit victima nati?
OCT. *Me quoque tristes mittet ad Vmbras*
Ferus & Manes, ecce, tyrannus.
Quid iam frustra miseranda moror?
Rapite ad letum, queîs ius in nos
Fortuna dedit. testor Superos.
Quid agis, demens? parce precari,
Queîs invisa es, numina Divûm.
Tartara testor, Erebique deas
Scelerum vltrices, & te, genitor,
Dignum tali, morte & pœna:
Non invisa est mors ista mihi.
Armate ratem, date vela fretis,
Ventisque petat puppis rector
**Tandem Phariæ littora terræ.* * Paudataria l. 3.
CHO. *Lenes auræ, Zephyrique leves,*
Tectam quondam nube æthereâ
Qui vexistis raptam sævæ
Virginis aris Iphigeniam;
Hanc quoque tristi procul à pœna
Portate, precor, templa ad Triviæ.
Vrbe est nostra mitior Aulis,
*Et * Maurorum barbara tellus.* * Taurorûm.
Hospitiis illic cæde litatur
Numen Superûm: civis gaudet
Roma cruore.

FINIS.

Tragœdias istas decem recensuit anno Domini 1620.
PETRVS SCRIVERIVS.

IVSTI LIPSI

ANIMADVERSIONES

In

Tragœdias

Quæ

L. ANNÆO SENECÆ

tribuuntur.

Receptus, & typographo noſtro obſervatus,

ORDO TRAGOEDIARVM.

Hercules furens,	16.	*Troades,*	47.
Thyeſtes,	35.	*Medea,*	7.
Thebais,	11.	*Agamemnon,*	50.
Hippolytus,	43.	*Hercules Oetæus,*	20.
Oedipus,	39.	*Octavia,*	54.

Ab hoc docti quidam viri nuper receſſerunt, ſecuti judicium V. Cl. Iuſti Lipſij. Ad cuius Animadverſiones & Notas in ſingulas Fabulas vt expeditior ſtudioſo Lectori via eſſet, numeri pagellarum ſubiuncti ſunt. Non enim nunc, quod aliis Editoribus viſum, à vulgato ordine temerè abeundum putavimus. Ave, mi Lector, & Scriverio, commodo publico operanti, Fave.

I. LIP-

I. LIPSIVS
FRANC. RAPHELENGIO
FR. F. PLANTINIANO

S. D.

QVòd seriò tandem manum & mentem admoveris Senecæ Tragœdiis, valdè id nobis, mi Franciſce, gratum. Et non'ne diu tale aliquid oportuit, in hoc ingenio, in hoc otio? Illud adeſt, iſtud ſupereſt: nec culpa hîc eſſe poteſt, niſi à deſide voluntate. Atqui ingenium vt ferrum eſſe ſcito. ſplendeſcet, ſi vtare: rubiginem contrahet, ſi recondas. Vtere igitur. & inprimis ad hæciſta: quæ gratiam tibi apud me, apud avum, famam gignent apud omnes. Sed auxilium'ne etiam à me poſcis? ego conſilio defunctum me putabam. Tamen & illud accipe: ſimul in his talibus veram vocem.

Αὖθα ὅ, τι φρονέεις. τελέσαι ἦ μὲ θυμὸς ἀνώγει.

Nam amiciſſimi Plantini mei cauſsâ quid non velim? quid non & pro iſtâ Plantinianâ ſtirpe? quam Deus mihi ſinat creſcere rectam, & in rectâ virtutis viâ.

TRia petis. Quid de Scriptore Tragœdiarum ſentiam? Quid de Ordine? Quid habeam ad ipſas? De primo, ſic reſpondeo. Scriptorem iis dari à me non vnum: nec Criticos noſtros audio, qui aliter pertendunt. Tragœdiæ hæ, nõ vniuſ viri opus.

dunt. Stilum & elocutionem quiſquis ſeriosè paullò magis examinat, non à me ſentit? ſentit, aut profectò nihil ſentit. Diſcrimen nimis clarum. Octaviam & Medeam vnius mentis & manus eſſe quis dixerit? quis Thebaida & Troada? peritus nemo judex, & cui purgatior paullò auris. Ego tres ſcriptores odoror, fortaſſe & quartum. Audi. Pleraſque ex iſtis Annæi Senecæ eſſe fateor (ſive Lucium ei prænomen, ſive Marcum. nam liber ſanè meus vno loco vtrumque ambiguè congerit) ſed Senecæ novioris. Filiíne illius, qui Philoſophus? vix arbitror: nec ſcripta mihi ſuadeant tam bonum ævum. Traiani imperio, imò infrà, ſi vixiſſe quemcumque hunc Senecam dicam, à vero non abibo. Certè à veteri illo alius eſt, vel Sidonio teſte, cuius verſus innotuëre:

Videntur quattuor texuiſſe. Septem iuniotis Senecæ ſunt.

Qui valde remotus à Philoſopho.

Quorum vnus colit hiſpidum Platona:
Orcheſtram quatit alter Euripidis.

Etiam Terentiano:

In Tragicis iunxere choris hunc ſæpe deſerti
Annæus Seneca & Pomponius ante Secundus.

Nam Tragicum hunc, ecce, poſteriorem facit Pomponio: quem clarum eſt vixiſſe eodem cum grandiori Senecâ, id eſt, Claudiano ævo. Quòd autem de hiſce Tragœdiis ſentiant, liquet ex eodem Terentiano; apud quem verſus cum Senecæ nomine, quos hodieque in Hercule Furente legas:

Exemplum & Senecæ dabo:
„ *Thebis læta dies adeſt,*
„ *Aras tangite ſupplices:*
„ *Pingues cædite victimas.*

At una, Senecæ maioris. Fabij fide:

Is ergo vnus ſcriptor. Quis alter? etiam Seneca: ſed ille bonus, ille meus. Nam Medeæ cur non auctorem hunc audacter tribuam? Fabius impellit, qui ſemiverſum ex eâ hunc citat:

- quas peti terras iubes?

& quidem Senecâ auctore. Quis ergo alius Seneca vſpiam ei nominatus, præter noſtrum? Et certè ſi non hunc voluit, notâ aliquâ aut verbulo (quæ eius accuratio

ratio eſt) indicaſſet. Addo argumentum ab ævo, quo colligo eam ſcriptam ex hiſce verſibus: Et ratiocinio téporis.

Parcite ô divi, veniam precamur,
Vivat vt tutus mare qui ſubegit:
Sed furit, vinci dominus profundi
Regna ſecunda.

Quos omnino inſitos decorè & ingeniosè in laudem Claudij, qui Britanniam tunc aperiebat, planè mihi ſedet. At Seneca tunc vixit. Etiam ſtilus & tota ſcriptio hoc perſuadent: quæ optima, & digna optimo illo ſcriptore. Sanè qui Medeam attentâ & ſubſtrictâ, vt ſic dicam, aure leget: illuſtris ingenij fætum fatebitur, & plane melioris viri, melioris ævi. En, duos ſcriptores habes. vbi tertius? latet: nec facilè totum eum educam. Video, nec video: eſſe ſcio, ſed quo colore & nomine, nondum. Hunc ego tribuo Thebaidi. Quídni? ex ſtilo & tota conformatione eius Tragœdiæ tam mihi certum eſt, alium auctorem ei eſſe, quàm me ſpirare. Confer, ſodes, cum ceteris: quid ſimile? Oeconomia diverſa, ſine choris, ſine interruptione, continua quaſi ad Comicam. Scriptio tota vniformis, ſimplex, ſine carminum vllâ varietate. ſed ſcriptio (ita me Deus amet!) alta, docta, grandis: & quæ ſuo jure ambulet in cothurnis. Nihil vſquam juvenile, arceſſitum, fucatum. phraſis & verba lecta: ſententiarum mira & inopinata acumina; & acumina virilia, fortia: quæ me quidem ita feriunt, vt non exciter ſolùm ad ea, ſed ſubſultem. Quid tale in aliis? audebo rem dicere. Scripti gemmula hæc eſt, & quam lubens retulerim vel ad Auguſti ævum. Per bellum quidem Civile eam ſcriptam, & ex argumenti electione ſuſpicor, & ex verſibus qui quaſi datâ operâ huic rei inſerti. Quidquid huius eſt, tollenda ſanè ea, nec vltra calcanda pedibus ignari vulgi. Vos, Critici, ponite & habete audacter inter prima Romana ſcripta. Quartus ſcriptor producendus eſt: ſed ambiguè. Nam nec novi, nec nimis adfirmatè de eo affirmem. Sentiſco tamen eum in Octaviâ. quæ nimis mutare & abire videtur ab aliis Tragœdiis, imò

Denique ex ſtilo, qui præfulget.

Vna, etiam ignoti Poetæ.

A facie ſcriptionis totius certo argumento.

Quæ nimis bona.

Digna Auguſtæo ævo.

Legenda & admiranda doctis.

Sed vna ité quarti & ignoti ſcriptoris: Nec ſanè boni.

Octavia jacet.

verbere eruditorum excipienda, non plausu. Considera: nec vide tantùm, sed lustra. quid non in eâ protritum, vulgare? imò & vile? quàm multa rebus verbisque inepta? quæ piget excerpere & obiicere tibi singillatim. Puer ego sum, nisi à puero ea scripta; certè pueri modo. Habes de Tragœdiarum scriptoribus meum sensum: addam & de ipsis. Duas duorum eximias censeo: quibus laudator ego, non censor. In aliis virtutes video, sed non sine mixturâ vitiorum. Magnus Scaliger quòd tam laudatum de his testimonium tulerit, vt etiam Græcis antepositurit, an ex vero? non dixeris, nisi ad primas illas adspectu. Nam ceteræ profectò non ascendunt culmen istud laudis. Sonus in iis & granditas quædam Tragica, fateor: sed nónne adfectatio sæpe & tumor? Verba & dictio an vsquequaque electa? Iam sententiæ probæ, acutæ, interdum ad miraculum. sed nónne sæpe & sententiolæ? id est, fracta, minuta quædam dicta, obscura aut vana: quæ aspectu blandiantur, excussa moveant risum. Nec enim lumina, sed scintillæ sunt: nec veri forteſque ictus, sed, vt in somnio, parvi & vani conatus. Quas tamen ipsas crebrò nimis & ad fastidium inculcat, nec invenit sed arripit: non tam suâ fortasse quàm ævi culpâ, cui Scholasticum & Declamatorium hoc genus ita placuit, *vt operum omnium*, (Fabij verba sunt) *solam virtutem Sententias putarent.* Hæc noto, non vt notâ Poëtam illum afficiam, sed vt te formem: discasque judicio non præiudicio uti, nec signare statim omnia lineâ albâ.

Iudiciũ de his Tragœdiis meũ.

Nã Scaligeri haud rigidè verum.

Iunioris Senecæ, media sunt.

Sæpe in vitio.

Præsertim affectatione sententiarum.

Quæ cõmunis tunc culpa.

Alterum Quæsitum de Ordine est. frustrà. Quid enim hæres? nec vnus in libris est (omnes ferè variant) nec sanè refert. In Plauto ad litteram Comœdiæ disponuntur. tu istas, vt voles. Nam in tempora cuiusque Fabulæ quid inquiras? supervacuum est. Sequere, si omnino aliquid à me vis, ordinem hunc bonitatis, & præeat vel Thebais, vel Medea.

Ordo in his fabulis nullus.

Tertium erat, Si quid ad ipsas? Ego verò, etsi jam antè satis emendatas (hæc enim strictis versibus scripta, arcent

arcent ferè & cohibent malas manus) poſtremùm etiam ſeriò & induſtriè correxerit V. Cl. Antonius Del-rio, æternùm nobis amicus. Tamen accipe & à me iſta. quorum partem ab ingenio eſſe ſcies & ſubitâ inventione, cùm tuâ cauſsâ paullò intentiùs legerem: partem à libro ſcripto veteri ſanè bono, quem habemus dono Paulli Meliſſi magni vatis. Illud te moneo, interpunctiones & diſcrimina valdè vitiata eſſe. quorum cùm in eiuſmodi ſubtilioribus ſcriptoribus grande momentum ſit, tu vide vt concinnes. Numeri, quos adnoto, verſuum ſunt Fabulæ cuiuſque. Ordior à

Quæ noſtra hic opera.

Et auxilia.

MEDEA.

Verſ. 29. *- Spectat hoc noſtri ſator*
Sol generis & ſpectator, & curru inſidens
Per ſolita puri ſpatia decurrit poli.] Languet ſententia. litterulâ eam erigo: *& ſpectatur?* Nam acri indignatione Medea quærit, Hæc'ne ſcelera, inquit, Sol ille videt auctor mei generis: & idem videtur? quaſi hoc indicans, refugere eum debuiſſe vt in Thyëſtæo aliquo ſcelere, & vultus ſuos tegere. Tale illlud divinitus dictum in Thebaide: *Non video noxæ conſcium noſtræ diem, Sed video.* Quæ acumina ex re nata & ſubiecta, mirificè delectant acres acutaſque mentes. Sequenti etiam verſu Codex noſter, *per ſolita curvi.* probè.

31. *Num redit in ortus, & remetitur diem?*] Vet. *Nunc.* ſcribendum, *Non.* aut, *Nec.*

32. *Da, da, per auras curribus patris vehi.*] Minimeſis, *patris.* Aeëtæ in aëre nulli currus. lego, *patriis.* Nam Sol Medeæ avus.

35. *Gemino Corinthus littori opponens moras*
Cremata flammis maria committat duo.] Leviculum eſt, ſed ad ſententiæ lucem: ſcribe, *committet.* Nec enim vovet, ſed minatur. & ſi ego, inquit, in Solari ſemel curru; peribit cum ſolo Corinthus, in quâ hæc perfidia.

55. *Quæ ſcelere parta eſt, ſcelere linquetur domus.*] Cod. noſter,

ſter, *pacta eſt.* &, *rumpetur fides.* Pacta, juncta. quis mutet?

91. *Vincat fœmina coniuges,*
Vir longè ſuperet viros.] Præfero & hîc Scriptum: *Vir longè vt ſuperat viros.* Nam formam Iaſonis ita laudat, vt hac parem ei comparem optet.

132. *-funus inceſtum patri*
Spærſumque ponto corpus.] An non, *incertum?* Nam verè illud funus ambiguum, & corpore ſparſo, quærendum non vno loco.

151. *-gravia quiſquis vulnera*
Patiente & æquo motus animo pertulit.
Veriùs, *immotus.*

170. NV. *Moriere.* ME. *cupio.* NV. *profuge.* ME. *pœnituit fugæ.*
Medea fugiam? NV. *mater es.* ME. *cui ſim, vides.* Acuta & proba. tamen impuritatis aut defectus ſuſpiciunculam Vetus iniicit, in quo eſt: *pœnituit fugæ.* NV. *teipſam vide.* ME. *Fugiam?* quæ verba non concinno.

198. *Vox conſtituto ſera decreto venit.*] Intellego. ſerotina tua verba, & poſt decretum quod non muto. Tamen Veteri eſt, *Nox*: ſuâ quoque & bonâ ſententiâ.

204. *-quamq; regale hoc putet.*] Quid ſibi vult ſcripta lectio? *hoc caput.*

214. *Armata peltis quidquid exterret cohors.*] Eadem, *exercet.* & ſanè videtur dicere ipſas Amazonas ſubfuiſſe Aeëtæ, ſolumque quod exercebant.

236. *Inceſſe nunc & cuncta flagitia ingere.*] Sanè benè, tamen in Vet. eſt, *cuncta flamina.* quid ſi, *fulmina?* haud improbè de regiis iſtis minis.

248. *Petiique ſupplex præſidis dextræ fidem.*] Codex, *Fidemque ſupplex p. d. petij.* Et cur mutarunt? Ita Hercule Furente: *Et fata vici, morte contemptâ redij.* Et Oetæo: *Votis peperci, nil ego à ſuperis petij.* Efferebant hæc enim vulgò vt diſſyllaba, & verò ſcribebant: *I* ſcilicet eo longiuſculo, *PetI. RedI.* Poëta princeps, *ignobilis otI.*

265. *Prorſuſque veſtro purus à cœtu ſtetit.*] Vet. *Proculque veſtro.*

314. *Non quæ ſequitur flectitque ſenex.*] Rectum eſt, de

Boote:

Boote. At Vetus, *defletque ſenex.* ideóne quia matrem conatus interficere, ad aſpectum eius memoriâ rei lacrimat?

341. *- cùm duo montes*
Subito impulſu, velut ætherio
Gemerent ſonitu, ſpargeret aſtra
Nubeſque ipſas mare depreſſum.] Imago bona. quâ & alter Seneca vſus Herc. Fur. de iiſdem Cyaneis:

In ſe coibunt, ſaxaque in cælum expriment
Actis vtrimque rupibus, medium mare.

Dic tamen, ſodes, quomodo aſtra ſpargi poſſunt à mari depreſſo? imò elato. Si ſenſus hic placet, omnino emenda, *mare deprenſum.* interceptum videlicet & quaſi deprehenſum ſubitò inter duas rupes, exprimitur in cælum. At Veteri meo diſertè eſt, *Pergeret aſtra*, non *Spargeret.* ex quo alia mihi & proba imago obnata, hæc. Mare, inquit, coitu illo rupium elatum nimis, & ſubitò abiectum, videbatur ſecum nubes detrahere & ipſa aſtra. Omnino oculis ita videtur, qui in commoto mari. *Pergo* autem *depreſſum*, eâ formâ ſcriptum quâ, *Eo depreſſum*, & talia.

354. *Toties imo latrante malo.*] Bellius, quod in Veteri, *vno.* Scylla, inquit, illa toties latrabat, variis vocibus & animalibus in monſtro vno.

372. *Pervius orbis. Indus gelidum*
Potat Araxem: Albin Perſæ.] Hæc divide, & fac quattuor minutos verſus: aut contrà legẽ hîc Trochæi medij. Quod ſemel monitum ſæpius obſervabis, & corriges.

388. *Proclamat, ô ſuperi, oculos fletu rigat.*] Egregie liber: *Proclamat, oculos vberi fletu rigat.*

393. *Non facile ſecum verſat aut medium ſcelus.*] Medium ſcelus capere poſſis, non è turbâ nec mediocre quoddam, rectè. Tamen Veteri vox longè alia, mentem præit aliam: *induit ſcelus.* Fecerim, *aut ludit ſcelus.* Quid ſi, *rude ſcelus?* Nam produci eæ ſyllabæ ſolent, etiam cum in voce alterâ binæ litteræ: quod te ſcire ſcio.

410. *- tantis Ætna fervebit minis.*] Scribe, *ferveſcit.*

477. *Alienaque ſequens regna, deſerui mea.*] Fortius multo ſcripſeris, & interrogando extuleris: *Aliena ſequeris regna? deſerui mea.* Idque probè probum eſt. Túne ô Iaſon,

inquit, alieno regno immines, ideoque me deseris? at ego tuâ caussâ, proprium deserui.

508. *Meis Creüsa liberis fratres dabit?*
Regina gnatis exsulum, afflictis potens?
Non veniat vnquam tam malus miseris dies.] Personis hæc distinguenda & illuminanda: *fratres dabit?* IAS. *Regina g. e. a. potens.* MED. *Non veniat.* &c. Sententia docet.

516. IAS. *Hinc rex & illinc.* MED. *est & his maior metus,*
Medea. nos confligere certemus, sine,
Sit pretium Iason.] Vitium in phrasi, versu, sensu. Quid est, *certemus confligere?* Lex versus quartâ sede pedem illum quî tolerat? Rescribo, *neu confligere. certemus, sine: Sit pretium Iason.* Nec te, inquit, voco ad periculum. nullus te opposueris: mihi posco hanc pugnam, in quâ victoris sit Iason.

552. *- liceat vltimum amplexum dare.*
Gratum est, & illud voce iam extremâ peto.] Refrigerant hæc legentem. Quò enim illud, *Gratum est*, referas? Ausim scribere: *Ratum est?* cum interrogatoriâ notâ. Liberos inprimis apud se tenere cupienter cupiebat Medea, materiem futuro sceleri, & cùm blandè id peteret, iamque ille annueret: ergóne hoc ratum est? inquit: esto. etiam hoc amplius peto, &c.

631. *At caput tractu fluvialis Hebri*
Contigit notam Styga, Tartarumque,
Non rediturus.] De Orphei morte. sed sermonis solœcum hoc quis non videt? lege, *Ad caput tractus.*

668. *Iam satis divi mare vindicastis,*
Parcite iusso.] Explicant: Parcite Iasoni, qui à Pelia iussus nec sponte aquas violavit. Non refuto. Sed enim cùm in Veteri sit, *Parcite vivo*; acris mihi libido legere, *divo.* & obliquè ad Claudium aspectum censeam: qui & ipse cùm ignotum Oceanum intrasset, tamen parci à divis æquum censet divo. Tecta & ingeniosa adulatio.

930. *Flen-*

950. *Flentes, gementes: ſed oculis pereant patris,*
Perîêre matris.] Vetus, *gementes. oſculis pereant.* quidni rectè?

1014. IAS. *Iam perage cœptum facinus, haud vltrà precor.*
Moramque ſaltem ſupplicijs dona meis.
MED. *Perfruere lento ſcelere, ne propera dolor.*] Hæc confuſa, nec ſanæ mentis. Iaſon cupit ſtatim interimi liberos, non tractim mori & per ſingulos artus. Ea enim ſententia primi verſus. At pugnat ecce alter, & quærit ſupplicij moram. Denique Medea reſpondet quaſi ex voto, & exorata. Omnia contrà ſunt. Suſpicor præpoſterè locatos verſus, & digerendos ſic: ---- *haud vltrà precor.* MED. *Perfruere lento ſcelere. ne propera dolor, Moramque ſaltem ſupplicibus dona meis.* Ita enim malo, quàm *ſupplicijs.* Iſta mens. Optas, inquit Medea, citò defungi hoc ſpectaculo? haud fiet. & cum irriſione, Ne propera mi dolor, & moram ſaltem indulge his qui tibi ſupplices.

1026. *Per alta vade ſpatia ſublimi æthere.*] Codici meo, *ætheris.* verè. Clauſula autem hæc divina, *Teſtare nullos eſſe quà veheris deos:* vt multa in toto opere. cuius cauſſâ te, Seneca, magis magiſque iure miramur. Tranſeo

AD THEBAIDA.

Verſ. 2. *Patris levamen gnata, quam tanti eſt mihi*
Genuiſſe, vel ſic deſere infauſtum patrem.] Diſtingue & ſententiam acutam effice, *Genuiſſe vel ſic.* Pronuncianda enim ea ἐμφατικώτερον & expreſſiùs, notando ſcilicet ſceleri in hac geniturâ. O nata, ait Oedipus, cuius tanta pietas, vt vel cum inceſtu genuiſſe eam mihi pretium ſit.

4. *In tecta quid deflectis errantem gradum?*] An in tecta & aulam reducebat patrem Antigona? minimè. tota narratio & rei ſeries refellunt. Occultum mendum: quod odoramur è Veteri. in quo eſt, *In rectum.* Omnino ſcribendum, *In recta.* id eſt, Quid me dirigis? rectà & tutò

& tutò ire jubes ? melius cadam. Itaque ſtatim ſubiungit, *Permitte labi.*

38 *- quid me, gnata, peſtifero tenes*
Amore vinctum?] Non placet, *vinctum.* Nec enim id queritur, amari ſe à gnatâ, ſed teneri in vitâ. Vellem, *vivum.*

43. *- gnata, genitorem vides ?*
ANT. *Ego video. tandem ſpiritum inimicum exue.*
OED. *Deſertor anime, fortis in partem tui.*] Mirum reſponſi frigus in tam calido Antigones amore. Alit, ecce, furorem patris, & fatetur ſe quoque videre, quod nec ille quidem videbat. Denique quid eſt, *inimicum ſpiritum exuere ?* Turbaſſe perſonas video, & Antigonam fruſtra inſertam. Continenter legenda, *genitorem vides ? Ego video. tandem ſpiritum inimicum exue Deſertor anime.* Non tu, inquit, ô filia patrem meum vides ? certè ego. Age anime, vitâ & ſpiritu tandē te priva, quem pater repetit.

47. *Mortemque totam recipe. quid ſegnis traho ?*] Arenæ verbum, & alluſum ad gladiatores. Tamen Veteri eſt, *totam admitte.*

62. *Regam abnuentem, dirigam invitum gradum.*] Veteri, *invitum patrem.*

64. *Non obſto, ſed præcedo. quovis utere*
Duce è duobus, omnis eligitur via.] Tun' hæc capis? haud ego, fateor. Meo libro eſt, *quovis vertere.* legam & diſtinguam, *- quovis vertere Duce me, duobus omnis eligitur via.* Age te & verte quò voles : ſed non ſolus. In te vno duo peribunt aut vivent.

77. *Sed flecte mentem, pectus antiquum advoca,*
Victaſque magno pectore ærumnas doma.] Diſplicet inamœna verbi repetitio, *Pectore* & *Pectus.* In meo manifeſtè alia vox fuit; ſed eâ erasâ, *Pectore* impoſitum. An, *robore?*

116. *Vbi torva rapidus devehat Iſmenos vada.*] Veteri eſt, *ducat Iſmenos*, malim etiam *torta*, quàm *torva.*

178. *- audias verum Oedipum.*] Scribe cum Vet. *Oedipe.* Seſe enim alloquitur : & ſequentia flagitant.

181. *Hac parte mortem perage, quà cœpit mori.*] Vet. *Cœpè mori*, probè.

182. *Pauca*

182. *Pauca ô parens miſerande magnanime precor*
Vt verba natæ mente placatâ audias.] Magis ex decoro & vero ſcripta lectio, *miſerandæ magnanime.*

193. *Qui fata proculcavit, ac vitæ bona*
Proiecit, atque abceſsit, & caſus ſuos
Oneravit: ipſi, ceu video, nullo eſt opus
Quare ipſe mortem cupiat aut quare petat.
Vtrumque timidi eſt velle. contempſit mori
Qui concupiſcit.] Vtinam hîc mihi tua mens Oedipe! dico, illa ſaga & divina. Nam mirificè hæc turbata & implexa. Sententiam vtcumque video, verba pro ſententiâ non video. Quid eſt, *onerare caſus ſuos?* quid illud, *ceu video, nullo eſt opus?* aut tenebræ, aut ſordes. Sed & illîc vitium, *mortem cupiat aut petat.* Nónne enim hæc eadem? & tamen ſequentia divellunt: additurque, *Vtrumque timidi eſt velle.* Vbi ergo illud vtrumque? In toto non iuvo, in parte ſic. Primum lego, *atque abcîdit.* ex meo Veteri. Deinde pro, *cupiat,* velim *fugiat:* ſententiæ impulſu. Poſtremum quà eſt, *Qui concupiſcit,* ſcribendum affirmo *Qui non cupiſcit:* planè ex Antigones * mente. Nónne hoc illa argutatur & perſuaſum it patri, neutrum viro forti faciendum, vt voveat mori vel vt fugiat? Itaque addit. ille verè contemnit mortem, qui nec cupit. Sententia, quam ſapientum manus firmat, & noſter Seneca: *Non vult mori, qui optat. Deos vitam roga & ſalutem, ſi mori placuit. Hic mortis eſt fructus, optare deſinere.* Et revera, nónne vides molliſſimum atque impatientiſſimum quemque mortem optare? ſed optare.

* Etiam ex libri veteris: in quo eſt, *non concupiſcit.*

207. *- quid te ad infernas agit*
Sedes? quid ex his pellit, vt careas die?
Cares, vt altis nobilem muris domum
Patriamq; fugias, patria tibi vivo perit.] Pulcherrimas ſententias divide & ordina. *- quid ex his pellit? Vt careas die? Cares. vt altis nobilem muris domum Patriamque fugias? patria tibi vivo periit.* Diviſione vtitur, & membratim rogat ac concludit. Cur vis mori? quid te à ſuperis locis pellit ad inferos? An vt diem non videas? non vides, ſponte tuâ cæcus. Vti patriam fugias? jam es in eâ nec es, vivũ cadaver,

218. *Et*

218. *Et dira fugio scelera, quæ feci nocens.*] Rescribe, *feci innocens.* Res ita est. fato, non culpâ, peccavit Oedipus. & supra scriptum, *dis quoque invitis esse eum innocentem.*

230. *Quæ pars meorum criminum es, infelix pater.*] Versus labascit: fulcio transiectâ voce, *meorum es criminum.*

254. *Calidoq; teneros transtulit ferro pedes.*] Ita sanè & meus liber. sed *transferendi* verbum haud satis validum notandæ rei. An, *transtudit?* an potiùs, *transiit?* Nam priscis editionibus est, *transsuit.* quod ipsum nonnemo defendat.

257. *Cruore sæpe regio attractas alit.*] Vetus, *tinctas alit.*

262. *-proh, loqui hymenæum pudet.*] Vno verbo, *proloqui.*

313. *Hic Oedipus Ægæa tranabit freta*] Excusari scio posse, à Græcanicâ terminatione. Tamen tutiùs versui consulam repetitâ voce, *Hic Oedipus, hîc, Aegæa.*

318. *Iubente te præbebit alitibus iecur,*
Iubente vivet.] Veterem librum cur non audiam? cui est, *Iubente te vel vivet.* egregiâ emphasi, & quasi extremum malorum illi, vita. At versus negat, nec continuari cum sequenti potest. Quid mali? præsertim cùm Actus novus sequatur. Sanè etiam in Troade versum abruptum & interciſum legeris, medio quidem Actu:

--sponte desiluit suâ In media Priami regna. novus enim versus excipit: *Quis Colchus, aut quis sedis incertæ Scytha.* Hoc hîc cense. & proximum versum alterius Actus initio,

--Regiâ stirpe edite, audacter è libro nostro exple, *Exemplum in ingens, regiâ stirpe edite.* Ita enim adiuvamus, cùm in eo sit *Exemplum ingens.* Hæc glossematia non esse nec adtextus, nobis satis certum.

328. *Ego ille sum, qui scelera committi vetem?*] Probè & verè. tamen Veteri, *sceptra committi:* suo & probo item sensu.

330. *- meorum facinorum exempla appetunt.*] Liber & versus volunt: *exempla facinorum appetunt.* statimque, *laudo & agnosco libens.*

363. IOC.

363. IOC. *Felix Agaue, facinus horrendum manu.*] In his verbis initium eſt Actus tertij, libro veteri: tu ſequere, & continuatim lege ad Actum qui vulgò quartus.

366. — *miſera non vltrà ſuum*
Scelus hoc cucurrit. hoc leve eſt, quòd ſum nocens,
Feci nocentes. hoc quoque etiamnum leve eſt,
Peperi nocentes.] Ingenioſa & mira miſeriarum exaggeratio. ſed lego verſu altero, *hæc cucurrit.* deinde, *Feci nocentem.* Sententiæ valdè conſulo. quos enim alioquin Iocaſta nocentes fecerit? At ſingulario numero ſi leges, ad Oedipum appoſitè referes: quem illa nocentem fecit, ſacrâ mixtione. Cauſſa corruptioni, quòd litteram elidi cenſebant non elidendam.

393. *Curſu citato miles hinc illinc ruit.*] Vetus, *hinc atque hinc ruit.*

417. *Ecce ecce motos fletibus credas meis.*] Malo ex Scripto, *Et ecce.*

456. *Donate matrem pace. ſi placuit ſcelus,*
Maius peractum eſt: media ſe opponit parens.] Omnino audiendus liber vetus, *Maius paratum eſt.* Non poſtulat, ſed flagitat hoc ſententia. Si pergitis, inquit Iocaſta, & frater in fratrem ruit, non ea meta ſceleri: maius ſupereſt. quia primùm interficienda ego mater. Peti neuter veſtrûm niſi per me poteſt, quæ obijcio mediam.

463. *Nunc alter aberit. ergo iam numquam duos.*
Niſi ſic videbo] Scripto abeſt τὸ *iam.* Mihi placeat, *ergo non unquam.*

482. *Dum frater eſt armatus, armatus mane.*] Cenſores, cur mutaſtis? Fuit anteà, *frater exarmatur*: nimis benè. Intereà dum frater ponit arma, inquit, tu retine. Ita non ſcriptus ſolùm liber, ſed etiam editio vetus, cuius mihi copia fuit è divite librariâ Cl. V. Franciſci Nanſii.

498. - *hic ferrum abdidit*
Reclinis haſtæ, & arma defixa incubant.] Scribe, *incubat.* ad habitum Eteoclis, qui condito gladio & velut in pacem compoſitus incumbebat haſtæ.

632. - *præmium incertum petit,*
Certum ſcelus.] Legendum, *petis.* affatur ipſum Poly-

Polynicem. Et priora valdè laborant ab interpunctis, quæ diſpone optimæ ſententiæ bono. His mihi ſalve Thebai, haud paullò melior illâ quæ vigilata per biſſenos annos. Prodi tu,

HERCVLES FVRENS;

Cui à me quoque pars ſanitatis.

verſ. 12. *Ferâ comâ hinc exterret Orion deos.*] Cománe tam formidoloſa, vt eam dij timeant? Vetus, *Ferâ minax hinc torret.* cui valdè adhæreo, & capio canem qui venatori iſti adiunctus. An &, *ferro minax?* nam certè gladium etiam ei attribuunt qui imagines nobis imaginati in cælo.

19. *Sed vetera ſerò querimur, vna me fera*
Thebana nuribus ſparſa tellus impiis.] Addit liber meus vocem, *vna me dira ac fera.* malè & præter verſum, niſi alteram deleas. quod mihi videtur: & inducam *tò ſerò.* Additicium eſt.

33. *- ſuperat & creſcit malis.*] Veteri, *increſcit malis.*

44. *- nempe pro telis gerit*
Quæ timuit & quæ fudit. armatus venit
Leone & hydrâ.] Timórne in Herculem cadat? non ipſa Iuno dixerit, etſi hîc dicit. Reponam, *Quæ domuit:* ſententiâ & heroë quidem illo volente.

68. *- robore expenſo tumet.*] Placet hoc præ veteri lectione, *robore experto.*

71. *Nec flexit humeros molis immenſæ labor:*] Meo libro, *molis immiſæ:* veriùs.

76. *Congredere, manibus ipſa iam lacera tuis.*
Quid tanta mandas odia?] Verba Iunonis ſeſe in Dium illum exſtimulantis. in quibus diſplicent, *tanta odia.* An non melius, *tacita?* Quid opus, inquit, clam & per alios nocere, laceſſere? Quin palàm armor & odium aperio jam ipſa.

94. *Quâ mugit ingens montis oppoſiti ſpecus.*] Corrige è libro, *Quam munit.*

118. *-ſtabo*

119. *- ſtabo, & vt certo exeant*

Emiſſa nervo tela, librabo manum.] Vult dicere Iuno, ſe ſuapte manu directurum tela Herculis in corpora liberorum. Itaque cum Scripto ſcribo, *librabo manu.*

122. *Admittat illas genitor in cælum manus.*] Binos verſus hîc adtexit noſter liber, & germaniſſimos quidem Senecæ:

Movenda iam ſunt bella, clareſcit dies:
Ortuque Titan lucidus croceo ſubit.

Ita enim claudit Iuno, Verborum & minarum ſatis eſt: arma expedio. quia vocat me, ecce, dies. Poſterior ex hiſce verſibus in vulgatis nullibi legitur, alter non ſuo loco, ſuprà verſu nonageſimo inſertus. Tu illinc pelle, & huc compelle.

159. *Quibus eſt vitæ tranquilla quies,*
Et læta ſuo parvoq; domus,
Spes & in agris.
Turbine magno ſpes ſollicitæ
Vrbibus errant, trepidiq; metus.] Præclara gnome, nec temerè mihi mutanda, cui vita hæc in agris vnicè placet & ex agris. At Vetus tamen aliorſum trahit, qui ſcribit *Spes iam magnis.* Puto verè, ſi cum ſequentibus adnectas: atque adeò verſuum ordine moto. *Spes iam magnis Vrbibus errant, trepidiq; metus: Turbine magno ſpes ſollicitæ.* quæ repetitio ſanè decora. facit illeipſe Vetus, cui verſus quem poſtpoſui totus abeſt, initio Chori malè adtextus. ſed erronem huc revoco.

171. *Aurâ tumidum volvit inani.*] Scriptus, *tollit.* rectiſſimè.

188. *Certo veniunt ordine Parcæ.*] Idem, *tempore Parcæ.*

213. *- ſequitur apprimè ſtatim*

Infeſta Iuno.] Ego legam, *ſequitur à primo ſtatim.* id eſt, Iuno ab vitæ primordijs & ipſis carceribus inſecuta Herculem. Itaque addit, *- numquid immunis fuit Infantis ætas?*

218. *- igneos ſerpentium*

Oculos remiſſo pectore ac placido intuens.] Ehò, an pectore quiſpiam intuetur? audi librum, *remiſſo lumine.*

237. *- abrupto obice*
Etiam ruenti fecit Oceano viam.] De Hercule, mare ad Gades aperiente. Sed probo veterem scripturam, *Latam ruenti.*

277. *- adsis sospes & remees tuis.*] Meus Codex, *remees precor.* & statim, *dispulsis manu.*

290 *Erumpe rerum terminos tecum afferens.*] Melius, *efferens*: ex libro. Suprà: *Et quidquid atrâ nocte possessum latet, Emitte tecum.*

300 *- tibi frugum parens*
Secreta reddam sacra.] Ad Cererem, rectè, non malè item Vetus: *frugum potens.*

309. *O socia nostri sanguinis.*] Malè hîc initium Colloquij. superioribus vno textu iunge, auctore libro.

316. MED. *Prona est timori semper in peius fides.*] Sententia hæc Megaræ non convenit. ablega ad Amphitruonem, inductâ eius personâ. Illa autem sequentia dicat, *Demersus ac defossus.* Alioqui turbela.

355 *Namque ipsa tristi vestis obtectu caput*
Velata.] Vetus, *vestis obtentu.* Vtrumvis elige.

302. *Si æterna semper odia mortales agant.*] Idem, *mortales gerant.* magis Latinè.

406. *Sed ille regno pro suo, vos improbâ*
Cupidine acti.] Imò, *nos improbâ.* Nam de se palàm id fatetur Lycus, & vt decuit tyrannum.

420. *- non vincet fidem*
Vis vlla nostra, moriar Alcide tua.] Vetus, *Vis vlla, namque moriar.*

438. *Quo patre genitus, cælitum penetrat domos?*] Longè meliùs in Vet. *cælitum sperat domos?*

471. *Mitrâ ferocem barbarâ frontem premens?*] Hoc ad Herculem vulgati libri referunt (nec malè, nam & mitrâ pressus Omphalæ serviit), & Lyco tribuunt. At meus ad Bacchum, & Amphitruonis personæ adiungit, hoc modo: AMP. *Mitrâ fer. b. f. premens, Non erubescit Bacchus,* &c. Et quis nescit mitram huius dei velut propriam, & mitratos eius cœtus?

528. *Monstris exagitet califeram manum.*] Non mutarem, nisi

nisi libri monitu, qui disertè, *teliferam.* Et sanè non manus Herculis propriè Cælum tulit, sed sedit id eius humeris. At benè de Telis.

576. *Et surdis resonat clariùs in locis.*] Post hunc versum iste inseritur libro veteri, *Deflent Eurydicen Threïcia nurus:* planè appositè. qui alienissimo loco nobis legitur, versu pòst quarto. Tu ergo dispone.

623. *Verumne cerno corpus? an fallor tuâ*
Deceptus vmbrâ?] Vetus & hunc versum suggerit, *Teneone in auras editum, an vanâ fruor.* vter germanior, mihi non liquet.

676. *Vt sæpe puppes æstus invitas rapit,*
Sic pronus agger vrget atque avidum chaos.] Eleganter, de pronâ istâ ad inferos viâ. sed maléne Vetus, *pronus aer?* vt velit ab aëre & occulto vento quodam rapi nos ad atram sedem.

742. *Animoq; parcit.*] Vetus, *Animeq;.* id est, vitæ civium.

769. *Hîc onere vacuam littori puppim applicans,*
Repetebat vndas.] de Charonte, quasi retrorsum ierit viso Hercule. At meo libro, *Repetebat vmbras.* quod verissimum censeo. Narrat eum vacuasse cymbam, narrat repetisse novum onus.

777. *Vtrimque Lethen latere titubato bibit.*] Noster, *Latere titubanti.*

779. *Lapithæque multo bella succensi mero.*] Vocula addenda è Veteri, *multo in bella.* Res clamat.

789. *Attollit hirtas angue vibrato comas,*
Missumque captat aure subiectâ sonum.] De Cerbero scribit, adsurgente ad Herculis adventum. Sed emendem, *aure subrectâ.* Nónne canum id proprium, & arrigi aures videmus cùm sonum captant?

732. *- antro cedit incertus canis,*
Et vterque timuit.] Et meus, & olim editus, *antro sedit.* rectè. Non enim fugit, nec decuit Cerberum: sed assedit, ambiguus quietis an pugnæ.

813. *- & nitor*
Percussit oculos lucis ignotæ, bonos Resumit animos victus.] Ego malim, *lucis ignotæ bono, Resumit animos.* hac mente

Poſtquam Cerberus ſuperа attigit, & lucis dulcedo ac bonum obiecta oculis: luctatur, & negat vinci.

911. *--pinguis exſudet vapor.*] Vetus, *exundet.*

917. *Laremq; regis qui advenæ Tyrium colis.*] Idem, *Laremq; regis advenæ Tyrium colens.*

948. *- & ignes efflat, & rutilat, iubam*
Cervice iactans.] Leonem eiuſque motus deſcribit. lego, *& rutilâ iubam Cervice iactat.*

991. *- quò ſe cæcus invergit furor?*] Veteri, *cæcus impedit.* ſed appâret antè fuiſſe, *impêgit.* eraſum eſt.

1018. *Renuo novercam, ſequere, da pœnas mihi.*] Fuit in meo, *Teneo novercam.* ſed altera illa vox ſuppoſita. Omnino furibundus Hercules imaginat novercam ſe tenere in vxore: eamque interficit.

1032. *Quò te ipſe, genitor, obvium morti ingeris?*] Ferri poteſt, ex more quo ſenes omnes patres dicimus. Tamé cùm Theſei hæc verba, cur à Veteri & veritate non ſtem, *te ipſe, ſenior?*

1221. *In ſeipſe ſævit.* HERC. *dira Furiarum loca.*] Scriptus, *In ſeipſe furit.* Verſus labat? fulci, immiſsâ litterâ, *ô dira.*

1256. *A me timetur. ſemper abſentis pater.*] Quid vetus lectio ſibi vult, *Nox timetur?* credo, *Nobis.*

1265. *Memoranda potiùs omnibus facta intuens,*
Vnius à te criminis veniam peto.] Minimeſis, & frigidè hoc petat ſenex. Lego, *veniam pete:* ad ipſum ſcilicet Herculem. quem Amphitruo vult aſpectu aliarum gloriarum, delere & deluere vnam hanc noxam. Herculem hunc, quà potui, adiuvi: ſequitur

OETÆVS.

14. *- omne cùm ceſſet malum*
Quod terra genuit, pontus, aër, inferi.] Concinniùs Vetus, *omne conceſſit.*

28. *Quodcumque tellus genuit infeſtum, occidit,*
Meaq; fuſum dexterâ, iratis deis
Non licuit eſſe: ſic negat mundus feras,
Animum noverca. redde nunc gnato patrem,
Vel aſtra forti.] Agnoſco ſcholam, & ſententiolas ibi

ibi natas. Tamen, quia ſubtiliora paullùm, diſtinctione iuvemus : *occidit, Meaq́ fuſum eſt* (vocula hæc à libro noſtro) *dexterâ. iratis deis Non licuit eſſe. ſi* (non *ſic*) *negat mundus feras, Animum noverca: redde nunc*,&c. Quidquid monſtrorum (gloriatur Hercules) vbique fuit, nos ſuſtulimus. deorum irâ ad hæc tollenda nihil opus, & præſtiti eos quietos. Si mundus non vlrà feras mihi dat, ſi animum ſuum & benivolentiam abnuit Iuno: quid exſpecto ? da filio adeſſe patri : natura iubet. da forti cælum : meritum iubet.

35. *Properet malum quodcumque, dum terra Herculem*
Habet, videtq́. nam quis invadet mala?] Betâ languidius hoc poſtremum. addo robur, & lego, *invidet*. Quis, inquit, ille qui labores & pugnas mihi invideat ? atqui has depoſco.

40. *Me ſenſit Vrſæ frigidum Scythicæ genus,*
Induſque Phœbo ſubditus, Cancro Libys.] Offendor. nec rectè Septentrionales mihi dixerit genus eſſe Scythicæ Vrſæ. Crede mihi emendanti, *Me ſenſit Vrſæ, frigidum Scythes genus, Induſque Phœbo ſubditus*. hoc verborum ordine & mente, Me ſenſit Scytha, Vrſæ ſubditus : me Indus, Phœbo : Afer, Cancro.

80. --- *Siculus Heſperium latus*
Tangat Pelorus, vt vna iam tellus erat.] Intricata, inepta. Vetus, *Pelorus, vna iam tellus erit*. rectè. Legebam ego, *vna iam tellus eat.*

103. *Aſtro timendum ſpectat Euboicum mare.*] Idem, *Auſtro.*

140. - *quà fugit*
Iſmenos tenui flumine languidus.] Quî convenit rapidum & fugæ verbum huic languenti ? Scriptus, *fluit*.

151. *Nullis vulneribus pervia monſtra ſunt,*
Ferrum ſenſit hebes.] Nullus ingenij ſol hæc illuſtret ſine libro. An monſtra non pervia vulneribus ? aliter iſteipſe Hercules docuit. Bene meus, *pervia membra*. De ipſo heröe illo ſermo. quem tam rigidum & durum ait, vt membra eius reſpuant lædi. Scribe & eodem auctore, *Ferrum ſentit*.

164. *– quota pars vulnere concidit?*
Pro fato patuit vultus iniquior,
Et vicisse sat est Herculeis minis.] Non ceperunt hæc acumina, & corruperunt. Scribe cum meo libro *potuit*, non *patuit*. deinde: *Et vidisse sat est Herculeas minas.* Hoc ait. Ea vis & virtus Herculis, vt vultus eius iratior, sit pro fato: & vidisse eius minas, sufficiat in mortem. Oculi & verba eius, telum. Hæc subtilia: sed quò tam subtilia? Profectò, si inspicis, tota hæc Fabula præter ceteras argutatur, imò tumet, & cum Poëta *– nubes & inania captat.*

167. *Quo vastus Briareus, quo tumidus Gyges*
Supra Thessalicos constitit aggeres;
Hoc vultu riguit.] Quasi velit eundem vultum fuisse Gygis illius & Briarei. Non id mihi bonum. Veteti est, *Qui vastus*: itemque, *qui tumidus*. quod retineo, & mox lego, *Hoc vultu rigeat*: in hunc sensum. Illiipsi Briareus, & Gyges, qui cælum impugnarunt feroces, rigescant & pereant ab hoc vultu.

184. *– me vel Sipyli*
Flebile saxum figat, superi
Vel in Eridani ponite ripis.] Verus hîc Vetus: *saxum fingite.* Superos Iole compellat. & me, inquit, vel Sipylæum saxum facite vt Nioben, vel populum defigite ad Padum.

204. *– referam querulo*
Murmure questus, volucremque Iolem
Turba loquetur.] In meo, *Murmure casus.* &: *Fama loquetur.*

219. *– proh sæpe dolor,*
Formaq; mortem paritura mihi.] An dolor mortis caussa Iolæ? nullus. Ego iam ex sententiâ emendaveram, *sæve decor*, vel *scæve*. & repperi ita in libro.

239. *Purumve claris noctibus sidus micat.*] Noster, *Puríve clarum.*

241. *– fœta vt armento, iacens*
Sub rupe tigris.] Perversè mutatum, cùm in libris esset, *fœta vt Armenia.* Tu repone.

290. *-sum-*

290. *- ſumme protector dûm*
Et clare Titan.] Scribo diviſim, *proh rector dcûm.* & ſtatim, *Herculis coniux timentis.* non, *tumentis.*

320. *- ſæva, iamdudum faces*
In te ferentur, vindicem tellus ſuum
Defendet omnis.] Verba nutricis dehortantis Deianiram à ſcelere, quod omnes hominum gentes vindicabunt. Sed noſter liber illuſtriùs ea & veriùs profert: *ſaxa iamdudum & faces.* Ea duo tela in populi ſeditione & aggreſſu. Virgilius: *Iamque faces & ſaxa volant.* Iſteipſe Poëta, infrà: *Coite gentes, ſaxa & incenſas faces Iaculetur orbis:* in hac ipſâ morte Herculis vindicanda.

335. *-antè ab occaſu dies*
Naſcetur Indis: antè glacialem polum
Scythasve tepidâ Phœbus afficiet rotâ.] Nihil hærebam: ſed Vetus me ſtitit, in quo *glacialis polus* ſcriptum. Ego verò lego & diſpungo: *antè ab Occaſu dies Naſcetur: Indos antè glacialis polus, Scythaſve,* &c. Priùs, inquit, ab Occaſu Ortus erit: priùs Indos glacialis polus tanget, aut Scythas Phœbi rota calidior.

344. *Ire, ire, ad vmbras Herculis nuptam licet.*] Probiſſimè. At Vetus, *Herculi iunctam libet.*

353. *- quid caſum times?*] Nubiloſum dictum, & quaſi hac mente, Quid times eam quæ iam cecidit? Tamen ambigo, ne *caſſum* ſcripſerit: id eſſet, Quid fruſtrà & in vanum times?

359. *Amat vt ipſam, quod caret patrio lare.*] Vetus. *vel ipſum.* optimè. Hoc ipſum, inquit, amat in Iole quod tu pellendo amori eſſe vis: nempe eius miſerias.

362. NVT. *Hoc vſitatum eſt Herculi, captas amat.*] Deleo perſonam Nutricis: & ſermonem continuo.

278. DEI. *Herere, amantes poſt vagos ignes ſolent.*
NVT. *Famulamne & hoſtis præferet gnatam tibi?*] Iterum malè inſita perſona. Tu Deianiram tolle, & Nutricem ſubſtitue: cuius duo ij verſus ſunt.

384. *Deforme foliis aſpicis truncis nemus.*] Apage, ineptè. numquid trunca folia? Vetus ſcriptus, & editus,

Deforme ſolis. Nihil in nemore, præter nudos truncos.

390. *Aetas citato ſenior eripuit gradu.*] Vt fluat ſententia, ſcribe, *& rapuit.*

399. *--quo nimis quiſquis deos*
Orabat vllos: nuribus Argolicis fui
Menſura voti.] Mens compâret, verba quæro. Meus, *quéve mens quicquam deos.* Nec hoc placat aures.

404. *Facibus ſuis me iungat Euryſtheus licet,*
Minus eſt, toros meruiſſe regnantis leve eſt.] In Veteri, *toris caruiſſe regnantem leve eſt.* quod veriſſimum credo. Tanti mihi Hercules coniux, inquit, vt contemnam regum præ eo nuptias: & leve mihi ſit, regnare, ſed carere his toris.

440. *Quem nec noverca peremit, hunc perimes virum?*] Meus, *noverca potuit.* benè. In ſequentibus perſonæ turbant: quas ſic digero, *Perimes virum? Cæleſtis ira q. p. m. facit Humana nullos.* NVT. *Parce m. & time.* DEI. *Contempſit o. i. q. m. priùs. Libet ire in enſes.*

446. *Cur ſæva modicè ſtatuis? vt paſſa es, dole.*] Legebam, *ſæva immodicè.* ex ſententiâ: quam eamdem veriùs fortaſſe præfert liber, *ſæva modicis.* Id eſt, Cur delictis modicis tam ſævam pœnam ſtatuis? ira & vindicta tua, ſint pro culpa. Idem etiam liber, *vt læſa es.*

469. *-& cantu fugax*
Sit deprehenſum fulmen.] Optimè Vetus, *Stet deprehenſum.* teneatur & ligetur cantu, in ipſo illo curſu.

471. *Medius coactis fugerit ſtellis dies.*] Illeidem, *ferveat ſtellis.*

485. *Eſt in remoto ſedis egregiæ loco.*] Reſtitue eleganter ex meo, *remoto regiæ ſedis loco.*

490. *-amoris pignus Herculei manet.*] Vet. *latet.*

493. *Quà celſus aſtris inſerit Pindus caput.*] Idem, *Quà trepidus.*

498. *Vnoq; turpis ſubdidit cornu caput.*] Idem, *turpe.* quod melius. & dicit eum caput ſubdidiſſe, turpe vno cornu.

501. *Euenus altum gurgitem in Pontum ferens.*] Nemo damnet, ſed verior tamen ſententia ſubtiliorque elicitur

tur è Veteri, *gurgitem & pontum.* Cauſſa nimirum duplex Eueni aucti & alti. quòd & ſuas vndas ferebat, & pontum iam acceperat. ſcilicet per æſtum.

503. *Tranſire Neſſus vorticem ſolitus vagum,*
Pretium popoſcit.] Audi Veterem, *ſolitus vadis.* Planè id germanum eſt.

521. *Traditq; nobis vngulâ inſertam ſuâ.*] Meliùs, *vngulæ inſertam ſuæ.* atque ita liber.

525. *Hoc docta Mycale Theſſalas monuit nurus.*] Vetus, *docuit nurus.*

537. *Mentem per artus adeat, & tactus ſinus*
Intret medullas.] Non convenit vox, *ſinus.* Veteri eſt, *tactus imas.* legam, *tactu intimas.*

557. *- perbibat flammas mei.*] Liber, *formam mei.*

565. *Nunc congregetur virus, vt veſtis bibat.*] Emenda ex eodem, *Nunc congeratur.*

684. *Tenuit Latias Dædalus oras.*] In Latióne fuit Dædalus? non nunc ſuccurrit: etſi præfractè haud negem. Veteri meo clarè alia vox fuit, ſed inducta: An, *Italas?* Nam fuit in Italiâ ſanè, id eſt magnâ Græciâ. Cumis, & eo tractu.

702. *Fertur rapido regina gradu.*] Vetus, *Fertur medio.* quid verbi fuit? cogita.

705. *Vultus loquitur quodcumque negas.*] Idem, *quodcumque tegis.*

717. *Thalamiſque demens intuli greſſum meis.*] Et hîc neſcio quid aliud liber reponi ſuadet, *Thalamiſque * ingerens.* Sanè vox, *demens*, incongrua. **mœrens*, procul dubiò.

719. *- ſolibus virus ferum*
Flammiſque Neſſus ſanguinem offendi arguit.] Non negabis quin coniectura noſtra magis ad verum, *ſanguinem oſtendi arcuit.* Nam Neſſus moriens præceperat, ne in lucem daret hoc virus. Suprà: *Hoc nulla lux aſpiciat, hoc tenebræ tegant Tantùm remotæ* (verſ. 531.)

735. *Sic languet omne virus & perdit comam.*] Vetus, *comas.* ſed neutrum placet. & vulnerum plura in extremo hoc Colloquio veſtigia.

738. *Et quidquid illâ tabe contactum est, labat,*
Tumensque tacita sequitur, & quassat caput.] Quis ἀταξίαν non videat? An ad Tellurem hæc aptè referas? numquam. nec illa sanè tacita sequi virus potuit, & caput quassare. Nugæ. Tu scito plagam hîc esse, vel potiùs hiatum. Deest versus aut alter, & hæc de Nutrice, opinor, dicuntur quæ cum filio superveniebat mœsto, mœsta. Itaque παρασκευὴ est, vt solet, ad sequentia.

744. DEI. *Nescio quod animus grande præsagit malum.*] Post hunc versum liber meus duos istos inserit: *Regina triumphi templa Iunonis pete, Hæc tibi patent delubra præclusa omnia.* Quos meæ fidei crede germanissimos esse, & ab Hyllo pronunciari facito, cum leui emendatione: *Regna, triumpha.* Iam, inquit, licet exsultes. vicisti. i, pete templa, sacrifica, sed Iunoni tantùm; cuius odiis gratum tu ministerium & instrumentum. Simile infrà in Choro: *Solaque obductis foribus deorum Templa securæ pateant noverca.* Sequens autem versus, *Effare, qui:* iterum scilicet Deianitæ dandus.

774. *Euboïca tellus vertice immenso tumens*
Pulsatur omni parte. Phryxeum mare
Scindit Capharæus: servit hoc Austro latus.
At quà nivosi patitur Aquilonis minas
Euripus vndas flectit instabiles vagus.] Euboeæ descriptió est, haud scio an exactè vera. Ait Capharei promontorium ad Austrum esse. mallem ad Ortum dixisset, & Geographi mecum. Item, Euripum ad Aquilonem. ille autem certissimò ad Occasum est. Quod legitur, *omni parte:* in Veteri est, *omni latere.* inque eodem, *instabilis vagas.* & statim proximo versu, *Septémque cursus volvit.*

801. *Sic ille gemitu sidera & pontum ferit.*
Et vasta Calpe sonuit, & voces Cyclas
Excepit omnis.] Scio, quòd ad veritatem attinet, ἀνδρώνυς εἶναι ποιητὰς, & tollere iis rem suprà fidem licere: sed tamen cum modo, & decoro. Quod autem hoc tam insolens mendacium, Herculis gemitum è Græciâ producere ad extremam Calpen? Numquam ille scripsit,

ſcripſit, ſed quod liber ſuggerit, *Chalcis.* appoſitè. Nam in eo tractu ad Euripum opidum Chalcis eſt. hanc reſonuiſſe vult, & vicinas Cycladas, itemque Capharidas petras, quas mox addit. In Hiſpaniam quidem mente aut manu numquam iit.

811 *- dumq; tremebundum manu*
Tenuit cadaver, hac manu, inquit, te feram.
O fata, victus Herculem perimit Lycas.
Ecce alia clades, Hercules perimit Lycam.] Valdè placet ſcriptura vetus, diſtinctione adiuta, hæc: *hac manu, inquit, hac ferar, O fata, victus? Herculem perimit Lycas.*

817. *- talis in cælum exſilit*
Arundo, Geticâ viſa dimitti manu,
Aut quam Cydon excuſſit: inferius tamen
Fugiente trunco corpus in Pontum cadit,
In ſaxa cervix.] Lycam deſcribit violentâ & verè Herculeâ manu interfectum. Miſſum eum in altum vult eo impetu, quo ſagitta Getica ſolet aut Cretenſis. Sed in hanc ſententiam nimis quàm meliùs præit Vetus: *inferius tamen Et tela fugient. truncus in Pontum cadit.* Comparat cum teli emiſſione. Tamen, inquit, minus dixi, & illaipſa tela non ſic in altum ierint expreſſa.

835. *Et nota quærit littora.*] Liber, *Fluctiſona quærit.* quod verum.

840. *Deſtituit animus membra, nox oculos premit.*
DEI. *Quid anime ceſſas? quid ſtupes factum ſcelus?*] Prior verſus Hyllo tribuitur, malè. tu Deianiræ, & ſcribe, DEI. *Deſtituit animus.* continenter cum ſequenti. Nam illa ad hanc miſeriarum narrationem animo linquitur, mox ſeſe exſtimulat & armat in ſuam necem. Sed malim & altero verſu legi: *quid ſtupes? factum'ſt ſcelus.*

845. *- tam levis pœnas manus*
Tantas repoſcit?] Præter Deianiræ mentem iſta: quæ vult pœnam hanc levem videri tanto admiſſo. Melius, *Leves pœnas manus Tantis repoſcit*: ſive, *reponit.* Tantis, intellege criminibus.

853. *-perdidi*

853. *- perdidi erepto Hercule*
Et ipſa populos.] Ferre poſſem, niſi liber præluceret ad ſubtilius dictum: *Perdidi ſola Herculem.* quod rectum, ſi tamen legis in ſequenti hemiſtichio, *Et ipſe*: non, *ipſa.* Acutè ad augendum facinus ſuum dicit miſera, Ego Herculem perdidi, ille terrarum orbem. qui ſcilicet morte eius, præda jam feris & tyrannis.

855. *- Coniugem Alcidæ necem*
Optare pudeat: hoc erit votum, manus
A me petatur. occupa ferrum ocius.
Cur? deme ferrum. quidquid in mortem trahit,
Telum eſt abundè.] Hîc quoque argutiolæ pereunt, à me imò à libro ſublevandæ. Ille ſcribit, *hæc erit voto manus.* optimè. Cur necem aliunde, inquit, petam? dabit hæc manus, & expleverit votum. à me eam capiam. Scribe etiam, *Cur deinde ferrum? quidquid* &c. Cur autem ferrum peto? inquit. rupes, ſaxum, & quidquid mortem dare poteſt, mihi pro ferro.

893. *Vinci Hercules non potuit, hinc cœpit mori.*] Sanè acutior, quidquid reiiciant, & Poëtâ noſtro dignior lectio vetus, *cùm potuit.* Dixerat nutrix, Vivit etiam ô Deianira tuus Hercules. Subiicit iſta, At cùm invicta illa virtus vinci potuit (quod veneno meo factum: cui ille non reſiſtit) potuit, imò cœpit jam mori. quaſi velit, vivum illum vinci non poſſe: & hoc argumentum mortui aut certè morituri, quòd victus.

897. *Si te ipſa damnas, ſcelere te miſera arguis.*] Librum audi, *ſceleris te miſeram.*

904. *Lernæa flectens tela furibundâ manu.*] Sagittas Herculeas intellegit, quas miſit in natos, tinctas Lernæâ peſte. Huic rei non convenit *flectendi* verbum. quod damnat Codex, & reponit, *figens.* Sanè figi & defigi ſagittas in corporibus ſcimus.

910. *Fraudem placet punire.*] Vetus, *Placet ſcelus punire.* & invidioſis his verbis factum ſuum ſemper exauget Deianira.

914. *Immenſa peſtis coniugis membra abſtulit.*] Potiùs, *Immerſa.*

928. DEI.

928. DEI. *Quicumque miſero forte diſſuadet mori,*
Crudelis ille eſt. interim pœna eſt mori.
NVT. *Sed ſæpe donum in pluribus veniæ fuit,*
Defende ſaltem dexteram infelix tuam,
Fraudiſque facinus eſſe, non nuptæ ſcias.] Tenebras tibi has illumino, face diſtinctionum. Vide. *Crudelis ille eſt.* NVT. *interim pœna eſt mori.* DEI. *Sed ſæpe donum.* NVT. *in pluribus veniæ fuit.* Extremo etiam verſu lego cum libro, *ſciat*: vt ad Herculem referas.

943. *Meamque fallax vnda decipiat ſitim.*] Vetus, *deludat ſitim.*

948. *-recipe me comitem tui*
Phaſiaca coniux, peior hæc, peior tuâ
Vtrâque dextra es, ſcelere ſeu mater nocens,
Seu dira ſoror eſt, adde me comitem tuis.] Litterula mihi dux ad veri latebras. nam Veteri eſt *tuo*, non *tuâ.* Totum locum lego & interpungo: *peior tuo Vtroque dextra eſt ſcelere, ſeu.* optimâ iſtâ mente: O Medea, cape me tibi comitem. nam & ego manus inquinavi: atque adeò turpiùs, quàm tu vtroque illo parricidio, vel cùm fratrem interfeciſti, vel cùm natos.

972. *Virtúſne ſupereſt aliqua? Sarmatica & manus*
Intendere arcum tela miſſurum valet?
Non arma ceſſent, teque languenti manu
Non audit arcus, ſi poteſt telum dare
Animoſa coniux, dexteram exſpecto tuam.] Legi hæc, ſcio: non intellegi, hoc quoque ſcio. Quæ hæc *Sarmatica manus?* cur Herculi adtributa? quiáne uſus eâ inter Sarmatas? ſomnia. Veteri eſt, *& armata manus.* Tu ſcribe, *armatæ*: & ſtatim, *valent.* Eodem auctore corrige, *An arma ceſſant t. l. m. Non audit arcus?* Iam illa indubiè ſic legenda: *ſi potes letum dare Animoſe coniux.* Nam hoc clamat impos ſui mulier. Tuâ manu, ô marite, mori juvat, ſi vires tibi ad dandam mortem. Dexterâ meâ vti differo, dum tuam exſpecto.

996. *Ita nulla peragas iuſſa, nec peragens mala*
Erres per orbem.] Hyllum alloquitur, & deprecatur ab eo labores ac miſerias patris. Commodiùs

ergo

ergo Veteri, *nec frangens mala.*

1014. *- sed quid hoc? tellus labat,*
Et aula tectis crepuit. excessit minax
Vnde iste cœtus?] Liber, *excussis minax.* placet, si puncta sic mutes: *tectis crepuit excussis. minax Vnde iste cœtus?*

1024. *Peracta iam pars matris est, statuit mori,*
Nunc nostra superest, mortis auferre impetum.
O misera pietas, si mori matrem vetas,
Patri es scelestus.] Melius fuerit, certè clariùs; *Nunc nostra superst. mortis aufero impetum?* Hyllus enim animi inconstans hæc dicit. & quid ago? inquit. prohibeo matrem mori? in patrem pecco, quem illa interfecit; ideoque mori meruit.

1032. *Tangens Threïciam chelym.*] Vetus, *Pieriam.* probè.

1037. *Oblitusque sequi fugas*
Amisit liquor impetum.] Credo, *fugax.* Distinctiunculâ juva.

1047. *Abrupit scopulos Athos*
Et iuxtà Rhodope stetit.] Imò, *Rhodopen.* Nam sub ipsâ Rhodope ceciniſſe Orphea vult: ad quam scilicet Athos accesserit. Atque ita liber.

1061. *Manes commonitos adIt.*] Idem, *Manes cùm tacitos.* nec aliter sententiam vllam feceris: *AdIt* autem accipe quasi *Adiit*, vt suprà monui. (ad Medeæ vers. 248.)

1123. *Quis tantum capiet nefas*
Fati? quis superis locus?] Adsentior libens meo Codici, *Fratrum* scribenti, non *Fati.* Hoc ait. Quis trium fratrum, inter quos divisus orbis, vnus capiet omnia, cùm vnum erunt omnia? Scis de Iove, Neptuno, Dite. quibus trinum imperium, trino elemento.

1132. *- atrâ nube inhorresçat polus.*
Obsta novercæ, nunc pater cæcum chaos
Reddi decebat.] Scribo, *novercæ.* Precatur Hercules lucem & solem eripi, & nubium velum intendi, ne Iuno videat & triumphet in Hercule moriente.

1162. *Cùm pænè trepidis excidit Titan equis.*] Bonum hoc, bonum: sed an germanum? Negat liber, qui præfert,

Cùm

Cùm penè laſſis. Scribam, *lapſis.* metu videlicet viſi Cerberi vult ſuccidiſſe Solares equos.

1171. Nullum malum proſternit: impendo malè
In nulla vitam facta.] Elegantiùs liber: *impendo, hei mihi, In nulla v. f.* Quam eamdem eiulationem repono verſu iſto

1180. - cadere potuiſſem mihi
Iunonis odio.] Lego inquam, *hei mihi.*

1189. Adhuc ferebas eſſe te Alcidæ parem.] Cùm nexum ſententiæ conſidero, ſuadeor legere, *Adhuc fremebas.*

1199. Vbique me mors fûgit, vt leto inclyto
Fortis carerem.] Audio te, quiſquis es, bone boni libri Scriptor: *telo inclytæ Mortis carerem.*

1217, Eheu, quis intus ſcorpius, quis fervidâ
Plagâ reverſus cancer infixus meas
Vrit medullas?] Quantò ille idem meliùs? *Heu qualis intus ſ. q. fervidâ Plagâ revulſus.* Vult ſcilicet vi ablatum & dereptum è cælo in ſuam peſtem.

1224. - abſtulit coſtis iecur.] Aliquoties jam antè *iecur* nominatum. veriſſimè liber, *latus.* In coſtis ipſis, inquit, adeſum, nec jam compâret latus.

1236. Aſtris ab ipſis detulit Stymphalidas.] Scriptum *depulit.*

1244. - ô vires prius
In me ſepultæ.] Vetus, *vbi vires.* Diſtinguam, *vbi vires priùs In me? ſepultæ.*

1259. Quæcumque peſtis ſæva, quæcumque effera es,
Palàm timeres.] In libro, *peſtis ſive.* concinno ex hoc reliqua, *ſive quæcumque es fera.* Ambigit an peſtem hanc dicat, an feram aliquam intrà ſe latentem.

1274. Flentem, gementem, ſumme protector poli,
Me terra vidit.] Rectũ eſt, *proh rector.* atq; ita liber.

1284. Fletum virtus ſæpe reſolvit.] Valdè fallor, aut, ex reipſâ & ſequenti imagine, legendum: *reſorbet.* Comprimit virtus lacrimas, & jam labentes tantumnon devorat & abſorbet.

1301. Gigantа, crede, non minùs verum mihi
Aſſerere potui: dum patrem verum puto,
Cælo peperci.] Reformo in alium & pulchriorem ſenten-

ſententiæ habitum ex Codice noſtro, in quo *cælum*, pro *verum*. Optimè. Diſtinguo, *Giganta crede. non minùs cælum mihi Aſſerere potui.* Nempe Hercules doloris impotens Iovem invocat vt ſe fulminet. Quídni? inquit. olim gigantibus feciſti: crede & me vnum ex illis. Viribus certè non inferior, potui & cælum perfringere: niſi peperciſſem, ob te patrem. Hæc prælta & tumida: quis neget? ſed nimirum eiuſmodi complura in hac Tragœdiâ φυσήματα & μῶλγοὶ.

1332. Adhuc malis feriſque ſuppoſitus fores,
Si me tuliſſes. vindicem veſtrum malis
Excipite.] Scribe, *Ni me tuliſſes.* & ſtatim, *Eripite.*

1345. - ſed vmbræ ſimile neſcio quid mei
Agnoſce mater.] Nec damnes Scriptum, *umbram & vile neſcio quid.*

1361. - quæ plaga inferni poli
Vetans flagranti currere in Zonâ diem?] Dici de polo poſſit nobis depreſſo & minùs ſublimi, ſtultè. Aſſentiamur libro, *plaga ignifera poli.*

1582. - qui Thracios fluctus Athos
Frangit, Tonantis fulmen excipiens Iovis.] Spurium hoc & ſpurcum depurat liber, *Frangit, Ioviſque fulmen excipiens minas.* ſi tamen juves & corrigas, *Minas.* qui mons inter eximios, & ſæpe huic noſtro aliiſque dictus.

1402. - ille nimius impulſus dolor.] Vetus, *impuſſans dolor.* Credo, *impulſans.*

1427. Miſereque nato ſimilis Alcmenæ nepos.] Imò, *fato ſimilis.* quod & vetus editio habet: quam (ignoſcite, & tamen agnoſcite, Critici) millies depravaſtis.

1437. Video nitentem regiam clari ætheris.] Herculis alucinantis verba, & propinquâ morte, cælum ſomniantis. Sed Vetus, *Video intenſam.* ex quo lego: *Videóne terſam.*

1441. - ora Phœbæus modò
Afflabat axis, tam prope à leto fuit.] In eodem ſuo delirio hæc enunciat, & eidem rei. Itaque optimè liber, *tam propè à cælo fui.* Hem, inquit, vbi ego nunc? iterum in terris? paullò antè juxta Phœbum.

1488. Eſt clara, captas inter incultas, genus

Regumque

Regumque referens, Euryto virgo edita.] Profert hæc ad Hyllum Hercules, cui tradit ſuam Iolem. Veteri eſt, *incultum*, non *incultas*. Ex eo ego, *incultum genus*. & *Regnumque* potius, quàm *Regnum*.

1491. *Victor cruentus abſtuli patrio à lare.*] Liber, *patriam, lares*. benè.

1506. *- parce iam lacrimis meis.*] Idem, *lacrimis, parens*. quod certè verum.

1508. *Quid tale Iuno peperit, ætherium gerens*
Sceptrum & Tonanti nupta?] Ille ipſe, *Quid tale genuit, peperit*. omiſſo Iunonis nomine: quam hîc deſignari ſaltem videatur elegantius.

1530. *Quando, proh Titan, vbi, quóve ſumme*
Herculem in terris alium ſequéris?] Scriptura palàm melior, *vbi? quo ſub axe?*

1557. *Æacumque inter geminoſque Cretas*
Fata diſcernens. fieri tyranni
Parcite ô dices, inhibetë dextras.] Etiam hîc: *Fata diſcernens, feries tyrannos*. Ponit Herculem apud inferos quartum judicem futurum, & qui propriè, vt olim vivus, puniat tyrannos.

1588. *Non duces ſævos miſeranda tellus*
Habeat, nec ullâ dominetur aulâ.
Quî poteſt ſolum decus eſſe regni
Semper intenſum tenuiſſe ferrum.] Verſus alter nónne clarè labat? Erige, *Horreat, nullâ*. Nam Sapphici ſunt, puri, puti. Lege etiam connexè, *aulâ Cui poteſt*. item, *impenſum*, è libro, non *intenſum*. Senſum hunc effice. Nuſquam imperet, cui ſolum decus ſceptri eſt, occupatum ſemper habuiſſe ferrum.

1594. *Ecquid hoc? mundus ſonat.*] Vetus, *Heu, quid hoc?* Quem audi, & me ſcribentem, *tonat*. *Mundus* enim huic Poëtæ (nec ſine exmplo) ferè ſemper Cælum.

1622. *- Chaonis quondam loquax*
Stat lata vaſti quercus.] Non nego. tota hæc deſcriptio exſtructi rogi moleſta, odioſa. quid facias? aut ne lege, aut corrige: *Stat vaſta latè*, traiectu verborum.

1628. *– tunc cadens lentâ morâ*
Duxit ruïnam.] Reperio in Scripto, *cadens latam sui.*

1651. *Victure felix. has enim numquam irritas*
Mittes in hostes.] Verba, quîs Hercules sagittas porrigit Philoctetæ. Ea in libro meliora: *Virtute felix iuvenis, has numquam.*

1720. *– est nostros manus*
Quæ tendat arcus. Scribe & σχωμματικῶς pronuncia, *en, nostros.*

1724. *Rogat ecce iam me genitor.*] Decorúmne vt Iuppiter roget? Negat ratio, & liber qui habet, *Vocat.*

1731. *Tantum ingemiscit ignis ad durum iecur.*] Concinniûs feceris, *ignis. ah durum iecur!*

1746. *– cumque iam forti datum*
Leto satis pensavit, igniferas trabes
Hinc inde traxit, nimia quas flamma occupat
Totasque in ignem vertit.] Scribe, *minima quas flamma.* Nam hoc vult longâ & affectatissimâ narratiunculâ, Herculem postquam probavit satis parem se dolori & cuicumque ferendo leto, trabes rogi corripuisse & ad se traxisse, quæ minimum etiam ustæ: scilicet vt totus toto rogo iam perurereretur.

1754. *– sed quid hoc? mœstam intuor*
Sinu gerentem reliquïas magni Herculis,
Crinemque iactans squallidum Alcmene gemit.] E Veteri legas, *sed quid hanc mœstam intuor Sinu gerentem?* & *Cinerem*, non *Crinem.* Quod planè verum reor, si rescribas in fine, *gerit.*

1761. *Hic tumulus ille est. ecce vix totam Hercules*
Complevit vrnam.] Acue sententiam, & lege, *illi est.*

1819. *Hîc pax cruento rege prostrato data est,*
Vbi enim negata?] Illustriora hæc facio: *Vbi ei negata est.* sine interrogatione, & voculâ additâ è libro. Sensus. Hîc Thraciæ vniversæ pax est data, postquam Diomedi vni negata est: quem interemit.

1867. *Ille*

1867. *Ille tyrannus iussit Stygias*
Penetrare domos, populisque mandans
Ponere ferrum.] Chorus in laudem Herculis pronunciat. Scribo autem, *tyrannos.* Deinde, *populisque madens:* egregiâ & verâ correctione. Nam vulgatum illud versus abnuit, & structura dictionum. Mens est. Herculem tyrannos misisse ad inferos, & tinctum cruore populorum ferrum iussisse deponere.

1895. *- Flete Alciden*
Quòd non stabulis vescitur infans.] Ego tibi adfirmo scribendum, *nascitur infans.* Flete, inquit, Herculem: cui debetis, quòd non nascuntur vobis pueri, futuri pabulum equis.

1920. *Teque in primo limine Ditis*
Monstra morantur?] Nihil hîc *monstra* valent. lege cum libro, *Fata.*

1968. *Proinde luctus pone, quos gnato pater*
Genetrix inerti.] Legam, *gnato paret*, Vetus autem *Meretrix* suggerit, pro *Genetrix:* nec video quî approbem.

1979. *Et numen, & te mundus æternus tenet.*] *Mundus*, id est Cælum. Tamen liber, *numen æternum.* haud improbè. Sequenti versu velim, *Io triumphe.* Et vsurpo libens, post, longam cum vitijs in hac Fabulâ pugnam. quæ ipsa (vno verbo dicam) vitium: nec in vllo scripto manifestius φρύαγμα & ὄγκος. Pergo

AD THYESTEN.

Quæ Fabula bona, & in manibus est minus maculosa. Eo hic ego brevior.

Vers. 1. *Quis me furor nunc sede ab infaustâ extrahit?*] Tantali verba emergentis ab inferis, sed cum occultâ labe. Téne Furor extrahit? nullus, sed Furia ipsa, Megæra. Assentiamur igitur meo libro, *Quis me inferorum sede ab infaustâ extrahit?*

9. *Aut pœna Tityi, ſemper accreſcens iecur*
Viſceribus atras paſcit effoſſis aves?] Illeipſe hîc hemiſtichio auctior: *Aut pœna Tityi, qui ſpecu vaſto patens.* & ſubiungit deinde, *Semper accreſcens iecur.* Defectúſne eſt? an illa ab adtextu?

54. *Ornetur altum culmen, & lauro fores.*] Leve eſt: ſed nota fidi libri. qui præfert, *altum columen.*

59. *Ecquando tollet ignibus iam ſubditis*
Spumante ahëno? membra per partes eant.] Meliùs diſtinxeris: *Spumante ahëno membra?*

93. *- moneo, ne ſacræ manus*
Violata cæde, néve furiali malo
Aſpergat aras.] Imperandi formula ſcribe, *Violate:* itemque, *Aſpergite.*

105. *- iam tuo mœſtæ pede*
Terræ gravantur.] Elegantior lectio ſcripta: *tuum mœſtæ pedem.*

170. *- ſtat miſer obvios*
Fluctus ore vocans.] De Tantali inexſtinctâ ſiti. cui verbum aptius præfert Codex, *ore petens.* Nam captat ſanè ideintidem, non ſolùm advocat laticem.

228. *Aurata reges ſceptra Tantalici gerunt.*] Vetus, *Tantali:* ego, *Tantalei.*

237. *Pars nulla noſtri tuta ab inſidiis vacat.*] Idem, *Pars nulla generis tuta.*

300. *Maliſque feſſos gravibus & faciles capi*
Preces movebunt.] Quem cur non & hîc audiam? *Prece commovebo.*

330 *- multa turbatus ſolet*
Detegere vultus.] Vetus, *multa ſed trepidus ſolet.* Vtrumvis rectum.

387. *Rex eſt qui metuit nihil.*] Ex Manuſcripto & meo & Fabricij verſiculus addendus, *Rex eſt quique cupit nihil.* Cur autem eum deleant? plenitudo ſententiæ poſtulat. nec aliter verè hoc regnum conſtat, niſi duplicem affectum adimas, Spem & Metum.

441. *Pater poteſt regnare:* THY. *cùm poſſim mori.*] Subobſcurum hoc reſponſi legam, *Potes regnare.* THY. *quin poſſum*

possum mori. Nempe impellunt filij (heu, improvidi) Thyestem ad eundum: & spe inprimis regni. Ambigis pater? ecce, in propinquo sceptrum. Respondet ille haud vanè timidus, Sed & mors fortasse in propinquo.

459. *- non ventrem improbum*
Alimus tributo gentium. nullus mihi
Vltra Getas metitur & Parthos ager.] Hoc dictum de multitudine servorum, ad verbum è Senecæ prioris Epistolis sumptum moneo. cuiusmodi multa adnotare tibi possim in his Fabulis, studio quodam ab eo viro sumpta. Versu tertio, *metatur*, legit Codex, & cum eo ego. *Metabat sese circum loca*, in Poëta veteri lêgi.

464. *- nulla culminibus meis*
Imposita nutat silva, nec fumant manu
Succensa multæ stagna.] O suaves hîc Interpretes! Stagna aiunt succendi, vt fundus dulcior, dulciores reddat pisces. Tu scito de Balneis domesticis & ambitioso in eas apparatu Poëtam loqui. Non attigissem, nisi jussisset deus Risus.

487. *Eatur, unum genitor hoc hortamen est.*
THY. *Ego vos sequor, non duco.* PLIS. *Respiciat deus.*] Quod *hortamen vnum?* quæ sana hîc mens? Egregiam emendationem præit liber. *unum genitor hoc testor tamen, Ego vos sequor, non duco.* Continenter hæc Thyestes dicit evictus tandem suadelâ sive precibus liberorum, Age, inquit, eamus. tamen hoc pater vobis testor, sequi me non ducere.

524. *- ornatus cape,*
Quales mei.] Vetus, *Pares meis.*

578. *Scylla pulsatis resonat cavernis,*
Ac mare intortum timuëre nautæ.] Frigidum hoc, si attendis. Quid mirum, si Scyllam iratam nautæ timeant? vilius, quàm pro re, dictum. Scriptus: *Ac mare in portu timuëre nautæ.* Quod verum fateberis, si rimaberis. Nam hoc ait. Cùm Scylla sævit & tempestas vbique atrox: nautæ vix in portu securos se putant, illîc etiam timent. at cùm serenum rediit, non solùm naves sed & cymbæ persultant, & contemptim ludunt in illoipso

freto. Sequentia vide. huc adigunt.

603. *Anxius ſceptrum tenet, & moventes*
Cuncta divitias, metuitque caſus
Mobiles rerum, dubiumque tempus.] An rex divitias timet? vovet ſcio. Sed alienas fortaſſe. quia nihil tam ſanctum, quod illæ non violent; tam firmum, quod non expugnent. ὕθλοι. Alij ſubſtituunt, *dynaſtas*: contrà verſuum legem. Librum meum, ſi ſapis, approba: *divinat metuitque caſus.* Rex, inquit, ſemper in metu: & ſi præſentia bona, tamen divinat & præſagit caſus fallaces & ſumma imis miſcentes.

639. *Non quæro quis, ſed vter effari ocius.*] Labat verſus. In Scripto lêgi, *Non quæro quid ſit, ſed vtrum eſt effare*, nec hoc rectè. Caliginem in hac feſtinatione non dimoveo.

640. *In arce ſummâ Pelopis, vna eſt pars domus.*] Aſſentior magis Veteri: *Pelopeæ pars eſt domus.* Nam *Pelopeum*, brevi penultimâ, vt *Dioneum* Catullo.

649. *Arcana in imo regia ſeceſſu patet.*] Si arcana, quomodo patet? Liber, *iacet.*

993. *Contrectat, & componit, & ferro admovet,*
Accendit ipſe. nulla pars ſacri perit.] Non prætervolat me ſcripta lectio, *Attendit ipſe*: & mirum, ni vera. Vult eum attentè obſervaſſe (vt ritus) motus geſtuſque novarum iſtarum hoſtiarum: volentes ſe darent ad ſecurim, &c. Nam de igne accenſo, haud æquè narrationi faciat. Tamen.

740. *Pectore receptus enſis, in tergo exijt.*] Liber, *in tergo ſtetit.*

821. *Tenebraſque iubet ſurgere, nondum*
Nocte peractâ.] Minimè verò *peractâ*: ſed vt libri veteres, *paratâ*. Ecce enim Sol ſeſe condens Noctem inducebat & ſurgere iubebat ante tempus, ideoque imparatam. Habes Thyeſtem; muginor nunc tibi

IN OEDIPVM.

Vers. 1. *Iam nocte pulsâ dubius effulsit dies.*] Haud damnes. tamen purius germaniusque censeam quod in libro, *Iam nocte Titan dubius expulsâ redit.* Sanè vocula *dies* parum amœnè mox repetitur.

4. *Iam cernet avidâ peste solatas domos.*] Idem habet, *Prospiciet avidâ.*

34. *Incolumis ergo, scilicet Phœbi reus.*] Amplector Scriptum, *Incolumis adsto.*

42. *– tenuis Ismenos fluit*
Et tingit ipsâ nuda vix undâ vada.] Liber, *tingit inopi.* quis non præferat? Et statim, *nubilo pallet die*: non vt vulgò, *pallet novo.*

61. *Properatque vt alium regerat in eumdem rogum.*] Idem, *vt alium repetat.* Hæc sanè sententia est. Parens à funere properat ad funus, & petit alium quem comburat.

93. *– cruentos pestis infandæ tuli*
Rictus.] Idem, *vatis infandæ.* De Sphynge sermo.

95. *Cumque è superbâ rupe iam prædâ imminens*
Aptaret ales verbera, & caudam movens
Sævi leonis more, conciperet minas:] Primo versu, nescio an *superâ* meliùs. altero scribo, *Aptaret alas, verbera & caudæ movens.* In libro quidem meo est, *caudæ.* Describit in Sphynge violentam famem & rabiem. Iam, inquit, alas explicabat ad me involandum, iam caudæ verberibus se stimulabat, solitum leoni.

101. *Nodosa fortis verba.*] Vides verum esse, *sortis.*

174. *Vaga per tutos simulacra virûm,*
Maiora viris.] Malim, *Maiora veris.* Hæc opinio veterum, manias istas & mortuales imagines, semper apparêre suprà verum humanumque statum. Nostra ad XI. Taciti vide.

186. *Multoque genas sanguine tingit.*] Convenit cum notâ Thucydidæâ in Peste, qui ὀφθαλμῶν ἐρυθήματα appellat: sicut & Lucretius facit *– oculos suffusâ luce rubentes.* Tamen Codex noster *tendit* præfert, haud malè: vt

multo illîc concurſu ſanguiuis tendi velit & horreſcere pellem.

243. Siquid video, Perſonarum diſcrimen mutandum, & hoc faciendum:

CR. *Queritur peremptum nemo, quem incolumem timet.*
OED. *Curam perempti maior excuſſit timor.*
CR. *Pium prohibuit vllus officium metus?*
OED. *Prohibent nefandi*, &c.

270. *Ita molle ſenium ducat, & ſummum diem*
Securus alto degat in ſolio parens.] Oedipi votum & iuratio eſt, Ita pater mihi, inquit, quietè moriatur in ſuo regno. Sed nònne meliùs huic ſententiæ liber? *alto reddat in ſolio.* cenſeo. Nam & veteres vulgati, *regnet*, non *degat.*

280. *Vnde altus ima deſerit, cælum petens.*] Parnaſſum deſcribit attollentem ſe & aſſurgentem. legit Vetus. *altus arva deſerit.* rectiſſimè.

334. *Pudet deos neſcio quid. huc properè admove.*] Liber, *propè admove.*

338. – *expavit diem,*
Trepiduſque vultum obliquat & radios fugit.] Proba, ſed an ſincera? negat liber, qui ſuggerit: *vultum ſolis & radios.* Multa autem hîc & rara notabis ad Ritualia ſacrorum.

341. *Iuvenca ferro ſemet oppoſito induit.*] Vetus, *impoſito.* De ſecuri, non malè. Silius XVI.

Victimaq; admotæ ſtabat ſubiecta ſecuri.

Vulgata tamen recta, de cultris quibus cadentem excipiebant & iugulabaut.

373. *Quod hoc nefas? conceptus infauſtæ bovis.*] Liber, *innuptæ bovis.* Atque ita ſanè duplex monſtrum: quod nec ſuo loco fætùs, quod nec in vaccâ. Supra *iuvencam* appellavit: & ſolent tales eligi ad ſacra.

377. *Infecit arctas lividus fibras cruor.*] Malo cum libro, *Infecit atras.*

382. *Vox eſt, nec vſquam territi fugiunt greges.*] Legebam, *Mugiunt greges.* appoſitè. At liber ſuadet, *reſonant*: quod magis approbiim, quia mox *Mugiendi* vox iteratur.

390. *Concinit tædas geminus Cupido.*] Ex ritu antiquo egre-

egregiè liber, *Concutit*. Scis in nuptijs faces præferri solere, & plerumque à pueris. Huc respiciens vult Bacchi & Ariadnes cætui præluxisse Cupidinem vtrumque.

536. *- silva iam fessâ cadens*

Radice.] Scribe, *illa iam*. auctore libro. Nec enim de silvâ totâ loquitur, sed divisim de arboribus. Hæc, inquit, ramos amisit: istam iam radix non tenet, &c. Vide versus ipsos. Quod semel monitum, semper fac. Quis enim tibi fructus aliâs ex breviculis his Notis?

551. *- ipse funesto integit*

Vates amictu corpus, & frondem quatit.] Quam *frondem?* Taxum, cupressum, aut similem aliquam feralem ramum? Nòn abnuam. nisi quod prævalet apud me Codicis scriptura, *frontem*. Nam frontem quatere, mæsti aut irati solent: nec disconvenit infero huic sacro.

620. *- atque ab omni dissidet turbâ procul.*] Illustra, & scribe, *desidet*, cum meo libro. Nempe vult Laium, qui invitus & vi violentâ carminis protractus ad superos, procul se remosse ab alijs & solum resedisse, seque occultantem.

634. *- prima qui sævæ necis*

Sceptra, & nefandos occupat matris toros.] Præfero quod in meo est, *prænia qui*: sive quod in priscâ editione, *pretia*.

688. *Certissima est regnare cupienti via,*

Laudare modica, & otium ac somnum sequi.] Non hercules, *sequi*; nòn: sed, *loqui*. quod adserit Vetus. Nam ita est. qui regno occulti imminent, regnum & alta sermone detestantur, vt re assequantur. Prudentissimus Historicorum: *Simulatorem segnitiæ, dum temeritati locum reperiat.*

685. CR. *Parûmne me tam longa defendit dies?*

OED. *Aditum nocendi perfido præstat dies.*] Liber vtrobique sufficit *fides*, pro *dies*. Ego libens audio.

701. *- Quisquis in culpa fuit*

Dimissus, odit omne quod dubium putat.] Tenebræ in hac sententiâ: quas mirabor, siquis penetrabit. Ego dispelli eas censeam, vicibus paullùm compositis, aut

correctis. *Quisquis in culpâ fuit Dimissus, odit. omne quod dubium, puta.* Sententia biceps. Primùm ait, Omnem qui accusatus & dimissus, odisse eum apud quem, & ob quem, in periculo. Deinde universè hoc Regibus præcipit. de quo ambigis, pro certo habe: & culpam ambiguam, puni vt veram. Vide adiuncta, videbis verum me vidisse.

769. Cecidisse nostri stipitis impulsu obvium.] Liber, *stipitis pulsu:* favente versu.

793. Gravem paterna regna discutiunt metum.] Et hîc ille aptiùs: *Omnem p. r. discutient metum.*

803. Quod subditicij præmium gnati petit?] Liber, *subditivi*, &, *petiit.* notâ lapsi temporis: utrumque rectè.

887. Lene sed modicum fluens
Aura.] Concinnem ex vestigiis scripti: *Lenis & modicè fluens.*

1005. - qualis attonita & furens
Cadmæa mater, abstulit nato caput
Sensimúe raptum traxit: afflictum alloqui
Cupit, pavetq;.] Hæc verò inepta. Scilicet in furore illo sensim & leniter caput avulsum traxerit Agave? aut hæc ad similitudinem faciant, quam instituit Poëta? nihil. Liber meus: *Sensitúe raptum dubitat.* Ex quo aptissimè apto: *Sensitque raptum. dubitat, afflictum alloqui Cupit, pavétque.* Qualis, inquit, Agave cùm furens filio caput abstulit & mox facinus sensit, attonita stetit, probaret an damnaret facinus, fileret an loqueretur: talis hîc Iocasta.

1009. IOC. *Cupiunt & horrent ora. nam quid te vocem?*] Alia in Scripto lectio: *Et hæret ore prima vox. quid te vocem?* & quidem omissâ Iocastæ personâ. Ego valdè approbem, si tamen rescribas, *Sed hæret.* itemque diffindas versum, & Iocastam inseras ante hæc verba, *Quid te vocem?*

1012. - OED. *quis frui tenebris vetat?*
Quis reddit oculos? mater, an matris sonus?] Verum censes: *matris en, matris sonus.* atque ita liber. Adfirmatè hoc dicit indignans Oedipus. Quid juvat eruisse oculos

ne vi-

ne viderem matrem? ecce audio, & taminor ab illo ſenſu. Silet Oedipus: opem meam poſcit

HIPPOLYTVS.

Quæ tamen Fabula, veteri meo libro PHÆDRA inſcribitur: neque nullâ de cauſsâ.

Verſ. 13. *Vbi per glacies lenis Iliſſus,*
Vbi Mæander ſuper æquales
Labitur agros.] De Atticâ ſermo. ubi igitur in eâ glacies, aut fluvij glaciati? ambigo. An non, *per glareas?* contractâ in biſyllabam voce, ob verſum. Vt velit Iliſſum per ſcrupos & ſaxa volui, Mæandrum per æquabiles arenas. Videatur. niſi vitium tamen maius, nonnullo indicio librorum. Nam meo, ecce, totus ille ſecundus verſus abeſt: idque, cùm bis in eo (neſcio quo caſu) ſcriptus primus hic Actus. At editioni priſcæ, abeſt totus primus. in quâ *Melanes* etiam eſt, non *Mæander.* Cogita. nam calidè hæc me ſcribere, vides.

162. *Quid pœna præſens, conſcius noctis pavor?*] Benè. Nam nocte plerumque inquietat ſcelerum memoria. Tamen meo eſt, *mentis pavor.* non minus rectè.

235. NVT. *Reſiſtet ille, ſeque tractandum dabit?* Hæc cum ſequentibus Nutrici tribuuntur. nolim. Ego Phædram ea dicere velim, ſed affirmantem, non rogantem. At huic verſui perſonam Nutricis dederim: NVT. *Tibi ponet odium.*

261. *Prò caſtitatis vindicem armemus manum.*] Nec hoc placet in Nutrice. Da Phædræ: & obiter corrige, *Pro caſtitate.* Mori enim illa præoptat, quàm pudorem violare. quod tamen impedit Nutrix, quæ mihi jam dicat, NVT. *Sic te ſenectus noſtra.*

277. *Iſte laſcivus puer, acrè nitens.*] Malim, *ac renidens.* Fallaci quodam riſu, Cupido. Satim, *moderatur arcus* ex Veteri.

286. *Quæque ad occaſus iacet ora ſeros.*] Probè, neſcio an verè.

verè. Liber arguit: *Quæque ad Heſperias iacet ora metus.* Nec moveor, quòd verſus non ad Grammaticam legem. permutat enim interdum pedes hic Poëta: vt mox, *Si qua Parrhaſiæ glacialis vrſæ.* Ita enim liber.

305. *Perque fraternos, mala regna, fluctus.*] Vetus, *nova regna.* Iovi nova: cui regnum, cæli.

332. *– quaque ætherio*
Candida mundo ſidera currunt.] Idem, *quaque per ipſum Candida mundum.* Interpolarunt ij, quibus *Mundum ἁπλῶς* pro Cælo dici, novum erat.

356. *Altrix profare, quid feras? quònam in loco eſt?*] Actus ſecundi hoc initium, ſed planè *παράλογον.* Quid enim roget Phædra de ſucceſſu alloquij, cùm vix digreſſa ab eâ Nutrix? Sed nec ſequentia, ad hanc mentem. Liquet mihi tranſpoſitum verſiculum, & infrà alibi inſerendum: ac mirum ni illic, vbi Phædra ad aſpectum Nutricis in hæc decorè erumpat: tum denique viſo etiam Hippolyto concidat. Suffici igitur cenſeam poſt verſum.

584. *Quo ſe dabit fortuna, quò verget furor?*
PHÆ. *Altrix profare, quid feras; quonam in loco eſt?*
NVT. *Terrâ repentè,*] Vide.

368. *Nec ſe quieti reddit,*] Vetus, *Nunc ſe.* Dat quidem ſe quieti, ſed illa non admittit.

403. NVT. *Depone queſtus, non levat miſeros dolor,*
Regina. ſævis ecquis eſt flammis modus?
Agreſte placa virginis numen deæ.] Auſim hæc traiicere, ſic: NVT. *Regina ſ. e. f. modus? Sepone queſtus: non. l. m. dolor. Agreſte p.* Res ſuadet.

444. *Mentem relaxa. motibus feſtis facem*
Attolle.] Liber, *noctibus feſtis.* quod valdè approbo, & ſcio hęc dici de nocturnis ſacris Triviæ. Propertius.

Cum videt accenſis devotam currere tædis
In nemus, & Triviæ lumina ferre deæ.

513. *– ſive fons largus citas*
Diffundit vndas.] Idem, *Defundit.* aptiùs.

520. *– ſi celer ſomnus premit*
Secura duro membra verſantem toro,] Idem, *certior ſomnus. &. verſantur toro.*

531. *-non*

531. *- non vasto aggere*
Crebraque turre cinxerant vrbes lacus.] *Lacus* interpretantur Fossas quibus vrbes cinctæ. Cur librum non magis audiam, *latus*, scribentem? Vrbes enim sibi latus cingunt & claudunt aggeribus murorum & turribus.

591. *Cur dulce munus reddita lucis fugis?*
Aude anime, tenta.] Personis hæc variari placeat:
HIP. *Cur dulce m. r. l. fugis?* PHÆ. *Aude anime.*

604. *Vos testor omnes cælites hoc quod volo.*
HIP. *Animúsne cupiens aliquid effari nequit?*] Fallor. aut bonæ lectionis & sententiæ mihi liber auctor: *Vos t. o. c. hoc quod volo Me nolle.* HIP. *Animusne cupiens aliquid effari nequit?* Phædra aperire amorem cupiens, vim eius primò aperit. Et dij mihi testes, inquit, cupere me quod non cupio, velle quod nolo. sed adigit sævus & invictus ille deus. Nimiùm sanè hæc bona. Sed versus, inquies, spernit. Iam antè (ad Thebaid. vers. 318.) monui, inseri interdum dimidiatos istos versiculos, sententiâ poscente, nec sine graviorũ vatum exemplo. Quod si concinnare tamẽ versus placet: deleam *τὸ aliquid.* & legam, *cupidus.* pro *cupiens.*

619. *Muliebre non est, regna tutari patris.*] Germanum credo, *tutari vrbium:* vt in libro.

620. *Cives paterno fortis imperio rege:*
Sinu receptam supplicem ac servam rege.] Lege è Scripto, *ac servam tege.* Præivit *regendi* verbum: & iucundâ paranomasio *tegendi* subdit. haud paullò aptiùs ad Phædræ mentem & votum.

658. *Et genitor in te torvus, & torvæ tamen*
Pars aliqua matris.] Credo veriùs, *in te totus*, fide libri.

767. *Langueſcunt folio lilia pallido.*] Insertâ voculâ Vetus, *vt lilia.* rectè.

782. *Lasciva nemorum multivagæ deæ,*
Panes quas Dryadas montivagi petunt.] Dic verum. hæc capis? non puto. Liber meus, *Panasq; Driades montivagos.* Emendo, *Panas quæ Dryades montivagos.* Mens & ordo verborum. Te Hippolyte lascivæ deæ petent ob tuam hanc formam: illæ ipsæ Dryades, quæ Panas & Satyros solitæ

ſolitæ furtim petere.

823. Deformis ſenij limina tranſeas.] Hoc ſanè aptum,&, puto, verum. Quid ſcriptura tamen vetus vult, *ſenij monſtret imaginem?*

826. In ſcelere quærit crine lacerato fidem.] Emendant, *Et ſcelere.* Meo fuit, *In ſcelera.* quod valdè probo. etſi deletum id, & repoſtum, *En ſecla!* quod ipſum haud ſpernam, deteſtandi & admirandi quâdam formâ.

852. Et lumine in ipſo vaſta lamentatio.] E Veteri, *In limine ipſo mœſta.* optimè.

974. -hominum nimium
Securus, ades non ſollicitus
Prodeſſe bonis, nocuiſſe malis?] Opinor ſcribendum, *Securus audis.* Cur tu ô magne Deus, inquit, cùm cetera mundi cures & dirigas, culparis tamen & audis ſecurus hominum? Nam vetus & ſolita hæc deblacteratio in Deum.

1022. Latuëræ nube numen Epidauri dei.] Hoc perplexum Vetus evolvet, è quo ſcribe: *Latuëre rupes numen.* Illæ rupes, inquit, quas Æſculapius inſidet, latuêre præ alto hoc fluctu. Ab Euripide eſt, qui hac ipſa in re:

Ἔκρυπτε δ' Ἰδμὸν, ἡ πέτραν Ασκληπίου.

1045. Longum rubenti ſpargitur ſucco latus.] Veteri, *fuca.* ego, *fuco.*

1063. Torvuſque currus ante trepidantes ſtetit:] Quis *Torvus? Moles?* Nam id præceſſit. Orbili, tuam fidem! Noſter, *Torvaque:* ad Grammaticam, non ad verſum. Lege, *Torvumque.*

1128. Admota ætheriis culmina ſedibus
Duros excipiunt Notos.] Verſum imple è libro: *Euros excipiunt, excipiunt Notos.*

1178. Animaque memet pariter & ſcelere exuam.] Liber, *Animaque me fœdam pariter.* Quid hoc monſtri? eruo, & ſcio ſcriptum fuiſſe, *Animaque Fœdram pariter.* Sanè hæc fui compellatio haud paullò validior ad affectum.

1197. Mucrone pectus impium iuſto patet.] Poſſit videri illi ſimile, *Eſuriente leone ex ore exſculpere prædam.* & quæ talia. Tamen vereor vt veriùs ſit, *iuſto pete.*

1273. En

1273. *En hæc ſuprema vota genitoris cape.*] Vetus, *Et hæc ſuprema dona.* verè.

1278. *At vos per agros corporis partes vagas*
Acquirite.] Idem, *Inquirite.* Aut hoc verum, aut magis *Anquirite.* Excipit nunc

TROAS.

Verſ. 28. *Teſtor deorum numen, adverſum mihi,*
Patriæque cineres : teque rectorem Phrygum,
Tuoſque manes, quodque ſtetit ante Ilion.] Hecubæ hæc atteſtatio eſt, quæ compellat deos, Priamum, Hectorem. ſed de iſto, verba in mendo : quod elues è libro noſtro, *Tuoſque manes, quo ſtetit ſtante I lion.* Nam hoc illa & alij Hectori tribuerunt, Troiam in eo & cum eo vixiſſe. Bella hæc emendatio.

49. *Quod penitus actum, cùm recepiſſet libens,*
Enſis ſenili tinctus è iugulo redit.] Vana verba. Quid enim mirum, enſem ſanguineum extractum è vulnere? At contra voluit. & meâ fide ſcribe, *Enſis ſenili intinctus.* quod interpretor, non tinctus. aut ſi diſplicet, voculam immiſce, *ſenili haud tinctus.* Sententia quidem palàm & mens Hecubæ hæc fuit: Priamum, cùm Pyrrhi gladium animosè recepiſſet, tamen emiſiſſe illum ſanguine vix tinctum. Nónne decorè hoc de ſene, qui frigidus & ἀναίμακτος? Nequid ambigas, ecce de eodem Priamo, idem Poëta in Agamemnone : *Vidi, vidi, ſenis in iugulo,*
Telum Pyrrhi vix exiguo Sanguine tingi.

56. *- non tamen (ſuperi) ſat eſt,*
Domum ecce Priami, nuribus & natis, tegens
Sortiter urna.] Liber meus, *ſuperis ſat eſt :* quod verius, & ſimplicius. Sequentia à me ſic concinno, *Donum, ecce, Priami è nuribus.*

87. *- veſte revulſâ*
Subſtringe ſinus.] Idem, *veſte remiſsâ.*

161. *Felix quiſquis bello moriens,*
Omnia ſecum conſumpta videt.] Præfero Scriptum,

con-

consumpta tulit. Aufert videlicet omnia secum, qui post se nihil linquit.

171. *terra mugitu fremens,*
Concussa cæcos traxit ex imo sonos.] Quid? vt insonuerit aut vocem emiserit terra? nihil tale. Scribe cum libro, *sinus*, non *sonos*. Est hoc ipsum, quod mox dicit: *Tunc scissa tellus aperit immensos specus.*

202. *Triton ab alto cecinit Hymenæum choro.*] A quo alto choro canit Triton? Missis nugis lege, *Tritonum ab alto cecinit Hymenæum chorus.* atque ita liber. Vult Tritones in mari, quia Achiles Thetidis filius, præcinuisse nuptijs eius & Polyxenæ.

227. *-Thracios nutrit greges.*] Scriptus, *mittit greges.*

239. *Iacuit peremptus Hector ante oculos patris,*
Pariterq; Memnon.] Quæ mala libido hæc substituendi, cùm in libris clarè esset, *Patruique Memnon*? Certè idem Priamus Hectori pater, & Memnoni patruus, per fratrem Tithonum.

243. *Didicitque Achilles & diis natos mori.*] Multò meliùs veriùsque noster, *& deâ.* Nam parente saltem deâ genitus Memnon, vti & Achilles.

255. *Quò plura possis, plura patienter feras.*
Quid cæde dirâ nobilem clari ducis
Aspergis vmbram?] Hæc parùm inter se nexa, si legendo continues. Personis dividere malim: PYR. *Quò plura p. p. p. feras.* AGA. *Quid cæde d.*

265. *-Troia nos tumidos facis*
Nimium ac feroces.] Imò verò, *timidos.* Vterque affectus ab illâ: Ferocia, quia vicerant; Timor, quia tam potens illa victa. Exemplum scilicet, nihil esse res humanas.

278. *-affligi Phrygas*
Vincique volui: ruere, & æquari solo
Etiam arguissem.] Scribe, *arcuissem.*

396. *Arctoï Boreæ dissipat impetus.*] Germana vox in Veteri, *dissicit.*

475. *-sed mei fati immemor,*
Tam magna timeo vota.] Sententia postulat, *fati memor.*

memor. Revocat se à tam magnis & felicibus votis Andromacha: & scio, inquit, aliud esse fatum Troiæ & Tröum.

547. *-si tamen tecum exigas,*
Veniam dabis, quòd bella post annos decem
Totidemque menses, iam senex miles timet.] Quid ais, Vlysse? Bellùmne illud ad Troiam decem annorum & decem mensûm? exacta putatio: sed alibi nusquam lecta, imò falsa. Nimis iuvat hîc liber, *bella post hiemes decem, Totidemque messes*. Aureola correctio.

551. *- magna res Danaos movet,*
Futurus Hector. libera nos hoc metu.] In meo, *libera Graios metu*.

595. *Immiti Vlyssi gaudium ac Danais dabo.*] Eodem, *Invita Vlyssi*. benè.

604. *Vt luce caruit, inter exstinctos iacet.*] Versiculi huius corruptio, prioribus omnibus fraudi est; quos non est capere, nisi hoc correcto. Benè autem iuvat meus liber: *Vt luce caret, vt inter*. Nam hic sermo & iuratio Andromaches. Ita, inquit, in patriâ moriar, ita terra meo Hectori levis esto: vt Astyanax, quem quæris, lucem non videt, vt est inter functos. Et verè iurabat. nam recondebat eum sepulchrum.

698. *Misero datur, quodcumque fortunæ datur.*] Sententiam, vt sic dicam, exsensam reformo aptè: *Miseræ datur quodcumque fortunæ, datur*. Verum, ait, illud beneficium est quod in miseros confertur: cùm das, sine spe recipiendi. Et sanè alia dona, non dona sed hami.

898. *Cùm dimicantes leta prospiceres viros.*] Enorme & nimium hoc est, vt Helena cum gaudio aspexerit pugnantes Paridem & Menelaum. Satis, si absque acri dolore. Itaque assentire meo libro scribenti, *lenta*.

923. *Ignosce Paridi, iudicem irritum puta,*
Habitura caussa est.] Fabricius primus, opinor, *Irritum* istud substitututuit. vanè. In sententriâ nihil vidit. Lux à Codice: *iudicem iratum mea Habitura caussa est*. Dicit Helena, Tu licet Parim excuses: at mea caussa judicem suum habet, & quidem iratum. quem? Menelaum,

quem nempe læsi. In eius nunc ego arbitrio.

946. *Viden' animus ingens lætus vt audierit necem?*] Magis ex lege versus, liber: *Vide vt animus ingens lætus audierit.* Nam in secundâ sede, liberiorem interdum hunc nostrum video: magis strictum in quartâ.

1083. *Hunc pinus, illum laurus, hunc fagus tegit.*] Describit concursum illum vulgi, omnia, ad aspectum Astyanactæi supplicij, occupantis. Sed huic menti magis faciet scriptura libri, *fagus gerit.* Vult alium in rupe stetisse, alium in pinu, lauru, fago.

1116. *- silicis incussu caput*
Ruptum.] Vetus, *silicis impulsu.*

1144. *Stupet omne vulgus, & ferè cuncti magis*
Perituram adulant.] Hieronymus Aleander caput huius lectionis speciosæ, sed falsæ. Tu, Georgi Fabrici, cur subscriptor? Nihil tibi ego detractum eo: sed profectò non laudatissima opera tua in hoc quidem Poëtâ, quem sæpiùs cura tibi innovandi fuit, quam in veteri nitore conservandi. Libri prisci, etiam meus, *Perituram laudant.* quod versus spernit: sed *Peritura* lege, & rem habes. Per γνώμην adiunctam narrat & effert, Omne vulgus attonitum stetit in formâ Cassandræ: & eò magis, quòd insitus nobis mos laudandi peritura. Nihil verius. vel loca suppliciorum nostrorum adi. Itaque velut parenthesi quâdam hæc legenda.

1148. *- omnium mentes tremunt,*
Miserentur ac mirantur.] Suavius, quod in libro; *Mirantur ac miserantur.* Abeo

AD AGAMEMNONEM.

Vers. 15. *Vbi ille celeri corpus evinctus rotæ.*] Malim, *invinctus.*

35. *Avo nepotem, (prò nefas) patri virum,*
Natis nepotes miscui.] Veteri, *Avo parentem.* Quæ intemperies mutantium? Historia sive fabula ita depostulat. Nam Thyestes hæc enunciat, qui Ægistho pater idem & avus. Ille, quia genuit: iste, quia ex filiâ.

37. Sed

37. *Sed ſera tandem reſpicit feſſos malis*
Poſt fata demum ſortis inceſtæ fides.] Lege, *Poſt facta.* itemque, *incertæ*: hac mente. Oraculum hæc ſcelera elocutum nobis; ſed incredulis, donec fides incertæ dictioni ab eventis.

52. *An deceat hoc te, reſpice: at matrem decet.*] Diſtinguo & ſcribo, *An deceat hoc te? reſpice ad matrem: decet.* Ambigis, ô Ægiſthe, inquit, an ſcelus te deceat? matrem cogita, & quomodo natus ſis: decet. Scelere conceptus. quid edas niſi ſcelus?

83. *Quæque ſuperbos vrit Erinnys,*
Tumidas ſemper comitata domos.] Vetus, *Nimias ſemper.*

103. *Felix, mediæ quiſquis turbæ*
Parte quietus.] Iſipſe, *Sorte quietus.*

129. *Proin quid eſt? da tempus ac ſpatium tibi.*] Muto, *Proin quidquid eſt, da tempus.* ſic, vt prima vox exaudiatur vnâ ſyllaba.

146. *Cui vltima eſt fortuna quid dubium times?*] Litterulâ mutatâ illuſtro, *dubiam.* Qui in extremâ ſorte, media non timet. nihil evenire peius poteſt.

207. *Hunc fraude nunc conaris inſanâ aggredi.*] Noſter, *conaris & furto aggredi.* verè & eleganter. Furta enim, de fallaci quovis & inſidianti facto, Latinis dicta.

234. *Tu nos pericli ſocia, tu Ledâ ſata*
Comitare: tantum ſanguinem reddet tibi
Ignavus iſte ductor.] Cæci hîc Interpretes. nos diſtinctiunculâ expedimus: *Comitare tantùm. ſanguinem r. tibi.* Ait Ægiſthus: At tu, ô Clytæmneſtra, non ducem te diſcrimini præbe, ſed ſociam tantùm: faxo, vt Agagamemnon hic tuus brevi nobis det cruorem. Altero abhinc verſu ſcribito, *— vultus languido obtutu ſtupet.*

253. *Effuſa circum pellicum quanto venit*
Turba apparatu? ſola ſed longè eminet
Tenetque regem famula veridici dei.] Primùm velim, *Affuſa.* deinde eſt in libro, *turbâ ſed longè eminet:* amœnè. niſi damnet verſus. Scribas ex eodem, *Tenetque regnum.*

341. *- tu quoque noſtros*

Thebana manus comitare choros.] Nónne magis γνήσιον, *Thebaïs hoſpes comitare?* Ita meus liber: & ſcio mutatum imperitis.

332. *- cùm Titanas*

Fulmine miſſo fregêre dei.] Noſter: *Fulmine victos vidêre dei.*

429. *Aurata primas prora ſignavit vias.*] Liber, *prora deſignat.*

470. *Cum Luna ſubitò conditur, ſtellæ cadunt.*] Idem, *ſtellæ latent.* quod verius. & ſequenti verſu, *tollitur, cælum perit,* ſine copulâ.

483. *Libycuſque arenas auſter, ac Syrtes agit,*] Idem, *ad Syrtes.* ſuo, & bono ſenſu.

506. *Sed trunca toto puppis Ionio natat.*] In noſtro, *Sed fracta toto.*

526. *Vehit iſta Daunos claſſis & Troäs ſimul.*] Eodem eſt, *& Troäs vehit:* iteratione eiuſdem verbi hîc appoſitâ.

550. *- tandem horream*

Aliena inerti tela mitti dexterâ?] Meus habet, *téne horream.* Muto faciem orationis, & ſcribo: *téne horream? Aliena i. t. mittis dextera?* Ad Palladem avertit Aiax. & ego te, inquit, timeam? quæ nec tuum quidem telum in me torques. Nam Iovis hoc eſt fulmen.

576. *- iam timent terram rates,*

Volvuntque maria: cedit in lucîum furor.] Liber: *Maluntque maria. cecidit in lucem furor.* Prius verum & clarum. alterius ſententia hæc, Sub lucem demum deſiſſe, vt ſolet, tempeſtatem.

625. *- reſtitit annis*

Troia bis quinis

Vnius noctis peritura fato.] Idem, *peritura furto.* quæ notio verbi ſuprà (hac Fabulâ, ad verſ. 207.) mihi notata.

627. *Fatale munus Danaûm traximus noſtra*

Creduli dextra.] Evariat Codex: *Danaûmque fatale munus duximus noſtra.*

973. *Non quæ tectis Biſtonis ales*

Reſidens ſilvis, impia diri

Furia

Furta mariti garrula deflet.] Hirundinem intellegi, clarum eſt. ſed eáne in ſilvis? imò domuum aſſidua cultrix. Benè igitur liber : *Reſidens ſummis:* & mox, *garrula narrat.*

687. *Triſtis lacerat brachia tecum,*
Quæ turrita turba parenti
Pectore rauco concita, buxum
Ferit, vt Phrygium lugeat Atym.] Scio de Tibiâ hæc accipi poſſe, quæ Gallorum propria, & ſæpe ex buxo. Tamen liber occultiorem ritum præit, dum ſcribit : *Pectora rauco concita buxo Ferit.* Fanatici enim iſti in ſimulato hoc luctu pectora ſibi tundere ſoliti, pinu, aut buxo. Claudianus:

Cymbala ferre licet, pectuſque illidere pinu.

Lampridius in Commodo : *Iſiacos verè pineis vſque ad perniciem pectus tundere cogebat.* Statius lib. x.

- quatit ille ſacras in pectora pinus,
Sanguineoſque rotat crines.

762. *Ardentque pallentes genæ,*] Veteri, *Turgentque.*

780. *Coniuxque pariter obvios illi tulit*
Greſſus.] Placet magis, Scriptum : *Et feſta coniux obvios.* Vult eam læto habitu obviam iſſe marito.

818. *- candide Phœbe.*] Liber, *pallida,*

915. *Quos anime demens refugis? externos fugis?*
Domus timenda eſt.] Electræ ad fratrem verba ſunt, quem domo amolitur : haud paullò tamen meliùs concepta in noſtro : *Quid anime demens refugis externos metus?*

938. *Et iſta demum palma Piſæi Iovis*
Velamen eadem præſtet.] Liber, *Et iſta donum.* veriſſimè. Palmam ſignificat ſibi datam præmium ludis.

962. E L. *Nobis? quis iſte eſt alter Agamemnon tuus?*] Idem, *Vobis?*

965. *Regina frangam.* EL. *mitiùs intereà mihi*
Tu vidua loquere, vir caret vitâ tuus.] Liber hîc contractior, & neſcit alterum totum verſum. Sic ille continuat & legit : E L. *Citiùs intereà mihi Ediſſere vbi ſit gnatus.* Sanè vulgata illa, quæſita & frigidula : vt multa in hoc Colloquio.

1008. *Vt paria fata Troïcis tulerit malis.*] Liber meliùs, *lueret malis.* Supereſt mihi vltimus labor

OCTAVIA.

Verſ. 42. *En qui ora Tanais primus impoſuit iugo.*] * Legebamus, *ora Tameſis.* Criticus † divinus, *Britannis.*

48. *- nec graves luctus valet*
Irâ coacta tegere crudelis viri.
Secreta refugit ſemper.] Diſtingue: *Irâ coacta tegere, crudelis viri Secreta refugit ſemper.* Id eſt, Averſa à viro, ſpernit & fugit cum eo eſſe ſola: quod amant tamen nuptæ.

100. *Toleranda quamvis patior: haud vnquam queant*
Niſi morte triſti noſtra finiri mala.] Ineptè. Exaggerare mala ſua vult Octavia: hic ſermo attenuat. Scribo, *Toleranda quævis:* hac mente. Vis coërceri à me animum & linguam Nutrix? poſſim. ſi modò ea feram, quæ alius ferat. At noſtra mala intoleranda, & quæ finiat ſola illa omnium finis.

114. *Et morte gaudet auctor infandæ necis.*] Malim, *Et ſorte,* vt partem ſortemque Britannici dicat abiſſe ad paricidam.

134. *Emergere vndis, & fer auxilium tuæ.*] Credam puriùs (etſi quàm multa hîc impura?) *Emerge te vndis.*

149. *- Criminis factus reus.*] Emendavi * alibi, *fictli reus,* adiuvat nunc liber, in quo, *facti.*

206. *Aureus idem fulſit in imbri.*] De Iove, qui liquidus ob Danaëm. Aptiùs ergo liber: *fluxit.*

848. *Vtinam ſuorum facinorum pœnas luat*
Nero: ipſe divo Domitio genitus patre,
Orbis tyrannus.] Bellè. laudatum ſcilicet ire vult Neronis patrem & ſtirpem? imò depreſſum. Atqui & Divum Domitium facit, falsò. Liber meus: *Nero niſi duo.* Nos optimè: *Nero inſitivus, Domitio g. p.* Hoc ei obiicit. nec ex ſtirpe quidem Cæſareâ eſſe, ſed fraude muliebri inſiticium, cùm verus ei pater Domitius.

269. -pro-

* Antiquar. Lection. lib. I. cap. XIV.

† Scaliger in Caſtigationibus ad III. virios.

* In Antiq. Lectionibus, lib. & cap. d.

269. *-prodidit lapſam domum.*] Scribe cum libro, *perdidit.*

461. NER. *Deſpectus enſis faciat.* SEN. *hoc abſit nefas.*] Minatur Nero facturum ſe, vt ſcita ſua & juſſa non populi conſenſus firmet, ſed enſis. Sed diſplicet adiuncta vox Enſi: & ſcribam, *Detectus enſis*, ſive *Conſpectus.* Nam in Vrbe & togâ, gladij tecti ac conditi.

485. *Invidia triſtis victa conſenſu pio*
Ceſſit Senatus, Equitis accenſus favor,
Plebiſque votum eſt, atque iudicium patrum.
Tu pacis auctor, generis humani arbiter.] Confuſa hæc ſic digeras licet: *conſenſu pio Ceſſit: Senatus, Equitis, accenſus favor: Plebiſque votis atque iudicio patrum Tu pacis auctor.* Quòd ſcripſi, *votis:* à libro eſt. in aliis nos adminiculati. (Aliter in Antiquis emendat. Vide.)

572. *Vix ſuſtinere poſſet hos thalamos deus*
Videre, populi ſancta nec pietas ſinat.] Lectionem veterem recipe: *dolor Videre populi, ſancta nec.*

582. SEN. *Negare durum eſt.* NER. *Principem cogi nefas.*] Imò, *Necare.* Id enim minatur Nero anteriore verſu, ferro ſe expreſſurum, quod precibus nequiret. Statim *Remittat ipſe,* non *Permittat,* eſt in libro.

660. *Socerum diri miſeranda viri*
Potes hæc demens ſperare memor?
Hos ad thalamos ſervata diu
Victima tandem funeſta cades?] Altero verſu omnino legendum, *Potes, heu, demens:* & interrogatoriæ notæ delendæ. Quem tamen Socerum intellegit? Si rectum eſt, cenſeam Appium Silanum: qui pater L. Iunij Silani, deſponſi Octaviæ. Et hic enim, & ille, interempti. Octaviæ igitur vaticinantur eundem exitum. Sed profectò neſcio an eligam, *Sociam diri.* hoc ſenſu. Sperare, ô demens, potes ſociam te futuram Iunij Silani tui viri; & quidem mactandam (quod olim illi factum) ipſo die novarum nuptiarum.

685. *Affigat humo violenta manus*
Similes nimium vultus dominæ.] Scribo, *Affligat.*

725. *Diducta ſubitò patuit ingenti mihi*

Tellus hiatu lata, quò præceps toros
Cerno iugales.] Distinguo, *Tellus hiatu*: *lata quò præceps*, illuc delata præceps.

732. *Irrupit intrà tecta tum trepidus mea*
Ensemque iugulo condidit sævum Nero.] Malo, *trepidus meus*, de Nerone.

652. *Iugulo quòd ensem condidit Princeps tuus.*] Malo, *Princeps tuo.*

794. *Quæcumque claro marmore effigies stetit,*
Aut ara fulgens, ora Poppæa gerens.] Non negitem Aras etiam positas Poppææ: sed nunquid illæ os eius gerebant, quod Poëta addit? haud putem. Coniecturam nostram, credo, approbes: *Aut aere fulgens.* Quæcumque statua, inquit, aut è marmore illi facta, aut ex ære, corruit.

797. *- membra per partis trahunt,*
Diducta laqueis.] Non *Diducta*, sed *Deducta.* Nam is mos, vt restem laqueosque statuis altioribus iniscerent, & detraherent. * Satyricus: *- descendunt statuæ, restemque sequuntur.* Nota.

* Iuvenalis.

799. *- verba conveniunt feris*
Immista factis, quæ timor recipit meus.
Sepire flammis Principis sedem parant.] Diffindere hæc non dubitem & personam indere, sic: *Immista factis.* CHO. *quæ timor recipit meus?* NVN. *Sepire flammis.* Interloquitur ad hæc nova & inopinata Chorus. &, Quid timidus, inquit, audio?

811. *Læsi tristes dabitis pœnas*
Sanguine vestro.] Convenientiùs scribas, *Lævi tristes.* O lævi & malè providi Quirites, luetis & eluetis sanguine vestro hæc facta.

853. *Abstrahere nostris coniugem caram toris.*] Liber. *coniugem tantam.* probo.

865. - PRÆ. *Estne qui sontem arguat?*
NER. *Populi furor,* PRÆ. *quis regere dementes valet?*
NER. *Quis concitare potuit?* PRÆ. *haud quemquam reor.*
NER. *Mulier, dedit.* &c.] Omnia hæc, quia subtiliora, confusa, corrupta. Primùm lege, *Qui concitare potuit.*

Dein-

Deinde: PRÆ. *Haudquaquam reor, Mulier.* hac ſententiâ. Quid admiſit Octavia? Populus ob eam inſanivit. Quis populum poſſit regere? illaipſa, quæ concitare. At non puto in fæminam id cadere: cui animus quidem nocendi, non tamen vires. Lentè examina, mi Raphelengi: probabis.

872. *Vel pœna quæ tam ſera damnatam premit.*] Etiam hîc hærebis, ſine manu emendatrice. Nos putamus ad Neronem hæc referenda, ſic: NER. *Vel pœna. quæ tam ſera.* Reſponſio, quæ pendet à Præfecti verbis vltimis Dixerat ille, Timore fæminas frangi, pronas alioqui ad malum. Imò pœna eam premet potiùs, ait Nero: iuſta, etſi ſera.

894. *- flentem, miſeram*
Cernere poſſis.] Liber, *poſſunt.* aptè ad priora.

978. *Vrbe eſt noſtra mitior Aulis,*
Et Maurorum Barbara tellus.] Scio Pœnos liberos Saturno immolaſſe, atque ità humanas hoſtias feciſſe. Nec tamen id factum hîc tangitur. addit enim, *Hoſpitis illic cæde litatur.* At nuſquam lectum de hoſpitibus in Mauritaniâ ſive Africâ vulgò quidem immolatis. Fidenter reſcribo, *Et Taurorum*, Ad Tauros Scythiæ populos, & in ijs Dianæ inhoſpitam aram alluſum; quæ tibi nota.

Habes, mi Raphelengi, quæ inter legendum, vt fit, ad oras notaveram mei libri: ſed notaveram mihi. Nam deſcribere hæc aut digerere in alienum vſum, nec cogitavi vnquam ἐν ὀνείροις. *Tu tamen impuliſti, & impetraſti, cui ſi hæc ad Editionem, quam paras, aliquid ſervient (quod ſpero, imò confido:) ſcopum meum attigi, nec proſectò* - ἄλιον βέλος ἔκφυγε χειρός. *Vale. Scripſi Lugduni in Batavis, Nonis Octob.* CIↃ IↃ LXXXVII.

FRANCISCI
F. F. RAPHELENGII
Ad
Tragœdias,
Quæ
L. ANNÆO SENECÆ
Tribuuntur,
NOTÆ.

Ad Lectorem.

[Epistola editioni Raphelengianæ præfixa eodem tempore quo Lipsiana prodierunt.]

Benivole Lector, ne alicubi in hac Tragœdiarum editione offendaris, hæc pauca de instituti mei ratione præliba. In Auctoribus singulis Tragœdiis tribuendis, & ordine ipsarum, sequor τελευταῖον Lipsium, præceptorem & præsidem meum: cuius etiam Animadversiones iis adnexæ; & correctiones in plerisque observatæ à me studiosè: eæ enim adeò certæ, adeò claræ, vt minimam earum instar oraculi habeam. Si quid præterea imutatum est, factum id aut ab ingenio meo, atque id rarissimè, vt qui minimum mihi licere in adolescente hac ætate arbitrer; aut, quod sæpius, auctoribus libris. Quos habui (vt etiam hoc scias) Manuscriptes duos: alterum optimi & doctissimi viri Abrahami Ortelij, probæ notæ, & in quo interpuncta accuratissimè observata, quod in Chirographis alioqui perrarum; alterum meum, sed unius tantùm sæculi librum; ineptè etiam descriptum: Excusos, Venetiis apud Aldum, Lugduni apud Gryphium, sic satis bonos; tres alios haud ita sedulò emendatos, Parisiis unum, Basileæ alterum, tertium Lipsiæ (Georgij Fabricij operâ) editos. Ad calcem corollarium adieci, Notas meas; breves illas quidem & leves: tamen. Iis ista solùm à me adnotata quæ meliora sperem potiùs quàm adfirmem, quæque nec temeriter novanda, nec negligenter silentio prætereunda videbantur. Neque earum unquam transgressus leges,

Com-

Commentatoris vicem ſubij: quum enim curſum illum ſtrenuè cucurrerit Reverendus D'el-rio, palmam ego nullus invideo. Nec ſanè quotquot repperi varias lectiones, adſcripſi. vaſtus iſte & vanus, vt puto, in tantâ librorum diſcrepantiâ labor. Et, ſodes, quotus iſtas leget? Res capitalis agitur ſcilicet, ſi ego in tali loco &, in alio aut, *legam, tu* ac, *&* vel, *malis. Euphonia interdum ſpectatur, inquiunt, & latens quædam energia. Non nego. Sed age, aliquis iſta omnia mihi collegat, brevi ſuprà Auctorum ipſorum ſcripta excreverit huiuſcemodi nugamentorum moles. At princeps mihi cura fuit, curare uti ab erratis purus prodiret textus. ad hanc rem non indiligens fui Codicum perſcrutator: optimum quodq; ſelegi, elegi, ſuo loco dedi; etiam nullâ in Notis redditâ ratione. Cur id fecerim? certus ſum ego ita ſcriptum aut excuſum in iſto & iſto exemplari, atque id benè, vix dubito; quid dubitem ſequi? Faciam, ſed moneam. Vmbram aucupantium iſta vox, non rem. Ridiculè me extollã, ſi fecerim: quod ni feciſſem, peccaſſem. Locũ manifeſtariè mendoſum emendavi auctoribus plurimis librorum; clarã rem ſi probare velim, dubiam faciam. Gloriolam aliquam & famam non contemno. minimè. Sed promerenda iſta, non emendicanda. Volo, inquam, res ipſa Criticos moveat, non oſtentatio ſui. Si audiatur, huic legi, quanta ſparſim in eorum libris* χρωγμῶν *neceſſaria reſegmina! Video enim, iuvenis alioqui & rudis, in hoc ſtudio facere pleroſq; quod Medici improbi, quibus volupe ſi multi ægri: deſiderant, malè adfecti ſint auctores, vt ipſi ſanent; nihil occurrat, pura impurati fœdare non verentur: quum eo magis lætandum ſit, quo minùs opus utrorumque operæ. Vtinam verò in*

hac

hac re mens Lipsiana! In hac re? quin felix ille cui in cunctis dux Lipsius, vt cui insimul dux ipsa Virtus. Vale. Lugd. Bat. CIↃ IↃ LXXXVII.

ORDO TRAGOEDIARVM

idem Raphelengio est in Notis, qui Lipsio : extatque

Hercules furens,	*p.65.*	*Troades,*	*74.*
Thyestes,	*70.*	*Medea,*	*62.*
Thebais,	*64.*	*Agamemnon,*	*76.*
Hippolytus,	*72.*	*Hercules Oetæus,*	*67.*
Oedipus,	*71.*	*Octavia,*	*77.*

NOTÆ AD MEDEAM.

AVspicabor à Medea, manuductorem sequutus Lipsium : sed dum me ipsum in hoc proscenium prodeuntem considero, adeò totus despero, vt veniam potiùs mihi petendam putem, quàm applausum. At verò, iacta alea est, eatur.

Vers. 160. *Tunc est probanda si locum virtus habet.*] Nutricis mentem non capio, nisi dixerit, vt indicat manifestè Manuscriptus uterque, & excusus Lutetiæ, *Nunc est probanda*, &c. Si, inquit, ullum apud te (Medeam alloquitur) virtus locum habet, commoda jam occasio se offert probandi : immota patiente & æquo animo iniurias perfer.

190. *- Vade veloci viâ,*
Monstrumque sævum, horribile iamdudum avehe.] Fabriciana lectio est, *Monstrum superbum.* Nostram bonã puto.

205. *Prorsusque vestro purus à cœtu stetit.*] Ortelij Ms. Paris. Basil. *Proculque vestro*, &c.

296. MED. *Nimis eſt, & ex hoc aliquid abſcindas licet.*
CRE. *Et ipſa propera. capite ſupplicium lues;*
Clarus priùs quàm Phœbus adtollat diem,
Niſi cedis Iſthmo.] Optimi Ortelij optimus Codex verba hæc, *Et ipſa propera*, Medeæ, vt & præcedentem verſum; ſequentia Creonti tribuit: optimè, meo judicio, juvante modò emendatiunculâ, vt ſcribatur, *Et ipſa propero.* Petierat Medea aliquantulum moræ parando exſilio; diem unum conceſſit Creo; tum illa, Nimium, inquit, tribuis, cùm in rẽ meam etiam ſit fugã accelerare.

516. *Hinc rex & illinc.* MED. *Eſt & his maior metus, Medea.*] Liber Ortelij & exemplar Pariſienſe, *Eſt & hîc maior metus.* Quod facit vt totus eam in ſententiam Reverendi P. Antonij D'el-Rio, legentis *Eſt & hinc*, &c. Sic etiam ſupra verſu

437. *- non timor vincit virum.*] Malim quod idem ille vir annotat, *vicit.*

549. *- ſi hic natos amat,*
Benè eſt, tenetur, vulneri patuit locus.] Lugduni editus, *- ſic, natos amat:* emphaſi quadam hoc loco non abſonâ.

748. *Vos quoque, urnis quas foratis irritis ludit labor,*
Danaïdes, coite.] Suavius videri poſſit, *Voſque, quas urnis*, quod in editionibus Venetâ & Pariſienſi. Senſus utrumque admittit.

818. *- imas urat ſerpens*
Flamma medullas.] Manuſcripti & Pariſienſis, *repens*, quod idem ſe reperiſſe ait D'el-Rio; vt & verſu

825. *- & vivacis*
Fulgura flammæ de cognato
Phaëtonte tuli. --] Pro *cognato*, *flammato.* Sed leviuſcula hæc; uti etiam iſta verſu

866. *Frenare neſcit iras Medea.*] Fabricius, *non ſcit.* &

892. *Medea præceps quaſlibet terras pete.*] Baſil. *ſedes.*

949. *Iam iam meo rapientur evulſi ſinu.*] Libri ſcripti Reverendi P. D'el-Rio, & mei, *avulſi.* benè.

970. *- victimâ manes tuos Placamus iſtâ-*] Iidẽ, *Placemus.*

975. *Tuum quoque ipſe corpus hinc mecum avehe.*] Mss. & Pariſ. *advehe.*

AD

AD THEBAIDA.

Vers. 69. *Vis hanc petamus.*] Ortelij Codex, *Vis hanc? petamus.* Itidem & postea versu 71. Quod non notassem, nisi constitisset mihi de insigni illius libri accuratione in observatione interpunctorum.

114. *- ubi sævum est mare?*
Duc ubi sit altis prærutum saxis iugum.] Fidenter distinctionem immuto, ac scribo: *-ubi sævum est mare, Duc, ubi sit altis,* &c. quamvis contra librorum consensum.

221. *Ego laticis haustu latior?*] Credam peccatum in legem metri. Edidissem, *Et laticis haustu satior?* si mecum libri.

273. *- si quod etiamnum est tamen,*
Qui facere possunt, dedimus.] Scriptus Ortelij clariùs paulùm, *-si quod & nunc est tamen, Qui facere possint dedimus.*

330. *-magister iuris & amoris pij Ego sum?*] Rectè: amoris erga prolem aut fratrem, vel parentes. Non minùs tamen elegans existimem, *iuris & moris.* Ius ad scriptam legem referas, morem ad natam.

443. *-in me omnis ruat Vnam iuventus.*] Mss. Paris. Basil. *Vnà iuventus.* Mox versu

448. *Mea membra passim spargite.*] Iidem, *sparsim spargite.*

645. IOC. *Ne metue, pœnas & quidem solvet graves.*
Regnabit: hæc est pœna, si dubitas, avo
Patrique crede.] Personam Polynicis interserit Scriptus cum Lugdunensi, ad istum modum: *Regnabit.* POL. *Hæc est pœna?* IOC. *Si dubitas,* &c. Neutrum malè.

654. POL. *Regnare non vult, esse qui invisus timet.*
Simul ista mundi conditor posuit Deus,
Odium atque regnum. regis & magni reor,
Odia ista premere. multa dominantem vetat
Amor suorum; plus in iratos licet.
IOC. *Qui vult amari, languidâ regnet manu.*
Invisa nunquam imperia retinentur diu.
Præcepta meliùs imperI reges dabunt;
Exsilia tu dispone. POL. *Pro regno velim*

Patriam,

Patriam, penates, coniugem flammis dare.] Primùm corrigo, *regis at magni reor:* inde quæ ſequuntur ita concinno, juvantibus ex parte libris ſcriptis:

– plus in iratos licet.
Qui vult amari, languidâ regnet manu.
IOC. *Inviſa nunquam imperia retinèntur diu.*
POL. *Præcepta meliùs imperI reges dabunt;*
Exſilia tu diſpone. pro regno velim, &c. Sic omnino adſuadet mens auctoris; certè tyranni. Qui præcedentia legat, mecum ſentiet.

AD HERCVLEM FVRENTEM.

Verſ. 23. *Pariterq; natus aſtra promiſſa occupet,*
In cuius ortu mundus impendit diem.] Sic in Medea, *Vxor impendit animam marito.* & aliàs ſæpe. Eſt tamen, & ſuo ſenſu, in Orteliano ac Pariſienſi, *impediit diem.*

123. *Movenda iam ſunt bella, clareſcit dies,*
Ortuque Titan lucidus croceo ſubit.] Collocatio iſtæc horum verſuum à Lipſij partim libro eſt, partim ab Ortelij, qui in plurimis conformis Lipſiano.

180. *Rota præcipitis vertitur anni.*] Manuſcriptus uterque, *volvitur.*

210. *– antè quàm lætam domum*
Contingat, aliud iuſſus ad bellum meat.] Mss. & Pariſ. *ad bellum exeat.*

268. *Cadmea proles, atque Ophionius cinis.*] Ita edidi, motus auctoritate Fabricij: factum nollem, cùm in omnibus libris reperiam, *civis atque Ophionius.* quod quà ad verſum, quà ad ſenſum, melius.

273. *–fertque quæ ferri vetat.*] Fert ipſius ille tyrannidem, qui aliis libertatis aſſertor. Libri omnes, Lugdunenſi excepto, *fieri.*

430. *Sceptróque noſtro potior eſt famulus tibi?*] Rectè Reverendus D'el-Rio, *Sceptróne.*

454. *Non monſtra, ſævas Phœbus aut timuit feras?*] Quidam, nec malè: *Num monſtra*, &c.

623. *Verúmne cerno corpus, an fallor tuâ*
Deceptus umbrâ?] Ortelianus hunc ipſum verſum hîc ſuggerit quem Lipſianus: *Teneóne in auras editum? an vanâ fruor*, &c. Aut valdè ego fallor, aut Poëta ad hunc modum ſcripſit:
Verúmne cerno corpus? an vanâ fruor
Deceptus umbrâ? - Nec equidem vulgarem editionem omnino damno: tamen umbræ & corporis antitheſim non abſurdam cenſeo.

767. *- concavæ lucent genæ.*] Oſſa atque pellis Charon totus eſt. Non aliter Manuſcripti, Pariſienſis etiam & Baſileenſis. Sic Plautus Aululariâ:
Quin exta inſpicere in ſole etiam vivo licet;
Ita is pellucet quaſi laterna Punica.
Nihil itaque me movet vir doctus, qui mavult: *-concavæ ſqualent genæ.*

815. *Reſumit animos vinctus, & vaſtas furens*
Quaſſat catenas: penè vectorem abſtulit.] Ortelij liber, *victus.* idem & Ms. alter cum excuſo Pariſiis, *victorem.* Nullo periculo utrumque admitti poſſit.

859. *- cùm mœſtus ſibi quiſque ſenſit*
Obrutum totâ caput eſſe terrâ.] Qui præcedentia legat, non gravatè Ms. meum, atque item Antonij D'el-Rio, ſequatur: in quîs, *ſentit.*

916. *Trucis antra Zeti.*] Omnes quidem, quotquot vidi, *Ceti.* Emendavit D'el-Rio, *Zeti.*

941. *- quis diem retro fugat?*] Aldinus, Pariſienſis, & Fabricianus, *quid.*

968. *- ſaxa cum ſilvis feram.*] Alij, *traham.*

972. *In cælum Olympus tertio poſitus gradu*
Perveniat, aut mittatur-] Mss. Pariſ. Lugd. *Perveniet aut mittetur.* Mox verſu

976. *- gigantes arma peſtiferi movent.*] Baſil. *peſtifera.*

1255. *- manibus aut aris nocens.*] Alij, *armis nocens.*

AD

AD HERCVLEM OETÆVM.

Vers. 22. *Vidi regentem fata-*] Iovem Stygium. At libri, Aldinus, Lugdunensis, Basileensis : *Vidi silentum fata.*

46. *- terra defecit gradum.*] Mutant viri docti. nihil ego : cùm apud me præponderet sensus consensus librorum.

144. *Num Titana ferunt? te Rhodope tulit.*] Lugduni editus : *Num Titana ferum te Rhodope tulit? ?* Rectè, meâ opinione. Quærit Chorus, quis iste sit Hercules, & cuias ; aliquis'ne de Titanum genere, & in rupe quapiam seu monte genitus; Rhodope scilicet aut Atho.

156. *Non illum poterunt figere cuspides.*] Si respicias ad historiam, non ineptè conveniat quod in Manuscriptis, & Parisiensi, librisque D'el-Rio, *poterant.*

180. *- alias flere ruinas Mea fata iubent.*] Malim ego : *Me fata iubent.* Graviora passa sum, inquit, graviùs etiam mihi lugendum.

230. *- vires pepulit*
Pondusque mali : nec servit inops,
Casus animo qui tulit æquo.] Verba ista, *nec servit inops*, adpositè juvandæ sententiæ è Lugdunensi adposuisse me puto.

273. *- quod iubes fiat nefas Reperi.*] Mss. & Paris. *fieri.* Lubeat distinguere : *-quod iubes fiat* (vel, *fieri*) *nefas?* ac indè tanquam ad se conversa, *Reperi* : &c.

284. *Est aliquid Hydrâ potius-*] Benè qui *peius.* Sed an hoc potius τῷ *potius* (quod Ortel. Paris. Fabric. repræsentant) judicent alij.

312. *Pares eramus : non erit votis opus.*] Magis mihi arrideat, si substituatur : *Pares eamus.* Exhortatur seipsam, aut potiùs dolorem suum Deianira animat ad audendum insanum quod facinus.

377. *Vbique caluit, sed levi caluit face.*] Ille verò levi face caluit, qui *amore captus ad leves sedit colos?* Veriùs, *brevi* ; vt suprà : *Brevique in illas arsit Alci-*

des face. Possit tamen eâdem significatione intelligi, *levi.*

545. *- è nervo, precor, Graviore profer.*] Libri ferè omnes, *è numero.*

565. *Nunc congeratur virus, ut vestis bibat.*] Ita emendavi, monitu doctissimi Lipsij: antè erat, *congregatur*; in Ms. *aggregetur.* Legebam ego, *irrigetur.*

683. *Medium cæli dum sulcat iter.*] Omnes, *pergit iter*; aut, *peragrat.*

702. *Fertur rapido regina gradu.*] Monet maximus Lipsius in suo esse, *Fertur medio.* Fortean fuerit, *trepido:* vel tale quid. bonum tamen, *rapido.*

751. *Vrit lues Nessea.*] Quo ad sententiam præclarè, inquit D'el-Rio, in veteribus libris: *Vrit lues nescio quæ.* quod & ego in Orteliano reperi. Iuvo paulùm emendatione etiam versum: *Vrit lues nescio quæ.*

797. *- qualis impressâ fugax Taurus bipenni.*] Eia! ergo *fugax* taurus, atque illi similis Hercules? Absit. *ferox* ille potiùs. Quamvis alioqui insulsa quàm plurima occurrant in hac Tragœdiâ, quæ tædium & nauseam pariunt legenti; sanè mihi.

846. *- tolle fulminibus, socer, Nurum scelestam.*] Mss. & Paris. *redde.* corruptum fortè fuerit è *perde.*

870. *Coite gentes: saxa & incensas faces*
Iaculetur orbis.] Liber Ortelij: *Colligite gentes saxa.* vnde quis colligat, *Conijcite g. s.*

898. *Nemo nocens sibi ipse pœnas irrogat.*] Facilè credam: tamen non ista mens Deianiræ. Verùm cùm dixisset Nutrix, Si te ipsa damnas, etiam nocentem insimul te fateris. Nihil illa negat; imò, Ita est, inquit, nam *Nemo innocens sibi ipse pœnas irrogat.* Ita enim lego.

947. *Vacet vna Danais, has ego explebo vices.*] Quin iam vacat vna; illa scilicet quæ sola pia. Restitue igitur, *Vacat.* Ita Furente:

Deest vna numero Danaïs, explebo nefas.

1058. *Et serpens latebras fugit*
Tunc oblita veneni.] Glyconicum facit secundum versum Lugdunensis, qui præfert, *Tunc oblita mali sui.*

1070. *Increvit Tityi iecur,*

Dum

Dum cantus volucres tenet.] Placet *volucrem*, ut in Ortelij libro. Vulturem Tityi carnificem puta. Quamvis Thyeſte dicatur Tityus *viſceribus atras paſcere effoſſis aves.*

1141. *- vincula excutiet patri, Cælumque reddet.*] Ald. Lugd. Baſil. *Cæloque.* eodem ſenſu.

1167. *- non truci vultu Gigas*
Pindo cadaver obruit toto meum.] Nec abſurdè, *Gyges*, ut ſuprà: *- qui tumidus Gyges Supra Theſſalicos conſtitit ageres.* nam qui ibi *Gyas* ſubſtituunt, fruſtra ſunt. In Apollodori Bibliothecâ quòd Γύην legerunt, ego emendem Γύγην.

1259. *Quæcumque peſtis, ſive quæcumque es fera,*
Palàm timeres.] Vox *timendi* hoc loco, vt puto, haud convenit; nec tamen quid ſubſtituam habeo, nec quidpiam iuvant libri. Aliquando cogitavi ſubſtituere, *venires*: ſed non arridet.

1378. *Scythiâ gemente, flebilis gemitus mihi*
Non excidiſſet.] Reſtitutio iſtius loci debetur Reverendo viro Antonio D'el-Rio: cuius Adverſaria, ſi lubet, conſule. Antè erat, *gementem.*

1390. *- & quidquid furit.*] Ita omnes, quot-quot vidi, editiones: nec ineptè. Sunt qui ingerant, *quidquid fuit.*

1418. *Prô lux acerba, prô capax ſcelerum dolor!*] E coniecturâ ferè corrigam, *prô capax ſcelerum dies!* Ecce pòſt, *Vnus*, inquit, *eripiat dies Parentem vtrumque.*

1446. *Cogis fateri: parce, & hanc vocem occupa.*] Aut nullus mihi ſenſus, aut nullo modo convenit hic verſus Herculi. Collocandus eſt, inquam, ſub perſona Hylli poſt verſum 1455, *Compeſce diras, genitor, irarum minas.*

1557. *Æacumque inter geminoſque Cretas,*
Fata diſcernens.] Libri Ant. D'el-Rio, & cum ijs Ortelij Codex, *Facta;* non malè. facta ſcilicet ſontum diſcernens; quod enim quiſque fecit, patitur.

1624. *Vltraque totos porrigit ramos nemus.*] Res poſtulat, *votum.*

1701. *Vrbes, nec aras impias quiſquam inquinet.*] Nemo

neget *impias aras* Poëticῶs dici: nemo tamen rectè ſcribi etiam poſſe, *impius.*

1975. Inferna vinco rurſus Alcides loca.] Legebã ego, *linquo,* cùm ecce eâdem penè mente in Orteliano reperio, *vito.*

1978. - miſera mens incredula eſt.] In ſolâ editione Lugdunenſi invenire contigit, *eſt credula.* Falsè. *Prona* enim *eſt timori ſemper in peius fides.* (Herc. Fur. verſ. 316.)

AD THYESTEN.

Verſ. 9. *Aut pœna Tityi, ſemper accreſcens iecur*
Viſceribus atras paſcit effoſſis aves?] Præit mihi ad ſaniorem, vt opinor, lectionem liber Lipſij. ille enim hemiſtichio auctior:

Aut pœna Tityi, qui ſpecu vaſto patens.

Illud ergo fidenter adfirmo genuinum eſſe; expungendum verò quod hactenus lectitatur, *ſemper accreſcens iecur.* Adſcriptum enim fuit à Gloſſariis, deſumptum ex Hippolyti illo loco: *Meumq; pœnæ ſemper accreſcat iecur.* Tibullus:

Porrectuſque novem Tityus per iugera terræ
Aſſiduas atro viſcere paſcit aves.

122. Piſæaſque domos turribus inclytas.] Non diſplicet Reverendo D'el-Rio, *curribus*; nec mihi, *curſibus*: propter certamina Olympica. interim nihil hîc prorſus mutandũ.

146. Divulſuſque tuâ eſt Tantale dexterâ, &
156. Illudit patulis arbor hiatibus.] Omnes libri, præter excuſum Lipſiæ: *Diviſuſque*: &, *Alludit.*

284. Quod eſt in iſto ſcelere præcipuum nefas,
Hoc ipſe faciat: -] Mss. *faciet.*

426. Deflecte greſſum.] Mss. *Reflecte.*

438. Æſtus reſiſtens.] Ms. & Baſil. *reſurgens.*

439. -mentem impetit.] Mss. Ald. Pariſ. Lugd. *impedit.*

444. Miſer eſſe mavult, eſſe qui felix poteſt.] Liber Reverendi D'el-Rio, *Miſer eſſe mavis, eſſe qui felix potes.*

738. Oblitus in quem fureret.] Mss. Pariſ. Baſil. *rueret.*

754. Erepta vivis exta pectoribus tremunt.] Nonnulli librorum, *Eiecta.* Fortean fuerit, *Exſecta.* Medea: *-& rauca ſtrigis Exſecta vivæ viſcera.*

782. -verteris

782. *- verterit cursus licet*
Sibi ipse Titan obvium ducens iter.] Non minùs conveniat quod in utroque Manuscripto, Paris. item editione & Basil. *currus.*

973. *Si cum meis gaudere felici datur.*] Auctior voce, *filiis*, Ortelij liber. quod recipi queat, si expungatur *felici.*

1016. *Phlegethon arenas igneus totas agens.*] Ausim penè jurare, scripsisse Senecam nostrum, *tostas.* licet quidem aliquo modo defendi possit lectio vulgata.

AD OEDIPVM.

Vers. 18. *Est maius aliud patre mactato nefas?*
Prô misera pietas! eloqui fatum pudet.] Interserit Iocastæ personam liber Lugdunensis, cuius priorem versum facit, sequentes rursus Oedipi: quod non absurdè factum quis dicat; quamvis nec malè convenire iste versus fluctuanti Oedipi menti posse videatur.

152. *Perbibit pestem latebrosa serpens.*] Acutè emendat Reverendus D'el-Rio, *Perdidit.*

192. *- tunc amplexu*
Frigida presso saxa fatigant,
Quos liberior domus elato
Custode sinit. petitis fontes,
Aliturque sitis latice ingesto.] Ms. & editio Fabriciana, *iamque amplexu*: quod amplector. Cetera ita distinguo:

- iamque amplexu
Frigida presso saxa fatigant,
Quos liberior domus elato
Custode sinit, petitis fontes, &c.

262. *Faciatque (num quid gravius optari potest?)*
Quidquid ego fugi.] Aptiùs sit, meâ opinione, *nam quid.*

426. *Veste cùm longâ regeres leones.*] Ms. meus cum libris D'el-Rio, *tegeres.* quam vocem longa vestis exigit.

455. *Vivaces hederas ramus tenet.*] Opinor fuisse, *remus.* Huc facit Ovidius Metamorphos. lib. III. vers. 644.

472. *Senſêre terræ Zedacum feroces.*] Emendat D'el-Rio, *Zacarum:* ſeu potiùs, *Sacarum.* ſed vereor vt contra leges verſûs. Num fortè, *te Dacûm?* Nihil adfirmo, in re creperâ; maximè, cùm nihil iuvent libri. Qui nihilo minus in nominibus Geographicis plerumque peccant; quà inſcitiâ exſcriptorum, quà incuriâ: nec enim denominationes locorum norant, nec noſse laborabant.

619. *Tandem vocatus ſæpe pudibundum extulit Caput.*] Nec dictio iſtæc, *extulit*, hoc loco mihi placet; nec mutare tamen quid audeam. Senſus tale quid poſtulat; ſequentia repudiant. Si mecum libri, cenſeam legendum: *ſæpe pudibundum occulit Caput.* Ecce enim ſubnectit - *atque ab omni deſidet turbâ procul, Celatque ſemet.*

871. *Congerite cives ſaxa in infandum caput.*] Omnes excuſi, præter eum qui Lipſiæ, *infeſtum.* quod propiùs accedit ad *inceſtum.* qualiter ſe reperiſſe in Scriptis teſtatur D'el-Rio.

881. *Gratare matri liberis auctâ domo.*] Iidem libri D'el-Rio, *auctam domum.*

915. *Prædicta poſtquam fata, & infandum genus*
Deprendit.] Benè Manuſcriptus uterque & editio Pariſina, *ſcelus.*

952. *-ſubitus an vultus gravat Perfuſus imber.*] Idē, *Profuſus.*

1028. *Non ſi ipſe mundum concitans Divûm ſator.*] Mss. Ald. Pariſ. Lugd. Baſil. *Divûm pater.*

1050. *- lubricos ponens gradus.*] Idem, *ponens pedes.*

IN HIPPOLYTVM.

Verſ. 4. *Quæ ſaxa ſolo Carpeneito*
Subiecta iacent; quæque Thriaſij
Vallibus amnis rapidâ currens
Verberat vndâ:] Ortelianus, *Thiaſis.* repono, *Thriaſijs.* Campus enim Thriaſius in Atticâ notus. At quod in eâ *ſolum Carpeneitum*, aut, vt plures libri præferunt, *Carpanetum*; quis fluvius *Mæander*, aut *Melanes*; quis *Acarnan* mons, & quæ ſilva *Philippis*; haud dum reperi: ſive quòd nominum iſtorum memoria cum rebus interierit; ſive

ſive quòd corrupta ſint ab exſcriptoribus; ſive quòd noſter, vt aliàs aſſolet, mirum delectetur longinquorum locorum appellationibus, ad horrorem vel mirationem audientibus incutiendum.

13. *Vbi per glareas lenis Iliſſus,*
Vbi Mæander ſuper æquales Labitur agros.] Magnæ turbelæ hîc in re nullâ. Primùm aurea illa correctio Lipſij, quâ reſtituit *glareas* pro *glacies.* quamvis is ipſe in Ms. ſuo iſtum verſum non eſſe dicat; atque idem adfirmet de libris ſuis D'el-Rio; ego etiam in Mss. & Pariſienſi non repererim: vnde aliquo modo inducor, vt exulare poſſe eum aſſeverem. Verùm de ſequenti verſu quid iudicem, non habeo: nam nec *Mæandrum*, nec *Melanem* in Atticâ agnoſco. Præterea Mss. mei habent, *inæquales*; ex quo quidam colligunt ſcribendum, *per inæquales.* Sed quorſum tot verba in re futili?

109. *Adiudicatam præſidem terræ deam.*] In quibuſdam, *Adiudicare.* ex quo conijcias, *Adiudicatæ.*

147. *- teneri crede Letheo abditum*
Theſea profundo, ferre perpetuam Stygem.] Ortelianus, Aldinus, & Baſileenſis ſuggerunt: *tamen tu crede,* &c.

195. *Deum eſſe Amorem, turpiter vitio favens*
Finxit libido.] Favens ego lectioni ſcriptæ, *turpis & vitio favens.* Nec abſonè illi, qui *furens* præferunt.

201. *Regnumque tantum minimus in Superos habet.*] Non diſſentio ab ijs quibus placet, *minimus è Superis.*

236. *Reſiſtet ille; ſeque mulcendum dabit;*
Caſtosque ritus Venere non caſtâ exuet.] Tenebræ obortæ mihi hîc erant: tribuebantur enim iſtæc omnia in omnibus libris Nutrici, & iam legebam:
Recipiet ille, ſeque mulcendum dabit? Caſtosque r. V. n. c. exuet?
Diſcuſſit tenebellas iſtas feliciter Doctorum Sol Lipſius.

339. *Venere inſtincti quàm magna gerunt*
Grege pro toto bella iuvenci!] Ms. meus: *Venere inſtinctus ſuſcipit audax Grege pro toto bella iuvencus.*

457. *Arborq; celſo vertice evincit nemus.*] libri D'el-Rio, *evincet.*

504. *-niveo corpus Iſmeno fovet.*] Ita emendavit Fabricius, cui *Iliſſo* aut *Eliſſo* pugnare contra legem verſûs videbatur:

cùm tamẽ & Iliſſus in Atticâ (in quâ hæc geri finguntur) fluvius ſit, haud Iſmenus; & ſyllaba prima etiam produci poſſit, ſi derivetur à Græco ἴλιος, quo Pauſanias & alij utuntur, teſte Geographorum Rege Ortelio. Optimè nihilo-minùs eiuſdem Ortelij liber, *niveo corpus in rivo fovet.* Qui præcedentia & ſequentia conſiderabit, mecũ ſentiet.

635. *Satiſ ne dixit? precibus admotis agam.*] Scriptus meus cum libris Ant. D'el-Rio, *dixi.*

690. *-& tamẽ tacitũ diu Crimẽ biformis partus exhibuit nota.*] Meliùs eiuſdem D'el-Rio lib. vet. *biformi.*

739. *Stella cũ ventis agitata longos Corripit ignes.*] Liber meus atque Ant. D'el-Rio, *Porrigit.* Sic Troade: *Et ſtella longâ ſemitam flammâ trahens.* Conſule Adverſaria D'el-Rio.

1098. *- truncus ambuſtâ ſude*
Medium per inguen ſtipite eiecto tenet.] Dubitavi aliquando an non ſcripſerit, *erecto.* At Lugdunenſis editio non omnino malè *iniecto* ſubſtituit.

1205. *- æquoris abſcondit ſinu.*] Lege, *condit.* Reſpuit dactylum iſtâ regione Trochaïcus verſus.

1240. *- ne metue qui manes regis, Caſti venimus.*] Res & verſus efflagitant, *Caſti redimus.*

1258. *- fortis hic dextræ locus:*
Hîc læva frenis docta moderandis manus.] Tantum-non apud me præponderat Orteliani Codicis lectio, *fortis hic humeri locus: Hîc dextra frenis,* &c.

AD TROADA.

Verſ. 191. *Ite, ite, inertes, debitos manibus meis*
Auferte honores.] Manifeſtè peccatum in legem verſûs: nec aliud ſuggerunt libri. Si audaci mihi liceat eſſe, reponam *debitoſque manibus*; vt è gloſsâ irrepſerit *τὸ meis.* Niſi fortè ad *manus*, id eſt res geſtas, robur, &c. referas ſenſum, non *manes*; vt pòſt, *-quæ minor merces poteſt Tantæ dari virtuti?*

235. *Vt alia ſileam merita, non unus ſatis Hector fuiſſet.*] Rarò fido lectioni Baſileenſi; hîc ferè faciam. in eo reperi, *Vt alia ſileam multa.*

305. *Amore*

305. *Amore ſolito pectus, & Veneris novæ?*] Mss. & Baſil. *Amore ſubito.*

490. SEN. *Hæc cauſa multos una ab interitu arcuit,*
Credi periſſe. vix ſpei quicquam eſt ſuper.
Grave pondus illum magna nobilitas premit.
AND. *Ne prodat aliquis.* SEN. *amove teſtes doli.*
AND. *Si quæret hoſtis.* SEN. *urbe in eversâ perIt.*] Confuſa hæc & turbida; at quæ feliciter ad hunc modum concinno:

SEN. *Hæc cauſa multos una ab interitu arcuit,*
Credi periſſe. AND. *vix ſpei quicquam eſt ſuper:*
Grave pondus illum, magna nobilitas, premit.
SEN. *Ne prodat aliquis, amove teſtes doli.*
AND. *Si quæret hoſtis?* SEN. *urbe in eversâ perIt.*

Conſilium reperit ipſa Andromacha; ipſa præ pavore detrectat. Vrget Senex & trepidantem animat.

579. *Verberibus, igne, morte, cruciatu eloqui*
Quodcumque celas, adiget invitam dolor.] Minimè verò in eorum ſententiam eo, qui malunt, *mortis cruciatu.* quod nec libri, quos vidi, præferunt; nec patitur verſus. Et ſanè haud credã Vlyſſem tã articulatè penſitaſſe quid minaretur, vt mortem diſtingueret à cruciatu mortis.

588. *Et quidquid audet victor iratus tumens.*
VLYS. *Stulta eſt fides celare quod prodas ſtatim.*
AND. *Animoſa nullos mater admittit metus.*
VLYS. *Hic ipſe, quo nunc contumax perſtas, amor*
Conſulere parvis liberis Danaos monet.] Variant libri, Mss. verſum ſecundum ignorant: excuſi agnoſcunt, ſed cum ſequentibus Vlyſſis faciunt. Ego ſic diſpono; &, nec fallor, benè:

Et quidquid audet victor iratus tumens;
Animoſa nullos mater admittit metus.
VLYS. *Stulta eſt fides celare quod prodas ſtatim.*
Hic ipſe, &c. Poſſit etiam illæſâ ſententiâ abeſſe verſus ille qui in Mss. abeſt: *Stulta eſt fides*, &c.

837. *An ferax varii lapidis Caryſtos?*] Scaligeri, ſummi Critici, hæc lectio: pro quâ faciũt Mss. mei cũ editione Lutetianâ. Malũt alij, *rari lapidis*, cauſâ metri; cũ tamẽ verſu 1053 huiuſce

huiuſce Tragœdiæ etiam dactylum ſede ſecundâ reperire ſit in Sapphico : *Troia quâ iaceat regione monſtrans.*

1040. Et vir & Pyrrha, mare cùm viderent.] Errorem videre videor : quem tamen non tollo. Nam ſi emendem, *Et vir & coniux*, &c. poſſit intelligi τὸ *Pyrrha* irrepſiſſe è gloſſâ: tamen audaciam iſtam non aſſumo.

1103. - ſponte diſſiluit ſuâ in media Priami regna.] Libri Ant. D'el-Rio, *deſiluit.*

1114. Et ora & illas nobilis patris notas.] Ms. meus, *nobiles.*

1135. - tali nubat Hermione face.] Mss. & Pariſ. Baſil. *tali nubat Hermione modo.*

AD AGAMEMNONEM.

Verſ. 202. *Mors miſera non eſt, commori cum quo velis.*] Ingenuè fateor, non intelligo : & minùs *qui cum*, quodà Fabricio; aut *quo cum*, quod ab Ant. D'el-Rio. Ferè ſcribam, *Mors miſera non eſt cùm mori cum quo v.* Quo, id eſt aliquo, quopiam ; vſitatè. Ad hunc ſenſum illa ipſa verſu præcedenti *-perde pereundo virum.* & Medea, *- trahere, cùm pereas, libet.* Omnis item ille in Troade Chorus cuius initium, *Dulce mœrenti*, &c.

269. Ignota tibi ſunt iura regnorum haud nova ?] Gratior mihi lectio libri Orteliani, *aut nova?*

507. Nil ratio & vſus audet in magnis malis.] Sunt qui malint, *ars ceſſit malis:* & multis exemplis eam lectionem firmant. Nolui ego diſcedere à librorum conſenſu : maximè, cùm peruſitatum id noſtro huic Senecæ ſit immiſcere ſparſim ſententiolas.

514. - quisquis ad Troiam iacet,
Felix vocatur : cadere qui meruit manu.
Quem fama ſervat, victa quem tellus premit.] Scriptus meus, *qui potuit manu:* & pro, *premit*, libri omnes, excepto Fabriciano, *tegit.*

602. Vrbe cum totâ populos cadentes,
Hoſticâ muros populante flammâ,
Indomitum bellum perrumpet omne.] Liceat feliciter emendare, aut ſaltem placito errore labi: Emendem ego, inquam;

inquam: *Vrbe cum totâ populo cadente, Hosticâ m. p. flammâ, Indomitus bellum perrumpet omne.*

671. *Ramo cantat querula Edonis.*] Ald. Lugd. Basil. *tristis aëdon.*

855. *Audivit sonitum crepitante flammâ.*] Acutè restituit Reverendus D'el-Rio, *lamnâ.* Sunt & qui malint, *silvâ.*

AD OCTAVIAM.

Vers. 35. *Fulgore primo captus & facili bono*] Interpretantur *facili*, inconstanti: haud malè tamen legatur, *fragili.*

53. *-mutat immitis dolor Consilia nostra.*] Exemplaria Ortelianum & Aldinum, *mittit.* id est, reijcit, spernit.

89. *Spernit superbos humilesque simul.*] Meliùs existimem consuli versui, si emendetur, *summos*; vel, *superos.*

286. *Quid virginitas castusque pudor?*] Magis decorè omittit versum istum Codex Ortelij. Et certè ineptè in maritatâ laudetur virginitas.

309. *Hoc quoque nostra, Videre nefas secula.*] Si vera est lectio Mss. & Parisiensis Lugdunensisque editionum, *Hæc quoque nati Videre nefas secula:* collatio fuerit istius seculi cum præcedenti: Protulit enim crudelitatis filiæ in parentem exemplum Chorus; iam filij.

† Mart. Ant. D'el-Rio, in Adversariis.

409. *Mox inquietum, quod sequi cursu feras*
Auderet acres; fluctibus tectos graves
Extrahere pisces rete; vel calamo levi
Decipere volucres; premere subiectos iugo
Tauros feroces.] Vnicum tantùm exemplum videre contigit, cusum anno cIↃ. IↃ. XVII. in quo ea verba quæ inseri vult †vir doctus:

* In Aldino, anno 1517. Venetiis impresso, legitur: *crate, vel calamo, aut levi Tenere laqueo: premere, &c.*

Extrahere pisces rete, vel calamo levi:
Decipere volucres * [*crate: cervos aut leves*
Tenere laqueo:] *premere subiectos iugo*, &c.

Cùm verò artem capiendarum sive decipiendarum avicularum tam industriè docuerit; velim etiam addiscere modum laqueis tenendi cervos; nisi ille peculiaris fortè gladiatoribus laquearijs. Mihi verò probatur editio Fabriciana; imò verò consensus librorum. At si mutandum quid,

quid, legam *-vel calamo leves Decipere volucres.* vt antè dixit, *feras aeres, graves piſces*; & pòſt, *tauros feroces.* Calamo verò aut virgâ viſco illitâ decipi aves, vel Calepinus docuerit.

461. Detectus enſis faciet.] Doctiſſimè ita reſtituit Lipſius, cùm antè eſſet *Deſpectus.* Paulò remotiùs emendaram ego, *Diſtrictus.*

463. Inviſus & contemtus.] Aldinum, *Invitus.* Gryphianum & Ortelij, *Invictus.* Si corrigendum aliquid, ſcribam *Inultus.*

660. -ſocerum diri
Miſeranda viri potes hæc demens
Sperare memor?] Inſigniter hîc juvat noſtri Ortelij liber. in illo eſt, *ſcelerum diri*, &c. Nec antè mentem Octaviæ aſſequi poteram.

732. Irrupit intra tecta tum trepidus meus,
Enſemq; iugulo condidit ſævum Nero.] Proba iſta lectio, probata nempe à Lipſio. Antè erat, *tum trepidus mea.* Malebam ego, *tum trepidus, meo Enſemque iugulo*, &c. vt & pòſt verſu

752. Iugulo quòd enſem condidit Princeps tuus.] Corrigo audacter, *tuo.*

780. Quicumque tectis miles exſultat ducis,
Defendat aulam.] Ad inſolentiam & petulantiam σωματοφυλάκων referat quis. fruſtra; veriùs emẽdo, *excubat.*

824. Funerea Roma,] Tres libri ſcripti Ant. D'el-Rio & unus meus, *Funeſta* R.

850. Cecidére motus impio ferro duces.] Vt Reverendus D'el-Rio verſu 689 loco *feris*, reſtituit *feri.* (*Teliſque feri Principis aulam.*) ſic ego hîc, *impii.*

862. Horrore victum trepidus adſtrinxit rigor.] Verbum *adſtringendi* poſtulare videtur, *vinctum.*

Atque hîc eſto Notationum noſtrarum finis. In quibus brevior ſi fui, ne mirere. Neque enim operæpretium ratus ſum, multa verba impendere. Nam ſi feliciter emendatum quid à me eſt, ſeu notatum; veritas conferenti per ſe eluceſcet: ſin ſequius acciderit, prudenter verò verbis peperci. Lector, ſi quis es, ſi non faves: ſaltem ne nimium ſeverus carpas. Vale.

Appen-

Appendix
VARIARVM LECTIONVM
&
EMENDATIONVM.
IN MEDEA.

Verſ. 31. *Num redit in ortus & remetitur diem?*] Ms. probæ notæ optimi & doctiſſimi viri Abrahami Ortelij, & alter non admodum vetus, *Non redit*, &c.

236. *Inceſſe nunc & cuncta flagitia ingere.*] Ortelianus, *cuncta flamina.*

248. *Petiique ſupplex præſidis dextræ fidem.*] Idem liber, *Fidemque ſupplex p. d. petij.*

314. *Non quæ ſequitur flectitque ſenex.*] Idē, *defletque ſenex.*

354. *Toties imo latrante malo.*] Mss. duo, *uno latrante.*

508. *Meis Creüſa liberis fratres dabit?*
Regina gnatis exſulum, afflictis potens?
Non veniat unquam tam malus miſeris dies.] Perſonis hæc diſtinguunt Ortelij Scriptus, & Lugdunenſis editio Gryphij: *fratres dabit?* IAS. *Regina g. e. a. potens.* MED. *Non veniat*, &c.

517. *-nos confligere certemus, ſine.*] Aldina editio, *confligе.*

631. *Ad caput tractu fluvialis Hebri.*] Ortel. & Lugd. *Ad caput tractus.*

1026. *Per alta vade ſpatia ſublimi æthere.*] Ortel. & Ald. Lugd.que, *ætheris.*

IN THEBAIDE.

Verſ. 2. *Patris levamen gnata, quam tanti eſt mihi*
Genuiſſe, vel ſic deſere infauſtum patrem.] Ald. *Genuiſſe vel ſic. deſere i. p.*

4. *In tecta quid deflectis errantem gradum?*] Ortel. *In rectum.* lege, *In recta.* ſic Ald. & Lugd.

116. *Vbi torva rapidus devehat Ismenos vada.*] Ald. *ducat Ismenos.*

194. *Proiecit atque abscessit.*] Mss. & Lugd. Basil.que, *abscidit.*

197. *- contempsit mori. Qui concupiscit.*] Ortel. *non concupiscit.*

257. *Cruore sæpe regio attractus alit.*] Ms. *tinctas alit.*

262. *-proh, loqui Hymenæum pudet.*] Ortel. *proloqui.*

318. *Iubente te præbebit alitibus iecur, Iubente vivet.*] Idem, *Iubente te vel vivet.*

320. *-Regiâ stirpe edite.*] Ortel. auctiùs, *Exemplum ingens, regiâ st. edite.*

328. *Ego ille sum, qui scelera committi vetem?*] Paris. & Basil. *bella committi.*

393. *Cursu citato miles hinc illinc ruit.*] Ortel. & Lugd. *hinc atque hinc ruit.*

457. *Maius peractum est.*] Ortel. & Lugd. *Maius paratũ est.*

482. *Dum frater est armatus, armatus mane.*] Ortel. *Dum frater exarmatur.*

IN HERCVLE FVRENTE.

Vers. 19. *Sed vetera serò querimur, una me fera,* &c.] Ald. & Lugd. *Sed vetera querimur, una me dira ac fera.* Et Mss. *una me dira ac fera.*

94. *Quà mugit ingens montis oppositi specus.*] Ortel. & Basil. *Quam munit.*

171. *Aurâ tumidum volvit inani.*] Ortel. & Lugd. Basil.q; , *tollit.*

300. *- tibi frugum parens.*] Mss. *potens.*

406. *Sed ille regno pro suo, vos improbâ,*] Ald. *nos improbâ.*

420. *- non vincet fidem Vis ulla nostra.*] Mss. & Paris. *nostram.*

438. *Quo patre genitus, cælitum penetrat domos?*] Ms. recentior, *penetret.* Sed Vetus Ortelianus, *sperat domos?*

677. *Sic pronus agger urget.*] Mss. & Paris. Basil.que, *pronus aër.*

1018. *Renuo noverçam.*] Paris. *Teneo n.*

IN

IN HERCVLE OETÆO.

Vers. 29. *Meâque fusum dextera.*] Ortel. *Meâque f. dextera est.*

30. *-sic negat mundus feras,*] Lugd. *si negat m. f.*

40. *Me sensit Vrsæ frigidum Scythicæ genus;*] Ortel. *Scythiæ.*

81. *Tangat Pelorus, vt una iam tellus erat.*] Ms. *& una sic tellus erit.* Paris. *& una iam tellus erit.* D'el-Rio, *vt una cùm tellus erat.*

146. *- quà fugit Ismenos-*] Ms. & Basil. *fluit.*

165. *Pro fato patuit vultus iniquior,*] Scriptus Ortelij, Ald. Lugd. Basil. que *potuit.*

205 *- volucremque Iolem Turba loquetur.* Ms. *Fama loquetur.*

291. *-Herculis tantùm fui Coniux tumentis.*] Ortel. & Ald. Lugd. que *timentis.*

320. *-saxa* (al. *sæva*) *iamdudum & faces In te ferentur.* Ignorant ista verba omnes quotquot vidi, exceptâ Fabricianâ editione.

345. *Ire, ire, ad umbras Herculis. nuptam licet.*] Ald. Paris. Lugd. Basil. & Mss. *Herculi.* Lugd. & Paris. *iunctam.* Sed Ald. & Basil. *victam.* Lugd. item, *libet.*

385. *Deforme foliis aspicis truncis nemus.*] Ortel. *Deforme solis.*

400. *- quo nimis quisque deos Orabat ullos.*] Mss. & Paris. *qua.* D'el-Rio, *quod.*

447. *Cur sæva modicè statuis?*] Mss. & Paris. Lugd. que *sæva modicis.*

491. *- amoris pignus Herculei manet.*] Ortel. & Ald. Lugd. que *latet.*

746. DEI. *Nescio quod animus grande præsagit malum.*] Mss. & Lugd. duos post hunc versum inferunt.

* *Regna, triumpha, templa Iunonis pete,*
Hæc tibi patent delubra præclusa omnia.

* Ita legendum cũ Lipsio: corruptè legebatur, *Regina triumphi.*

860. *Cur? deme ferrum.*] Ortel. *Cur d inde ferrum?*

895. *Vinci Hercules non potuit, hinc cœpit mori.*] Ms. & Ald. Paris. Lugd. Basilque, *Vinci H. cùm potuit.*

1125. *Quis tantum capiet nefas Fati?* Ortel. *nefas? Fatum.*

1135. *Obſta noverca.*] Mss. & Pariſ. *novercæ.*

1286. *Fletũ virtus ſæpe reſolvit.*] Ms. & Baſil. *Fletũ luctu.*

1427. *Miſereque nato ſimilis Alcmenæ nepos.*] Ortel. *fato ſimilis.*

1488. *Eſt clara captas inter incultas genus.*] Idem, *incultũ.*

1592. *Qui poteſt ſolum decus eſſe regni.*] Ms. *Qui putent.*

1596. *Ecquid hoc? mundus ſonat.*] Ortel. *Heu, quid hoc?* Ald. & Lugd. *Enquid.*

1870. *Ille tyrannus iuſſit Stygias*
Penetrare domos populisque mandans Ponere ferrum.] Ortel. *tyrannos.* & mox Lugd. *populisque madens.*

1898. *Quòd non ſtabulis veſcitur infans.*] Ortel. *naſcitur infans.*

1922. *Monſtra morantur.*] Ms. & Pariſ. *Fata m.*

IN THYESTE.

Verſ. 54. *Ornetur altum culmen.*] Ald. & Lugd. *columen.*

578. *Ac mare intortum timuëre nautæ.*] Ortel. *Ac mare in totum.*

740. *Pectore receptus enſis, in tergo exijt*] Idem, *exſtitit.*

822. *Tenebrasque iubet ſurgere. nondum*
Nocte peractâ.] Ortel. & Ald. Lugd. que, *paratâ.*

IN OEDIPO.

Verſ. 34. *Incolumis ergo.*] Ortel. *Incolumis adſto.*

341. *Iuvenca ferro ſemet oppoſito induit.*] Ms. *impoſito.*

382. *Vox eſt, nec vſquam territi fugiunt greges.*] Mss. *reſonant greges.*

634. *–prima qui ſævæ necis Sceptra*] Ortel. *præmia qui.* Lugd. *pretia.*

795. *Gravem paterna regna diſcutiunt metum.*] Ortel. & Ald. Pariſ. Lugd. Baſil. q; *Omnem p. r. diſcutient m.*

IN

IN HIPPOLYTO.

Vers. 14. *Vbi Mæander super æquales*] Mss. & Paris. versus hic abest.

286. *Quæque ad Occasus iacet ora seros.*] Ms. *Quæque ad Hesperias iacet ora metas.*

305. *Perque fraternos, mala regna, fluct-s.*] Ms. & Paris. *nova regna.*

368. *Nec se quieti reddit.*] Mss. & Ald. Par. Lugd. q; *Nunc se.*

403. *Depone questus*] Ms. & Paris. Lugd. q; *Sepone q.*

532. *- cinxerant vrbes lacus,*] Mss. *latus.*

619. *Muliebre non est , regna tutari patris.*] Ms. *tutarí vrbium.*

621. *Sinu receptam supplicem ac servam rege.*] Mss. *tege.*

658. *Et genitor in te torvus.*] Lugd. *in te totus.*

826. *In scelere quærit crine lacerato fidem.*] Ms. *Et scelere.*

1063. *Torvusque currus antè trepidantes stetit.*] Mss. *Et torva.* D'el-Rio. *Taurusque.*

1273. *En hæc suprema vota genitoris cape.*] Mss. *dona genitoris.*

IN TROADA.

Vers. 56. *- non tamen (superi) sat est.*] Mss. & Paris. Basil. q; *superis sate.*

87. *- veste revulsâ.*] Mss. & Ald. Paris. Lugd. Basil. q; *veste remissâ.*

240. *Pariterque Memnon.*] Ortel. & Lugd. *Patruique.*

243. *Didicitque Achilles & dijs natos mori.*] Mss. & Paris. *& deâ natos m.*

898. *Cùm dimicantes læta prospiceres viros.*] Ortel. *lenta prospiceres.*

924. *-iudicem irritum puta.*] Mss. & Ald. Paris. Basil. que, *iratum puta.*

1144. *Stupet omne vulgus, & ferè cuncti magis Perituram adulant.*] Ald. & Lugd. *Vt peritura laudant.* Ortel. *Perituram laudant.*

IN AGAMEMNONE.

Vers. 35. *Avo nepotem (pro nefas) patri virum,*
Natis nepotes miscui.] Ald. & Lugd. *Avo parentem.*
52. *An deceat hoc te, respice: at matrem decet.*] Ortel. & Lugd. *An deceat hoc te? respice ad matrem: decet.*
471. *In astra pontus tollitur, & cælum perit.*] Ortel. & Ald. omissâ copulâ, *tollitur cælum p.*
506. *Sed trunca toto puppis Ionio natat.*] Ald. & Lugd. *Sed fracta toto.*
576. *- iam timent terram rates, Voluntque maria: cedit in luctum furor.*] Ortel. *cecidit in lucem furor.*
627. *Fatale munus Danaûm traximus.*] Ortel. & Ald. Lugd.que *Danaûmque fatale munus duximus.*
965. *Regina frangam.* EL. *mitius interea mihi*
Tu vidua loquere, vir caret vitâ tuus.] Ortel. alterum totum versum ignorat,& legit: EL. *Citiùs interea mihi Edisfere, ubi sit gnatus.*

IN OCTAVIA.

Vers. 149. *-criminis factus reus.*] Ortel. *facti.*
207. *Aureus idem fulsit in imbri.*] Idem, *fluxit.*
249. *Nero ipse divo Domitio genitus patre.*] Idem, *Nero insidivo.*
572. *Vix sustinere posset hos thalamos deus*
Videre, populi sancta nec pietas sinat.] Mss. & Ald. Paris. Lugd. Basil.que, *dolor Vid.re populi, sancta nec p. s.*
583. *Permittat ipse.*] Ortel. *Remittat.*
798. *Diducta laqueis.*] Idem, *Deducta.*
894. *-flentem, miseram Cernere possis.*] Ms. *possunt.*

FINIS.

Q. SEPTIMII

FLORENTIS CHRISTIANI

Ad

THEBAIDEM NOTÆ.

Q. SEPTIMIVS FLORENS CHRISTIANVS FREDERICO MORELLO,

Regio Doctori, Regio Typographo,

S. D.

INgenij noſtri vires, qui toties ſpectaſti, mi Morelle, non benè tamen perſpexiſti: aut quare in Pariſienſi Regum ſchola tanquam in Theatro Pelopidarum Scenam è Seneca exhibiturus conſulis me, qui Oedipus non ſum, ad explicandas Sphingis literariæ ambages? præſertim poſt Lipſium in literaria militia magnum Prætorem, cum quo comparatus non lixæ aut calonis, ſed impedimenti vicem functurus tantùm videar? Meritò tu quidem fiduciam habes huius animi, qui tibi tanquam obnoxius nihil unquam poterit denegare, quamvis ipſi Dij (libet contraïre Laberianæ adulationi) mihi omnia felicis ingenij bona denegarunt. itaque nihil moratus ingenij imbecillitatem & deorum præſtantiora munera, voluntatem & conatum accipies pro facultate & felici eventu. Mitto tibi non quas ames, ſed quas flagitaſti Notas aliquot ad Senecæ Thebaidem; laborem, inquam, vix triborium, dum quotidiana negotia per has ferias ſequeſtro. Eas ſi non uſui, at fructui eſſe velim, quem non edas, ſed carpas. Vale, mi Morelle. Vindocini, Poſtridie Non. Iun. M. D. LXXXVIII.

HÆc Fabula Senecæ omnium, quæ à magno illo viro & (auſim dicere) philoſopho ſcriptæ ad nos pervenerunt, longè excellentiſſima & cum Oedipo eiuſdem quaſi gemina, ex Æſchulo, Sophocle, Euripide tota conflata

conflata est; imò cultu & nitore, si principem Criticum audimus, Græcas fabulas superat: Principium habet non absimile Sophocles Colonei principio, τέκνον τυφλὸ γέρον-τος. sed profectò (quod Græcos magis decet) loquatius & περιττολογίᾳ abundantius. Non enim placet repetitio, *Cæci parentis*] *Fessi patris*] *Infaustum patrem*] videtur autem imitatione Græcorum τερατολογίαν dedisse. Nam velut sapientissimus Tragicorum Sophocles totam hanc Thebanam historiam tribus fabulis benè & ordine contexuit Oedipo rege, Antigona, & Coloneo Oedipo, post Æschylum; qui præter superstitum solam Septem Thebanam, Laium præterea & Oedipum tres fabulas docuerat: Sic noster Seneca præter tertiam, quam temporibus nostris ereptam puto, Thebaidem & Oedipum dedit: quarum Oedipus ordine prior est, si historiæ textum respicimus. Solus Euripides uno titulo & fabula Phænissarum videtur tres aliorum fabulas totamque historiam complexus. Huius præcipuè Oeconomiam æmulatur Seneca, & certat cum illo in sapientibus dictis.

Vers. 31. *Montem Cithæron.*] Quid si *mortem* pro *monte* hic admittimus secundum votum Oedipodis? Fortassis hæc vera probabitur lectio collatione exemplarium. nam nobis præter Fabricianæ editionis nullum est exemplar.

33. *Recipe supplicium vetus.*] Signatissimo verbo *recipiendi* utitur. nam qui olim se infantem acceperat, iterum nunc accipi cupit, quod est recipi. Agnoscant Latinitatis hospitium, qui nuper urbis arces nunquam antea amissas receptas scripserunt, cum magno & plusquam Iberico loquendi fastu. Nam ea recipimus, quæ bello amissa postea recuperamus. Sic Q. Maximus Tarentum recepisse dicitur.

36. *- perage mandatum patris,*
Iam & matris. animus gestit antiqua exequi Supplicia.]
Hoc dicit, quia recens natum Oedipum jusserat Laius pater exponi Cithærone absumendum ab obviis feris. Sed quia non est credibile idem fuisse mandatum matris (nam vel teste Menandro, *patre, liberorum mater est amantior*) fortassis non distinguendum post *matris*; ut

matris animus sit ipsa mater, quam aiunt suspendio vitam finisse. Vocat autem *antiqua supplicia* propter diris olim devotam domum à Pelope ob raptum Chrysippi. Tamen si distinctionem admittis post *matris*, intelligendum de expositura.

39. *Amore vinctum? quid tenes?*] Distinguebam aliquando sic, *vinctum quid tenes?* Patrem enim ita complexu suo premebat Antigona morti paratum, vt vix divelli posset: propterea mox ait, *nostros fulmen in nexus cadat.* Sin autem, sane non abest quin per hæc verba, *pestifero amore vinctum*, respiciat ad Iocastam, quæ velut uxor nati sui vincta est pestifero amore: sic natæ Antigonæ pressiores amplexus, etsi non nefarios, sed pios, tamen memoriâ materni sceleris etiam pestiferos vocat. Sive ergo mecum, distinguis sive non, haud magni interest. Tamen *vivum* non *vinctum* emendat Lipsius, vir emendatissimus. quam coniecturam vt admitterem nondum impetrare potui ab amore, quo virum illum, etsi invisum, iamdudum colo & veneror.

44. *Ego video.*] Hæc non ab Antigono sed Oedipo dicta continuantur ad illa usque: *Vis nulla*, &c. vt rectè monuit Lipsius. Sed quia incipit versus à Proceleumatico, si Tribrachyn mavis, lege: *Video ego.* quamvis pes ille in hac sede admitti potest. Sed est Seneca & sententiarum & modulorum captator diligentissimus.

49. *Possum miser prædico*,] Pendere videtur sententia; quid enim miser posset? Nam postquam dixit, *nullum facere iam possum scelus*, propter admissa in parricidio & matris incesto, nihil sibi relictum putat ad scelerum expiationem præter mortem. Itaque mutarim illud *prædico* in *perire.* Nam & post ait filia, *Perire sine me non potes, mecum petes*, vers. 66.

50. *Timeo post matrem omnia.*] Et hic locus firmat sententiam nostram, quâ diximus respexisse prius Oedipum ad scelus quod cum matre commisit, in illis verbis, *Pestifero tenes amore vinctum.* Sanè enim (credo amore mortis) minatur aut minari simulat filiæ stuprum: & verba ista habent ἔμφασιν: *discede à patre, discede virgo*; *quasi dicat:*

dicat: Scilicet timere debeo à filia, qui non timui à matre. Hoc si ita est (& verum puto) non pigebit mutare sententiam modò pronunciatam, quâ *perire* legebamus. Nam τὸ *possum miser*, revocatio est sententiæ proximæ; quasi dicat: Etiamsi tanta scelera admisi, ut novis locum non videar reliquisse: tamen prædico tibi, possum scelus adhuc facere. Sed, ut dixi, hoc Oedipus artificiosè causatur, vt persuadeat filiæ abitum, quò liberiùs & sine impedimento possit, ut Græci dicunt, ἑαυτὸν ἐξάγειν.

55, *Pars summa patris optimo è regno mea est Pater ipse.*] Malim, *optima.*

57. *Thebana rapto*] Antigona imò ius bonum plus videtur adiuvare Polynicem quàm Eteoclem; vt videre etiam est apud Græcos Tragicos. Itaque hic regnum rapuisse, imperium occupasse, fœdus læsisse & fidem; ille verò Argivos quidem duxisse, sed fœderis icti testes deos invocare, & hîc & alibi traditur.

62. *Dirigam invitum gradum*] *Patrem* legit eruditissimus Lipsius; neque ego nolo, tanti præsertim auctoris tibicine fultus. Sed non placet ista quasi ταυτολογία, *regam, dirigam*. Si quid ausim, legam, *diligam invitum patrem.*

78. *Victasque magno pectore*] in veteri exemplari erasam fuisse aliam vocem & hunc substitutam, testatur fidei plenus idem Lipsius. Sed fortassis scriptor, qui hanc ipsam scribere voluerat malè primùm exscripserat, deinde sic correxerat quo modo oportuit. Non enim de nihilo repetitum videtur hoc *pectus*. Primùm enim advocat & renovare vult antiquam mentem: Deinde eodem pectore vult constantem esse in ærumnis. Sanè si à sententiâ tanti viri (qualem Lipsium sentio esse, & libens profiteor) licet discedere, non mutem *pectus* in *robur*; præsertim cum post dicat, *Iras remisso pectore ac placide feras.* Neque me latet inveniri postea, *roboris tanti virum.*

81. *Virgo dissimilis suo?*] Hîc libenter hærerem cum interrogationis notâ: deinde sic distinguerẽ, *Fortuna (Credis?) aliquis est ex me pius*, sine interrogãdi notâ; nisi in parenthesi.

100. *Occidere est*] Sententia gemina Horatianæ, *Invitum qui servat, idem facit occidenti.*

109. Gnatus hunc habeat meus] Neque hîc commation adſuërim, ſed continuandæ orationi ad iſta, *Sed vterque.* deinde natam alloquitur, & iubet ignem & aggerem componere quò ſe immittat.

* Vel potius Georg. Fabricius.

129. Quicumque Elim] Non temere * Avantius vocem *Elidis* ſuppoſitiam exîſtimavit, cuius prior ſyllaba, alias ſemper longa, hîc breviatur. Quamvis enim regiones vicinas, Peloponneſum, Locridem, Phocidem & Bæotiam innuat, tamen non propterea infertur, ut Elis ſit neceſſaria. Præterea *Elidem* vel *Elida* potius declinaſſet. Itaque videndum, quid ſubſtituamus. Sin minus, *Elim* relinquamus. Neque enim novum eſt Romanis breviare voces, quas Græci producunt, vt Sidonius Apollinaris, qui *Euripidem* in verſu Phaleuco fecit Ditrochæum. Mirum eſt Togatos Palliatis eſſe breviores.

184. Specimen domus,] Aliud eſt quod dixit ſupra, *Specimen egregium domus.* Hic videtur eſſe τὸ εἶδος & decora ſpecies, ut ait infra, *altis nobilem muris domum.*

194. Proiecit atque abſceſſit] In hoc loco (verè dicam) nec liquet, nec lucet. Sed Lipſium proximè aberrantem ſequor: niſi quod non poſſum improbare τὸ *abſceſſit.* Nam Antigona ſecedere cupit patrem, non diſcedere à vitâ: quando nihil magis profecturus eſt diſceſſu, quam ſeceſſu, hic paulo poſt, *Et turba fortunæ prior Abſceſſit antè iuſta.* Illa verò ἀσύνδετα ſequenti verſu, *ipſe ceu video, nullo eſt opus*, fortaſſe rectiùs cohærebunt, ſi legas *ceu deo:* & τὸ *nullo* accipio pro nullâ re. Deinde interrogative, *Quare ipſe*, &c.

221. Ego laticis] Vel lege. *aut laticis*: aut admitte iterum Proceleumaticum [primâ verſus ſede. Vide ſupra ad verſ. *44.*]

240. Has quoque eripui mihi] Malim, *eripuit mihi.*

274. Qui facere poſſunt, dedimus.] Puta natos Eteoclem & Polynicem, cuius mutua cœdes maius erit crimen, ut ait poſtea Iocaſta, *leve eſt quod ſum nocens Peperi nocentes:* cùm antea dixiſſet, *Quæ prima mater maius aſpexi nefas Quam quod miſer videre non potuit pater.* hic apud Euripidem Phæniſſis ait infelix mater, ἄνομα τεκεῖν ἐμέ.

313. Hic

313. *Hic Oedipus*] More Græco *Oedipus* producit vltimam ſyllabam, eſt enim οἰδίπους. Si brevias terminationem Latinam, Anapæſtum in hanc ſedem (rarum huic Poëtæ) admiſeris.

320. *Regiâ ſtirpe edite :*] Hunc ſemiverſum, ne cohæreat cum præcedenti, qui in fine Actus primi, replet ex veteri libro Lipſius, ſic, *Exemplum in ingens, regia ſtirpe edite,* Ego neque temerè omni vetuſtæ aut ſcriptæ lectioni fidendum puto, & vix eſt ut à Seneca ſic poſitum dicam. Nam valdè inamœnus ſit ſonus particulæ *in* repetitæ. Præterea, & ſi fatetur ipſe Oedipus appetere exempla ſuorum facinorum in ſuis natis : non propterea id nuncius dixerit, aut cum malo omine Regem ſuum ſalutaverit.

328. *-que ſcelera committi vetem,*] Præſtat, ut opinor, hæc lectio illi, quam Lipſius ex veteri libro repreſentat. Nam ſi vterque frater regno potiretur, tunc rectè *ſceptra committi* dicerentur. Sed ſolus Eteocles ſceptro occupato fratrem exulem tunc habebat neque in pactas vices reſtitui ſinebat. Itaque rectè mater infra ad Polynicem *-& nondum imperas, Quid ſceptra facient ?*

399 *- aureâ clarum notâ,* &c. Non ſolùm ducum nomina aureis literis ferebant in vexillis, ſed & ſigno cum minis inſertis: ut, apud Æſchulum de Capeneo dicitur, ἔχει δ' σῆμα, deinde : χρυσοῖς δ' φωνεῖ γράμμασι ΠΡΗΣΩ ΠΟΛΙΝ.

402. *Et impia arma mater oppoſita impedi*] An, *arma oppoſita*; an, *Mater oppoſita ?* illud veriſimile eſt, hoc firmatur ſequentibus ſtatim poſt Actus primi principium, *media ſe opponit parens.* Sanè Pariſienſis & Lugdunenſis editio vetuſque liber (te Fed. Morelle teſtem laudo) habent *matris oppoſitu.* quod valde mihi placet.

Finis notarum ad Thebaidem.

AD SENECAM
LECTIONES VARIÆ
è manuſcriptis libris
BIBLIOTHECÆ PALATINÆ
ALIISQVE DESCRIPTÆ

Ab

HIERONYMO COMMELINO

cIↃ IↃ LXXXIX.

OTHONI GRYNRADIO VIRO NOBILI S.

EDitis jam à me Comicis duobus, Grynradi nobilissime, invitavit tempus hoc τεφνικώτερον *ut L. Annæum Senecam, qui unicus è Latinis Tragicis nobis relictus est, illis subiungerem. Nactus itaque libros manuscriptos aliquot, sedulò contuli, & scripturam veterem libello comprehendi: nonnulla obiter, quæ difficiliora videbantur, explicavi: coniecturas parcè addidi. nosti enim quàm periculosæ illæ esse soleant. Quòd autem tibi potissimùm has lucubratiunculas inscripserim, id jure mihi feciſſe videor. Animadverti enim, atque adeò expertus sum, quo animo doctos omnes, & eos qui Rempublicam literariam juvare conantur, amplecti soleas. Itaque quum testimonium aliquod observantiæ erga te meæ publicè exstare vellem, En Seneca noster, nescio quomodo ultro sese obtulit; & certè, quum* ἀπάρξαν, *quæ tibi in aulâ Palatinâ obtigit, considero, minimè temerè. Quis enim Theologus* (τῶν ἔξωθεν *dico) viros Principes meliùs & maiori cum delectatione docet quid fugiendum, quid amplectendum? Plura non addam, ne fortè γλαῦκα, quod aiunt,* εἰς Ἀθήνας. *Præterea, quidquid hîc à me animadversum aut emendatum est, id ferè omne Illustrissimo Principi Frederico* IV. *Comiti Palatino ad Rhenum, Domino meo clementissimo, ex cuius locuplete Bibliothecâ hereditariâ M. S. mihi exemplaria communicata sunt, debere me ingenuè fateor. Ipsi autem acceptum re-*

ferre

ferre quâ aliâ ratione meliùs possim, quàm si prior ipse acceperis? Tu enim præceptis optimis teneram illius ætatem indefessè instruis, & non sine magnâ laude exemplo præis. Quem quidem quum habeas obsequentissimum, futurum spero, vt summam spem bonorum omnium, quam de eo jam puero habuerunt, indies magis ac magis virtute superet. Vale vir integerrime, & de Republicâ Christianâ, quod facis, bene mereri perge. Heidelbergæ, CIↃ IↃ LXXXIX.

N. T. D

HIER. COMMELINVS.

LECTIONES VARIÆ AD SENECAM.

L. ANNÆI SENECÆ] Liber manu scriptus: MARCI ANNÆI SENECÆ CORDVBENSIS TRAGOEDIÆ. In alio: L. PVBLII SENECÆ.

IN HERCVLEM FVRENTEM.

HERCVLES FVRENS,] In hac nostra editione; quamvis non magnopere referat, ordinem jam vulgatum retinuimus, quem & m. s. nostri omnes servant.

ACTVS PRIMVS,] Exemplaria manu scripta vetustiora Actus non distinguunt.

Vers. 12. *Ferâ comâ.*] Hæc lectio omnium manu scriptorum Palatinæ Bibliothecæ, atque adeo formis editorum exemplarium auctoritate confirmatur. Interpres vetus: *Quia caput eius apparet ferum & terribile: & quando dominatur*

dominatur in cælo, ſemper nubes adducuntur, & alia corpora cæleſtia teguntur.

15. *- mobilis tellus ſtetit.*] i. Delos inſula mobilis & vaga poſt Latonæ partum firma ſtetit.

18. *Cnoſſiacæ,*] m. s. o. *Gnoſſiacæ, G, & S* ſimplici.

19. *Sed vetera ſerò querimur:*] Ita iidem libri.

24. *In cuius ortu.*] In exemplaribus quatuor, *ortus:* & in tribus, pro *impendit, impediit* ſeu *impedit* legitur. rectè. vt *ortum* vel *ortus* accipias pro generatione. aliàs ſi *impendit* legas, *diem* ſingularis erit pro plurali, vt nonnulli interpretantur, & ad partum referetur: ſeptem enim dies è dolore mater laboravit. verùm hanc germanam lectionem non arbitramur. vide v. 1158. & Herculem Oeteum v. 147.

25. *Tarduſque Eoo.*] Explicat illud, *impediit diem.*

33. *- & creſcit malis.*] Ita m. s. o.

36. *Patrem probavit.*] M. s. duo:

Patrem probavi, glorix feci locum
Qua ſol relucens, quaque reponens diem.

38. *Binos propinqua tingit Æthiopes face.*] V. m. s. *Æthiopas.* Per *Binos*, orientales & occidentales intellige.

43. *Quæ fera.*] E membranis ſcribe, *Quo*; pro in quo, qua in re, vel quo modo, q. d. nullo modo.

45. *Quæ timuit, & quæ fudit.*] Ita m. s. o. & editi. quam ſcripturam Gloſſæ omnes confirmant. Lipſius noſter (cui hic auctor ob infinitos locos divinè reſtitutos plurimum debet) *domuit* reponendum cenſet. ego nihil muto. neque enim timoris expers fuit Hercules, vt videre eſt in hac ipſa tragœdia v. 792. ubi ipſi cum Cerbero congrediendum fuit, *Et vterque timuit.* i. & Hercules & Cerberus. & v. 454. *Non monſtra, ſævas Phœbus aut timuit feras.* ſ. vt Hercules.

49. *- Fœdus vmbrarum perit*] Ita m. ſ. nonnulli. potior tamen pars, *petit.* id eſt, Proſerpinam fœderatam regi vmbrarum, vt habent Gloſſæ & vetus Interpres.

52. *- vinctum & oppreſſum*] m. ſ. ſex, *victum*, quod magis placet. Vide Thebaide v. 574.

62. *Et terna*] libri, *tetra.*

71. *im-*

71. *immenſæ*] Ita m. ſ. noſtri omnes. Lipſij codex *inniſæ.*

73. *cælum tulit*,] Tu hoc modo diſtingue, *cælum tulit Et me prementem. quærit* &c.

77. *Quid tanta mandas odia?*] Ita m. ſ. non autem, *tacita.*

90. *Humana temne*] .i. contemne humana, quia Hercules prævalet: & quære maiora contra eum. Hæc vetus Interpres.

94. *Quâ mugit.*] M. ſ. o. *Quam munit ingens* i. quam Deam munit ingens ſpelunca montis oppoſiti.

96. *veniat inviſum Scelus*] M. ſ. *veniet.*

107. *-animo captus*] Plerique m. ſ. *animum.*

108. *- nobis prius Inſaniendum eſt.*] Scribe, *vobis*, ex omnibus m. ſ. quamvis & vulgata lectio defendi poſſit. Delrio teſtatur in vno m. ſ. legi, *furis.* tum certè non malè quadrabit illud *nobis*, hac ſententia: vis (inquiunt furiæ) vt priùs inſaniamus: cur tu, ô Iuno, cuius cauſa maximè agitur, nondum furis? reddit poſtea rationem Iuno, *Me me ſorores.* &c.

116. *Me pariter & ſe vincat*] S. plus ſibi nocendo quam ego ipſi nocere potuerim. *& ſe.* quia cùm cetera monſtra vicerit, à ſe furente victus eſt.

117. *hoc proſit*]libri plerique *hîc proſit*, i. in hoc, vel nunc.

119. *librabo manum*] Ita libri omnes habent, vno excepto, in quo *manu.* retineo *manum.*

122. *Admittat*] Poſt hunc verſum, in duobus m. ſ. alij duo ſequuntur:

Movenda iam ſunt bella, clareſcit dies,
Ortuque Titan lucidus croceo ſubit.

525. *Iam rara micant*] hunc Chorum vulgati libri & manu ſcripti nonnulli in duos dividunt. ſecundi Chori initium eſt. v. *162. Turbine magno*, &c. quorum priorem melioris notæ libri non agnoſcunt. alij ad marginem habent, *Aliqui habent hunc Chorum, aliqui non.* Vetus quoque Interpres illum non habet.

162. *Turbine magno &c.*] Hîc, vt antea monui, incipit Chorus in melioribus exemplaribus. in aliis adnotatur,

SECVNDVS CHORVS.

166. *Colit: hic nullo fine beatus*] M. s. o. *Colit ac nullo fine beatas*. & ſequenti verſu; verbum *eſt* non habent.

210. *Paratur hoſtis.*] Placet Colonienſis m. s. lectio, *paratus*. vt nullum omnino tempus à labore vacuum Herculi concedi intelligatur. mox enim dicit: *Nec vlla requies niſi dum iubetur*. nimis lentum eſſet illud, *paratur*.

213. *Sequitur apprime ſtatim*] M. s. tres *apprima*, ſeu *ad prima*, præcipuè, Græco more ἐπὶ τὰ πρῶτα, vt notavit doctiſſimus Pierius ad illud Virgilij, *Flos apprima tenax*. Quid ſi cum Colonienſi, *à primâ* legas? vt intelligatur *ætate*. ad alteram lectionem magis inclino.

219. *Oculos remiſſo pectore ac placido intuens*] Ita m. s. o. ſic interpretantur gloſſæ, *libero & ſine timore*. Lipſij codex pro *pectore* habet *lumine*. in vno è noſtris additur *vultu*. gloſſemata ſunt hæc. in Thebaide, v. 187. *remiſſo pectore ac placido feras*.

222. *Præluſit hydræ*] Auctoribus m. s. repone *Proluſit*, quod miror à Fabricio repudiatum. Quid ſit *proludere*, *proluſio*, *proludium* nulli non notum. Interpret: *fecit proludium ominis ad Idram quam interfecturus erat*. M. s. o. *Idræ*: quid ſi, *iræ*? .i. initium fecit iræ. quia primum incepit iraſci. Sic in Hippolyto v. 1061. *Proluſit iræ*. Iudicent docti.

229. *Arcadica*] Al. *Arcadia*.

232. *Tarteſſii*] M. s. o. *Carcheſii*, vno duntaxat excepto, in quo *Carthesii*.

238. *Et iam ruenti*] M. s. o. *Etiam*, non, vt Lipſii liber, *Latam ruenti*.

268. *Cadmea proles, civis atque Ophionius*] M. s. ferè omnes, & Fabricius: *Cad. pr. atque Ophionius cinis*, quia è ſerpentis dente nata eſt gens Thebarum conditrix.

277. *-Adſis ſoſpes & remees tuis:*] Ita membranæ Palat. at Lipſ. *remees, precor*. ex gloſſemate fortaſſe. nam in vno vetere, orationis ſupplendæ cauſſa, additũ erat, *ego precor vt*.

290. *-tecum afferens*] Repone conſentientibus. m. s. o. *tecum efferens*.

300. *- Tibi frugum parens*] M. s. ferè o. *frugum potens*, vt Horatius: *Phœbe ſilvarumque potens Diana*. Paulo poſt pro *Eleuſi*, habent *Eleuſim*.

316. *Fro-*

316. *Prona eſt* &c.]Hic verſus cum ſuperiori cohæret, nulla inſerta perſona, in m. s. Palat. quatuor. Interpres vetus ait Megaræ eſſe reſponſum, quæ quaſi aſſentiens dicit, O Amphitryon,verum dixiſti, quod timor pronus eſt fidem & credulitatem habere ſemper ad peiora, ſed vellem ſcire,quum Hercules iaceat demerſus,quam viam habeat redeundi? q. d. nullam.

334. *Iſmenus*] M. s. *Iſmenos.*

343. *Quod civibus tenere te invitis ſcias,*] M. s. ferè omnes & editi vetuſtiores., *Quod civibus tenetur invitis,ſcias,*

353. *Poſſe te invidiam pati.*] M. s. vetuſtiores, *poſſe ad invidiam pati.* ita etiam Interpres vetus.

354. *Namque ipſa triſtis veſtis obtectu caput.*] Lego,*triſti veſtis obtentu*, auctoribus m.s. Sic in Hippolyto, v. 886. *-& lacrymas genis Subitò coortas veſte prætentâ obtegis ?*

362. *Si æterna ſemper odia mortales agant*] Hæc ſcriptura m. s. noſtris o. confirmata, retinenda eſt. Latina enim eſt: vt dicitur in Medea, v. 941.

Vtrimque fluctus maria diſcordes agunt, &c.

Similis ſententia in Phalaridi adſcriptis Epiſtolis, θνητὸς γὰρ ὄντας, ἄθανατον ὀργὴν ἔχειν, ὡς φασί τινες, ἐ προσήκει. quæ ſententia,vt alias coniecturas omittã,quum paucis mutatis ex Euripide deſumta ſit, facit vt exiſtimem illas non eſſe γνησίας Phalaridis. Hoc obiter.

400. *-regamque cuncta*] M. s. o. *-geramque cuncta.*

406. *Sed ille regno pro ſuo : nos improba*] Ita m. s. ferè o. & Aldina editio : itaque legendum monuit Lipſius. Si *vos*, cum Fabricio & Delrio legamus, illa *Sed illa*, &c. à Lyco Megaræ nomine, tyrannidem accuſante,dicta cenſebimus.Mox reſpõdet Lycus, *Quæritur belli exitus,nõ cauſſa.*

434. *Obici*] Ita m. s. ferè omnes. in vno, *Abici.*

438. *penetret domos*] Ita m. s. noſtri, & Interpres vetus.Lipſij liber,*ſperat*.illud Herculi violẽto aptius videtur.

453. *Quem profuga terrâ mater erranti edidit.*] Hæc lectio placet. *terram errantem* vocat Delon, quam v. 15. *mobilem tellurem* vocavit. m. s. nonnulli; *errantem dedit*. alius, *Quem profuga mater? mater errantem dedit.*

454. *Non monſtra,*] Ita m. s.

471. *Mitrâ ferocem*] M. s. noſtri omnes cum vulgatis conſentiunt, hunc quoque verſum Lyco tribuentes, non Amphitryoni. optimè. aliàs enim ad Bacchum referretur. quod ſi fit, qui illa epitheta concordabunt, *ferocem frontem* & *Bacchus tener*? quin & v. 375. Herculis Oetæi, veterem lectionem ſatis confirmat: *Crinemque mitrâ preſſit*, &c.

484. *Bibere iuſtùm ſang. Buſiridis*] .i. iuſtè effuſum.

486. *Mortem coactus* &c.) Hunc verſum, vt eſt in m. s. repone: *Mortem coactus aut Geryones pati.* Coactus eſt pati aut mortem aut Geryones. i. pugnam cum Geryonibus. tres enim erant Geryones.

523. *En eſt*] Al. *eſt eſt*.

528. *Cæliferam manum*] Ita m. s. & Interpres vetus Lipſ. *teliferam*.

536. *Et mutis tacitum l. m.*] M. s. quatuor, *multù*.

546. *Suſpiciens genu.*] Al. *ſuſcipiens*.

559. *Irrevocabiles*] Malo cũ vetuſtioribns exemplaribus legere, *non revocabiles*. quia paulo ante, *irremeabiles*, v. 548.

566. *Triſtibus inferis*] M. s. vno conſenſu omnes, *triſtis & inferis*. qui triſtantur, inquit vetus Interpres, dum, vident lucem.

571. *Et ſurdis reſonat* &c.] Poſt hunc verſum, ſi *Deflent Eurydicen*, &c. auctoribus m. ſ. vetuſtioribus colloces, meiùs cohærebunt omnia. conſentit & Lipſii liber.

583. *Evade ad ſuperos*] Vetuſta aliquot exemplaria: *Et vade ad ſup.* pleniore ſententiâ. in alio, *En vade*.

597. - *Cæleſtum arbiter*] m. s. *cæleſtium*.

620. *Triſti ſilentum n. l. domum??*] M. s. o. *ſilentem*.

629. *Regna poſſidet*] Alij, *poſſ dit*.

635. TH. *Hanc ferat virtus notam,*
Fiatque ſummus hoſtis Alcidæ Lycus.] Scribe, *Lycus?* interrogantis cum indignatione. Sententia hæc erit: Indignum virtute illâ tuâ erit Hercules, ſi tot ac tantis devictus monſtris ac hoſtibus, poſtremus hoſtis Lycus, nihili homo, dextrâ tuâ cadat. non fiet. egomet, inquit Theſeus, *ad hauriendum ſanguinem inimicum feror*. Similis locutio in Oetæo v. 474. *Amorque ſummus fiet Alcidæ labor*.

646. *Rebuſq; laſſis*] Aliquot m. s. *lapſis*. quod magis placet.

656. *Quod*

656. *Quod fuit*] M. s. o. *Quæ fuit.*

660. *Quæsivit Enna*] M. s. o. *Aetna*, vel *Ethna.*

664. *Ditis invisi*] M. s. *invicti*, aut, *immitis* habent, non *invisi.*

677. *Sic pronus agger*] Quoquot vidi m. s. o. *pronus aër* sic & veteres excusi.

680. *Lethe*] M. s. o. *Lethes.*

687. *Luctifer bubo*] Al. *letifer.*

691. *Tabido rictu*] M. s. o. *rabido.* repugnante lege versus.

709. *Recessiu*] Ne hoc quidem celare volo, in m. s. nostris omnibus legi *secessu*, spondeo in secundâ sede.

711. *A fonte discors*] Locum in vulgatis corrùptum ita corrige, & distingue:

A fonte discors manat hinc imo latex.
Alter quieto similis: &c.

717. *Adversa Ditis regia*] In m. s. duobus, *Aversa.*

739. *Placide potens.*] Al. *placidum.*

742. *Animoque parcit*] In tribus, *Animoque parcit*; id est, vitæ. exponit, quod superiori versu dixit!

747. *Maiore nostra*] M. s. quatuor, *vestra.* recentiores, *nostra.*

755. *Perit unda*] Hoc modo potiùs distingue:

Perit unda in ore: toma &c.

767. *- Concavæ squallent genæ*] Repono, consentientibus m. s. o. *lucent.* Si *genæ* ἀντὶ τῶν βλεφάρων, vel pro oculis ipsis accipias; erit micant: sin pro malis; *lucent* eo modo accipias quo Plautus Aululariam *pellucet*, de agno maciléto.

M. *Volò ex te scire qui sit agnus curio.*
EV. *Qui ossa atque pellis totus est, ita cura macet.*
Quin exta inspicere in sole etiam vivo licet,
Ita is pellucet, quasi laterna Punica.

τὸ *squallent* ex glossemate huc irrepsisse verisimile. paulò antè habes, *squallidus gestat senex.*

769. *Hic onere vacuam*] M. s. o. vno excepto, *vacuus.* rectè. i. nullam habens vecturam; *litori puppim applicans*, vt faciliùs exscenderet; *repetebat undas*, i. altam paludem. sententia perspicua. quare *undas* in *umbras* cum libro Lipsij mutare nolim.

779. *Lapithæque multo ad bella ſuccenſi mero,*] M. s. o. *Lapithæquè multo bella ſ.* abſque præpoſitione, & exponunt, *ad* vel *in bella.*

786. *Lambunt colubri*] M. s. vetuſtiores, *colubræ* genere fæmineo, quod malo.

790. *Aure ſubiecta*] In vno vet. *ſubdita.* Lipſ. *ſubiectæ.*

792. *Antro cedit*] M. ſ. o. *ſedit*, proba lectio; id eſt dubius hæſit. Nam ſi ceſſiſſet Canis, Herculi, vtpote fugato hoſte, nihil erat timendum. at verſu demum 804. antro cedit.

796. *Solvit à læva feros Tunc ipſe rictus.*] M. s. o. *ferox.* ἡρακλῆς, inquit Apollodorus, χειρωσάμενος τὸν λέοντα, τὴν μὲν δορὰν ἠμφιάσατο, τῷ χάσματι δὲ ἐχρήσατο κόρυθι.

799. *Clepit,*] Id eſt, occulit, tegit. κλέπτω enim quaſi καλύπτω.

815. *Vaſtis*] repone, *vaſtas.*

814. *Lucis ignotæ*] In Agamemnone: v. 861. *lucis ignotæ Metuens colorem.*

816. *Vectorem abſtulit*] m. s. o. *victorem.*

840. *Quantus Eleum coit ad Tonantem*] Al. *Qualis.* in vno m. s. optimo, pro *coit*, *ruit.* in aliis m. s. *currit.* malè.

895. *Adverſo Laſeus*] Alij, *adverſam.* & ſequenti verſu legunt m. s. o. *Terram cecidit ore.* Gloſſ. *pulſavit, percuſſit.* ita Aldus & Sebaſtianus Gryphius ediderunt. non ineptè fortè hoc loco ſpondeus poſitus videri poſſit. ſed reclamant Grammatici.

901. *Belligera*] In Vet. c. *Bellifera.*

911. *Pinguis exudet vapor*] M. s. o. *exundet.*

916. *Trucis antra Ceti,* &c.] En tibi lectionem veterem:

Trucis antra Theti (recentiores, *Ceti*) *nobilis* (vel *nobiles*) *Dirces aquas,*

Laremque regis (q. addunt, *qui*) *advenæ Tyrium colis,*

HER. *Date thura flammis..*

Dum accelerare vult ſacrificium Hercules, orationem Theſei interrumpit. *Theti,* al. *Ceti.* vtrumque falſum exiſtimo. nam quum deos vrbis conditores invocet, non dubito quin ex Apollodori Bibliothecæ libro III. legendum ſit *Zethi.* Γαμεῖ Ζῆθος μὲν Θήβην, ἀφ' ἧς ἡ πόλις Θῆβαι.

verùm

verùm si hoc nomine serpentem intelligas, vt veteres Glossatores omnes, hærebis. serpentem enim occîdit Cadmus, Cadmum verò Zethus. adde quòd serpentem qui ad fontem Dircen à Cadmo necatus fuit, Dercyllum Euripidis interpres Græcus nominat.

924. *Finiat genitor tuos*] M. s. o. *tuus.*

937. *Si quod etiamnum scelus.*] In Vetere, *æternum.*

948. *Et rutilat, iubam cervice iactans.*] Ita m. s. o.

973. *Perveniat aut mittatur*] Illi ipsi, *perveniet aut mittetur.*

977. *Profugit & umbras.*] V. l. o. *Profugit umbras.*

980. *Hic rapuit Oéten: &c.*] l. m. s. quatuor, *Hic rapuit Oeten. Sævit horrendum* (al. *horrendæ*) *minans* (al. *minax*, al. *minas.*)

991. *Invergit furor*] In nonnullis m. s. *immergit f.*

993. *Stridet emissa*] Libri vetustiores, *stridit.*

1007. *Cerebro tecta dispersa madent*] Ita reposuimus consentientibus m. s. o. at vulgati, *tetra dispersa madet.*

1018. *Renuo novercam*] M. s. nostri melioris notæ, *Teneo*, nonnulli vtramque lectionem agnoscunt. sed *Teneo*, magis appositè. confirmat & Lipsij liber.

1026. *Cernere hoc audes, nimis Vivax senectus?*] Ita m. s. o. & Ald. at recèns editi, *cernere hoc audes nefas Vivax s.*

1030. *Converte.*) Ita m. s. o. Fabr. verò, *Everte.*

1032. *Quo te ipse genitor*] Lipsij liber, pro *genitor*, habet *senior.* malo cum nostris o. vulgatam retinere. Putant quidam propter reverentiam patris nomine ab Theseo appellari. sed errant. Hoc enim vult Theseus, Tu pater cur filio furenti sciens volens occurris, vt parricidij scelus admittat? sententia perspicua.

1117. *Date sæva*] Ex m. s. l, alij *sera*, alij *sera*, nonnulli etiam *sæva.*

1125. *Flectere docti*] M. s. quatuor, *flectere forti fortes c.* alij, *docti. Versu.*

1127. M. s. ferè o. pro *Coryti, Goryti.*

1151. *Tegmẽ meum?*] M. s. l. v. *tegimẽ directa leoni Pellis erat.*

1170. *Thracis cruenti, sive Geryonis pecus*] Ita m. s. o. non vt Fabricius. Pro *Geryonis* tamen, *Geryonæ*, habent vetustiores. vt Lucretius, *Geryonai.*

1181. *Infestum Lyci*] Illi ipsi, *infestum mihi Parent.* & se-

quenti versu pro *nos* in nonnullis exemplaribus, *vos* legitur.

1196. Non quæro manum. Quæ potuit] M. s. ferè o.
Quis potuit arcum flectere? aut quis dextra, &c.
Dicit, non quæro manum quæ hoc perpetravit, quia certò scio meam esse; aliàs enim quis potuisset arcum flectere, &c.

1212. Distendat] In vetustis, *distentat.*

1217. Cremo?] Ita m. s. al. *cremem?*

1237. Errori indidit?] Ita Aldus. editi nonnulli, *dedit.* at m. s. o. *addidit.*

1247. Altorem] M. s. o. & formis editi non pauci, *auctorem.* est enim *auctor* idem quod *altor*, seu, vt Glossæ, *nutritor.*

1256. A me timetur] Ita M. s. o.

1265. AMPH. *Memoranda potiùs*] Hæc verba Theseo tribunt membranæ, in sequenti versu ex optimo codice, pro *peto*, repone *pete?* eo prorsus modo, quo paulò pòst, *Herculem irasci veta.*

1274. Moveare] Membranæ, *movere.*

1284. Pavidamque matrem] M. s. vno consensu omnes, *Pavidasque matres.* & rectè. sic enim sæpius vtitur plurali numero auctor noster, idque eleganter, ad augendam invidiam. cui malo dum medicinam non necessariam adhibere conantur imperiti, graviùs multo afficiunt.

1295. Redde arma, &c.] In sequentibus miserè variant exemplaria in personis, nonnulli ita:

HER. *Hoc en permptus spiculo cecidit puer:*
Hoc Iuno telum manibus emisit tuis,
Hoc nunc ego vtar. AMPH. *Ecce quam* &c.

Alij verò sic:

AMPH. *Vox est digna genitore Herculis.*
Hoc en peremptus spiculo cecidit puer: &c.
HER. *Hoc nunc ego vtar.* AMPH. *Ecce quam mis.*

hîc se convertit ad Theseum Amphitryon. Vetus exemplar, quod pluribus in locis non malum reperi, ita: AMPH. *Vox digna genitore*, &c.
Hoc nunc ego vtar. HER. *Ecce quam miserum metu* &c. *pande quid*

de quid fieri iubes?

AMPH. *Nihil rogamus, noſter in tuto eſt dolor.*

Natum potes ſervare &c. & ſequenti verſu, pro *evaſi*, habet *invaſi*.

1305. *Miſerum haud*] Alloquitur Amphitryon Herculem.

1312. *Letale* &c.] M.s. ferè omnes, *Letale ferro pectus impreſſo* (vel *impreſſum*) *induam*.

1319. *Hac nixus*] al. *Hac niſus*. Vetus pro *ego*, *ægro* legit non malè. al. *ergo*.

IN THYESTEN.

Verſ. 1. *Quis me* &c.] Hic m. s. o. conſentiunt.

Quis me furor nunc ſede ab infauſta abſtrahit, quam lectionem mutandam non arbitramur. in Hippolyto verſ. 1156.

Quis te dolore percitam inſtigat furor?

10. *Viſceribus*] Iidem libri, *vulneribus*; & *paſcit* pro *paſcet*.

26. *nec ſit irarum modus*] M. s. *ne ſit*.

46. *Leviſſimum ſit: fratris & fas*] Tu potiùs ſic diſtingue, *impiâ ſtuprum in domo*

Leviſſimum ſit fratris: & fas & fides.

51. *Nox atra*] In vno, *Nox alta*.

54. *Altum culmen*] M. s. o. *columen*.

94. *Moneo, ne ſacra manus*

Violata cæde, neue furiali malo

Aſpergat aras] Ita m. s. quinque, hoc vno excepto *Violata*, pro quo, *Violenta*, quam germanam lectionem arbitramur, *Sacra cædes*. dictum vt *ſacra fames*. in vno m. s. tamen manifeſta indicia ſunt Lipſianæ lectionis, *violate & aſpergite*.

97. *Famem fixam*] M. s. *infixam*, & pro *intimis* nonnulli *infimis*.

99. M. f. l, hoc modo habent:

Cor, & peruſtis flamma viſceribus micat.

Sequor.

ME. *Nunc ô furorem d. i. t. d.*

104. *Inferos ſpecus*] m. s. *infernos ſp.*

122. *Piſeasque domos*] Plærique m. s. *Piſeisque*

140. *Vectus quâ tulerat*] m. s. nonnulli. *quam*

146. *Divulſusque*] M. s. *diviſusque*

156. *Illudit*] Iidem libri, *Alludit.*

171. *Fluctus ore vocans.*] Conſentiunt m. s. o. & editi, *vocans.* id eſt, *inhians.* Hoc verbo vtitur pro *attrahere*, Hercule Oetæo verſ. 1618. *Flexit hinc pinum ferox Aſtris minantem, & nube de media vocat.*

195. *Numquid abiectus iacet?*] In uno codice non malo, *numquam abiectus iacet.*

220. *Quod enim reliquit crimen intactum*] Potior pars m.s. *Quid enim reliquit crimine intactum?*

228. *Tantalici.*] Ita m. s.

232. *Fatale ſacro paſcuum muro.*] Nonnulli, *ſaxeo.* & pro *muro* legitur etiam *more.* quod ſi recipias, neceſſariò *ſacro* legendum erit.

241. *Animoſque ſume.*] Hoc modo legunt & diſtinguunt m. s. & editi vetuſtiores :

Animoque ſume Tantalum, & Pelopem aſpice.

247. *Mors impetretur?*] M. s. o. *impetratur.* rectè. tu ſic diſtingue :

Perimat tyrannus lenis. in regno meo
Mors impetratur, ceu beneficium.

269. *- hoc animæ incipe :*] In uno veteri, *occupa.*

274. *- animum filio inſpira.*] M. s. *animum filij.*

285. *Hoc ipſa faciat.*] M. s. ferè omnes, *faciet.*

287. *- non poterit capi?*] Optimum exemplar, *poterat.* quod ſequitur vetus interpres.

301. *Preces movebunt.*] M. s. quatuor, *Præcommovebunt.* quæ vera videtur lectio. Si cum Lipſio legas, *Prece commovebo*, vt & in uno ex m. s. claudicat verſus, vel nulla fiet eliſio.

307. *- conſiliis iſtis lege.*] In duobus, *conſilii triſtis lege.*

314. *Agique dire credis .*] M. s. ferè o. *dure*, vt Terentius, *duriter immiſericorditerque.*

329. *- multa ſed trepidus.*] Ita m. s. At Fabr. *multa turbatus*, &c.

339. *Alter.*

339. *Alternis.*] Nonnulli, *Alternum.*

369. *Dacas;*] Al. *Dacos;*

372. *Aut gemmis.*] M. s. *Et gemmis.*

376. *Audet.*] M. s. nonnulli, *Gaudet.*

387. *Rex eſt qui metuit nihil.*] In uno duntaxat libro verſiculum, cuius mentionem facit Lipſius, reperi. ſed ita habebat, *Rex eſt, qui cupiet nihil.* Fabricij exemplar, *Rex eſt qui ve cupit nihil.* Lipſij, *Rex eſt quique cupit nihil.* vt non immeritò ſuſpectus eſſe debeat.

415. *Cum quid datur.*] M. s. plerique, *Cum quo datur.*

425. *- an metuis mala.*] Scribe cum membranis, *ac metuis mala iam victa,* quia illis jam aſſuetus.

439. *Æſtus reſiſtens remigi & velo refert.*] M. s. fere omnes, *Æſtus reſurgens remige & velo refert.* & ſequenti verſu, pro *impetit, impedit* habent.

442. En tibi opt. m. s. librorum lectionem, ac diſtinctionem: & quidem veram, vt opinamur, & omni obſcuritate carentem:

Pater potes regnare. THY. *Cum poſſim mori.*
PL. *Summa eſt poteſtas.* THY. *Nulla, ſi cupias nihil.*
PL. *Gnatis relinques.*] Reſpondet Thyeſtes ſe verè regnare poſſe, quum mortem non timeat. nam, vt paulo ante Chorus:

Rex eſt qui poſuit metus. Et:
Qui tuto poſitus loco
Infra ſe videt omnia,
Occurritque ſuo libens
Fato, nec queritur mori.

Sic Agamemnone v. 606.

Qui vultus Acherontis atri,
Qui Styga triſtem non triſtis videt,
Audetque vitæ ponere finem,
Par ille regi, par ſuperis erit.

Pro *potes regnare,* vt habent m. s. vulgo legitur *poteſt.*

449. Sic ſcribo ac diſtinguo: *- ô quantum bonum eſt,*

Obſtare nulli, capere ſecuras dapes
Humi iacentem! ſcelera non intrant caſas,

In

In m. s. o. *casas* legitur, ita vt ad *humi iacentem*, referri non possit.

459. *& retro mare Iacta fugarrus mole,*] Id est quod Manilius lib. IIII. Astronomicôn dicit,

Litoribusque novis per luxum ludere ponto, &c.

462. *Vltra Getas metitur,*] Hîc exemplar vetus cum libro Lipsij consentit, *metatur*, rectè.

465. *- nec fumant manu Succensa multâ stagna,*] S. faciendo balnea, inquit Interpres.

468. *Sed non timemus:*] M. s. o. *Sed non timemur.* propter paupertatem nostram.

488. Libet hic veteris exemplaris scripturam repræsentare, unde vera lectio facile erui poterit:

Eatur. THY. *unum genitor hoc ẽ ortamen, Ego vos sequor, non duco.* PL. &c. illud *ẽ ortamen*, pro *testor tamen:* ex illo errore temerè orta personarum mutatio. Interpres vetus codicem depravatum hoc loco habuit. hoc, vt alia multa, animadvertit Lipsius.

507. *præstetur fides,*] M. s. *præstatur fides.* rectè. sic v. 961. *- credula præsta Pectora fratri.*

560. M. s. libri, *Otium tanto subitum è tumultu.*

565. *timuëre natis,*] Iidem, *tenuëre natos.* ne irent ad bellum. altera tamen lectio magis placet.

578. *Brutium Coro feriente pontum,*] M. s. quinque, *Brutium ponto feriente Corum.* per hypallagen.

580. *Ac mare intortum timuere nautæ,*
Quod raptax hausti revomit Charybdis,] M. s. quinque,
Ac mare in totum timuere nautæ
Quod rapax auster revomit Charybdis;
Duo, pro *haustum*, *hausit:* unicum pro *intortum*, *in portu.* quod Lipsio maximè probatur.

598. *brevis hora,*] M. s. o. *levis hora.*

603. *minati,*] Ita Ald. & m. s. ferè omnes. nonnulli tamen, *minantes.*

605. *Cuncta divitias,*] Ne hoc quidem loco veteris exemplaris Colonienſis scripturam celare decrevi, in quo *divinas* legitur. quod magis mihi probatur quam illud Lipsiani codicis *divinat.* nam si nomen in verbum mutaveris,

taveris, dura admodum erit constructio. in duobus *monentes*, pro *moventes*.

610. *expaveſcit,*] M. s. o. *extimeſcit.*

624. *Atraque nube involvet,*] Veteres, *volvet.*

627. *Sparte & Argos,*] M. s. ferè o. *Agros & Sparte.*

632. *conſcius monſtri,*] Plerique m. s. *noſtri.*

639. *horres ede, & auctorem ind.*] M. s. vetuſtiores, *horres effer, auctorem ind.*

640. *Non quæro quis ſit, ſed uter.*] Illud *ſit* ex m s. reposuimus: verſu & ſententiâ optimè habente. Non quæro quis, è multis, ſed uter, nempe è duobus fratribus, id deſignarit.

641. *In arce ſumma Pelopis, una eſt pars domus,*] M. s. o. *In arce ſumma Pelopis pars eſt domus.*

rò una, gloſſema eſt. jam ſcrupulus reſtat in verſu. legit Lipſius, *Pelopeæ pars eſt domus*, ex vet. lib.

649. *In multa dives ſpatia diſcedit domus.*

Arcana in imo, &c. M. s. plerique ita diſtinguunt. *diſcedit domus Arcana.* & pòſt, quidã: *in imo regio ſeceſſu patet.*

668. *Hic nocte cæcâ,*] M. s. l. *nocte totâ.*

675. *Ardent ſine igne,*] V. l. *igni.*

685. *nobiles religat manus,*] Scripti vetuſtiores omnes, *revocat.* in uno *renodat.*

695. *Accendit,*] Conſentientibus m. s. o. & Interprete vetere *Attendit* legendum videtur.

706. *Aſſilvit,*] al. *Aſſiſtit.*

709. *Quo primos ferat,*] Al. *quò primum f.*

739. *Oblitus in quem fureret,*] M. s. *rueret,*

741. *- in tergo exiit,*] M. s. o. *extitit.* rectè.

760. *Diviſim,*] Iidem, *diviſum.* colla enim percuſſa amputaverat.

263. *Dirus,*] M. s. *durus.*

768. *inque crepitantes,*] Vetus Colonienſis, & Interpres, *trepidantes.*

780. *comam,*] M. s. *coma.*

784. *Sed & hoc peribit. verterit curſus,*] M. s. *currus. Sed & hoc* s. bonum, quod ignoras tua mala, *peribit*, quia brevi reſciſces.

788. *Pate-*

788. *Patefient mala,*] Ita m. s. & Aldus. Fabricius, *patefiant.* non ita rectè.

824. *Nocte pacata,*] Ita m. s. & Aldus. Fabricius, *peracta.*

829. *Perculsa,*] M. s. *Percussa,* al. *Concussa.*

853. *Præfert,*] ita vet. nonnulli tamen, *perfert.*

877. *Cardine mundus: In nos ætas,* &c.] Aliter in antiquis libris digeruntur hi versus.

916. *Abscondit,*] Ex m. s. *Abscondet* legendum in uno, *Abscondat, hoc hoc mensa,* &c.

945. *Flore recenti,*] M. s. *decenti.*

964. *-sera times,*] M. s. *serò times.*

1020. *Immota tellus,*] Post hunc versum in nonnullis m. s. sequitur hoc hemistichion, meo judicio non malè, *Fugêre superi.* hinc versu 1069. *-Vos Dij audite hoc scelus Quocumque diffugistis.* in aliis verò:

Fugere superi. ATR. *At accipe hoc potius libens.*

Posterius hemistichion non placet. à vetustiore integer versus abest.

1025. *Sic odia ponis?*] M. s. o. *Si odia ponis, non peto,* &c. in Oetæo, v. 1321. *nunc mihi irata quidem*

Opus est noverca; nunc tuus cessat dolor,
Nunc odia ponis; parcis ubi votum est mori.

1059. *-& artus corpora exanima amputans,*] In m. s. nonnullis, *corpori exanimo.*

1063. *-traiectas veru,*] M. s. *traiecto veru.*

1085. *torque,*] In vno, *torquens.*

IN THEBAIDA.

Vers. 2. *Patris levamen gnata, quam tanti est mihi*
Genuisse, vel sic desere infaustum patrem,] Ita plerique distinguunt; hac sententia: quanquam mihi magni pretij est .i. magnum bonum quod te genuerim, vel .i. saltem sic cæcum & palpitantem desere. Bernardinus Marmita, & Lipsius hoc modo interpungunt, *Genuisse vel sic: desere inf.* recte. vel sic, id est ex matre eodem modo

in

in Agamemnone, v. 234. *Ægisthe non est pœna sic nato mori.*

8. *- quantulum hac egi manu?*] Quasi dicat, paululum vel nihil potius profeci me meâ solum excæcando manu, & vitæ parcendo : nam quamvis diem sceleris mei conscium non videam, videor tamen.

13. *- qua peragrati celer. Per saxa montis iacuit,*] Vetustiores nonnulli: *qua peragrato celer Per saxa monte iacuit,* &c.

22. *- vertice immerso,*] M. s. *immenso.* quia imminet supra mare, inquit vetus Interpres.

39. *Amore vinctum,*] Rectè. & ita m. s. o. *pestifero,* quia, vt paulo post dicit, *- funus extendis meum*

Longaque vivi ducis exsequias patris.

Nonnulli interpretantur *victum* (vel *vinctum*) *amore pestifero* .i. incesto, quia matrem corruperat. vel *amore pestifero* filiæ, vt illam deterreat, ac se missum faciat.

44. A N. *Ego video,* &c.] Ita m. s. quid si sic legas. *Egon video?* (q. d. minime) *tandem spiritum inimicum exue.* quod paulo post, *Sed flecte mentem, pectus antiquum advoca.* Placet certè Lipsij coniectura. Alij legunt, *Video ego:* Suspectus mihi est hic versus.

47. *recipe,*] M. s. *admitte.*

52. *tui,*] M. s. *tibi.*

62. *invitum,*] M. s. *inviti gradum.*

99. *quique properantem impedit,*] Iuxta illud,

Invitum qui servat idem facit occidenti.

106. *sed notum necè,* &c.] Pravam distinctionem omnium editorum sententiam perturbantem, sic corrige.

- sed notum nece
Ensem paterna. Tradis? an gnati tenent
Cum regno & illū? faciat (s. ensis) *ubicumque est, scelus.*

116. *Vbi torva rapidus ducat,*] Ita m. s. at Fabricius, *devehat.*

120. *- dirige huc gressu pedem :*] al. *gressus pedum.*

128. *Spartamque,*] M. s. *Spartenque.*

173. *Ades, atque,* &c.] Ita lego & distinguo ex vet. l. *preme, Magisque merge. timida tum parvo caput,* &c.

178. *audias verum Oedipum:*] M. s. v. & Interpres vetus, *audies verum Oedipum* ; non *Oedipe,* vt Lipsius.

181. *cæpit*

181, *cœpit mori,*] Lipſij liber, *cœpi.* at noſtri omnes, *cœpit.* alloquitur enim verus Oedipus falſum Oedipum. *parte qua cœpit mori,* oculos ſeu genas intellige.

186, *aut vt iras,*] Lego, *aſt vt,* & ita legiſſe videtur vetus Interpres.

188, *Et hoc decebat,*] Et hoc ipſum quod peto, decebat, &c.

194, *abſceſſit,*] M. s. o. & veteres editiones, *abſcidit.*

196, *Cupiat, aut quare petat,*] Pro *cupiat* an *fugiat* legendum? in eâ ſententiâ certè fui, quam & Lipſio poſtea probari animadverti, ſed vt τὸ *cupiat* retineam m. s. omnium conſenſus facit. ſic igitur interpretor, vt *cupiat* ſit, optet vt mors ultro veniat, *petat* verò, vi illam ſibi inferat: vt Virgilius,

Pulchramque petunt per vulnera mortem.

198, *Qui concupiſcet,*] M. s. *Qui non cupiſcet.* quam ſententiam confirmat Interpres vetus.

215, *abſceſſit ante iuſta,*] Libri, *ante iuſſa.* Vtraque lectio ferri poteſt.

218, *Quæ feci nocens,*] Lipſius, *innocens.* malim, *quia nolens.* in Oedipo v. 262. *Faciatque quidquid ego fugi.* Vide Oedip. v. 766.

230, *Quæ pars meorum eſt criminum,*] M. s. & editi, *Quæ pars meorum criminum es,* (vel *eſt*) *infelix pater.* ita vt exiſtimem illud *es* vel *eſt,* ex gloſſemate irrepſiſſe, ac proinde delendum: vel legendum eo quo edidimus modo, *Quæ pars meorum es crim. i. p.*

240, *eripui,*] M. s. unus *eripuit:* malo, *eripui,* oculos effodiendo.

254. *tranſtulit ferro pedes,*] Ita m. s. In Oedipo v. 857.

257, *attractas,*] al. *tractas.*

261, *Hoc alia pietas redimet,*] Ironicè.

262, *proloqui,*] Ita vetuſtiores. quamvis nonnulli etiam m. s. *pro loqui.*

315, *volvens globos,*] in duobus *ſolvens.*

329: *Et abſtinere,*] M. s. *abſtineri.*

331, *exempla facinorum,*] Ita m. s.

345, *concidat domus,*] M. s. *conſidat.*

373, *rogat,*] M. s. Col. *petit.*

393. Hinc

393. *Hinc illinc*] M. ſ. *hinc atque hinc.* ſic verſu 529.
Cùm ſtare fratres hinc & hinc video duos.
402. *Mater oppoſita*] M. s. *matris oppoſitu.*
407. *Obvium*] M. s. Col. *obvia.*
423. *feret?*] Idem, *trahet?*
436. *Manus*] M. s. *manum,*
Vibrata dextra tela ſuſpenſa tenent.
444. *Vnam iuventus*] M. s. *vnà* adverbialiter.
456. *Donate matrem pace*] Ex m. ſ. o. reponendum,
Donate matri pacem. ſi placuit (al. *placet) ſcelus,*
Maius paratum eſt. à magiſtellis ſubſtitutam priorem illam lectionem quam elegantiorem exiſtimabant, veriſimile eſt, quum in nullis m. ſ. reperiatur.
459. *Sollicita cui*] Iiſdem auctoribus, *Cui ſollicita.*
472. *Tegmenque*] Veteres, *Tegimenque.*
480. *Reddeiam capulo*] Exemplaria nonnulla & Interpres vetus hæc verba Polynici tribuunt ſeipſum monenti vt ſibi caveat.
482. *eſt armatus*] M. ſ. o. & editi vetuſtiores, *exarmatur, armatus mane.* quare reſtituendum.
483. *Tu pone*] Hîc in iiſdem libris loquitur iterum Iocaſte, & Eteoclem hortatur vt deponat arma.
508. *Dona non auro, & graves Gazas* &c.] *Dona non auro graves Gazas ſocer.*
550. *totus hic exercitus*] M. s. duo, *totus hoc e.*
554. *quo iudice,*] M. s. Col. *quo vindice.*
593. *Habitet ſuperbus*] M. s. *ſuperba.*
611. *Abydi Seſtos*] M. ſ. Col. *Abydos Seſtos.*
643. POL. *ſceleris* &c.] In m. ſ. aliquot & iſta Iocaſtæ tribuuntur: ſed ita interpungendum,- *ſceleris & fraudis ſuæ*
Pœnas nefandus frater vt nullus ferat,
Ne metue. pœnas &c.
648. *Sceptra Thabarum*] M. s. & Interpres, *Thebano.*
659. IOC. *Qui vult* &c.] M. s. nonnulli Polynici hæc tribuunt. POL. *Qui vult amari, languidâ regnet manu.*
IOC. *Inviſa* (al. *iniqua) nunquam* &c.

IN HIPPOLYTVM.

5. *Quæque Thyasii,*] M. s. & Interpres vetus, *& quæ Thyasis*, vel *Tyasis.*

8. *Semper canos nive Rhipeâ,*] Al. *Semperq; canos Rhipeâ nive.*

11. *Quæ rorif.*] M. s. *Quærorif.* & ita legendũ videtur.

13. *Vbi per glacies,*] Hic versus a m. s. nostris o. abest, nec interpres vetus agnoscit: vt non Immeritò suspectus esse debeat.

24. *Aphidnas,*] M. s. *Ephidnas.*

48. *Tibi libretur*] Al. *vibretur.*

77. *Cùm nostra*] M. s. *tum rostra.*

102. *Ætnæo*] M. s. vetustiores, *Ætnæus vapor.*

109. *Adiudicatam*] In vno m. s. *Adiudicatæ*, in altero huius scripturæ vestigia parent.

111. *-gesa iaculari manu,*] M. s. *tela iaculari m.*

133. *Repulitque amorem,*] M. s. *pepulitque.*

147. *Erras. teneri crede,*] M. s. fere omnes, & Aldi editio, *Erras, tamen tu crede*, i. fac, pone hoc esse credendum. sic paulo post, *credamus tamen.* In nonnullis & m. s. & editis, *Erras. tum tu crede*, errore ex compendiosâ scripturâ orto, *tum* pro *tamen.* primam lectionem Fabricius alijs omnibus præponit.

162. *conscius noctis pavor*;] Lego consentientibus m. s. o. *conscię mentis pavor.* sententia vera. in vno, *conscię noctiu.* hinc illud, *conscius noctis pavor.*

201. *in Superos,*] M. s. *in Superis.*

206. *Hunc illa,*] M. s. *Tunc illa.*

236. NVT. *Resistet ille seque mulcendum dabit?*]. In m. s. plerisque absque interrogationis notâ: vt Ironicè hæc & sequentia proferantur, q. d. minimè.

239. *precibus haud vinci potest?*] Pro *haud, at* Interpres legisse videtur. in veteri sanè *aut* reperitur.

261. exclamat Phædra,

Pro castitatis vindicem armemus manum.
NVT. *Si te senectus nostra præcipiti sinet*
Perire leto. siste furibundum impetũ.

PHÆ.

PHÆ. *Prohibere ratio*, &c. Hæc vetus ſcriptura eſt. verſus enim ille *Haud facile* &c. abeſt.

363. *lapſæ genæ*,] M. s. *laſſæ genæ.*

384. *Reclivis*] M. s. *Reclinis.* ſicut in Thebaide v. 499. vbi priùs *Reclivis haſtæ* legebatur.

386. *purpuram, atque auro illitas*,] M. s. *purpurâ.*

391. *Diducat*] M. s. *Deducat.*!

403. NVT, *Depone*,] M. s. *Sepone.*

408. *omnium*,] Monuit G. Canterus *ominum* legendũ.

323. *-iam faves votis dea*,] M. s. *favet.*

444. *motibus feſtis*] M. s. *montibus.* Lipſius, *noctibus.* & ita legiſſe videtur vetus Interpres, cùm ait, *attolle facem montibus ſacris. ſ. per nuptias.*

477. *Sed fata credas deeſſe? ſic atram Styga*
Iam petimus vltro. celibem vitam probet
Sterilis iuventus. hoc erit, quidquid vides, &c.) Exemplarium Palatinorum lectio & diſtinctio hæc eſt,
Sed fata credas, id eſt fac *deeſſe: ſic atram Styga.*
Iam penitus vltro celibem vitam probet, &c. notatur & alia lectio *petimus* in margine.

513. *Diffundit*]M. s. noſtri *Defundit*; ſic & Lipſij liber.

520. *-certior ſomnus*] Nonnulli m. s. pro *certior, certius*, alij verò-*fontem! ſi celer ſomnus premit*
Secura duro membra verſantur toro.

532. *cinxerant vrbes lacus.*] M. s. o. *latus.*

585. *Terra repente*] M. s. & editi, *Repente terræ.*

591. *Cur dulce*] In m. s. o. ſeipſam alloquitur Phædra.

601. *liber arbitrio*] M. s. liber non malus, *arbitro.* eundem ferè verſum habes in Hercule Oetæo, 484.

604. *-quod volo*] Gloſſatores: ſ. *me nolle.* vel ſ. *per amorem me nolle abſolutè.* in duobus m. s. quemadmodum & in Lipſij libro *-quod volo me nolle.* Lector iudicet.

627. *Pluto*] M. s. *Pluton.*

655. *Cùm placuit hoſti*,] *Hoſti.* i. Ariadnæ ſorori meæ, vt vulgus interpretum. malè, vt notavit Parrhaſius. Ariadne enim Theſei formâ ſemel capta, nihil in eum hoſtile cogitavit. de Minoe potiùs dictum, quem inimicitias adverſus Athenienſes depoſuiſſe Theſei amore

inductum, teſtis eſt Athenæus.

657. *in te totus,*] M. s. noſtri, *torvus.*

672. Alij, *Ecquando ſævâ fulmen emittes manu,*
Si nunc ſerenum eſt?

693. *fato dati ,*] Al. *dante,* al. *date.*

710. *Sanas furentem*] In vetere, *Sana f.*

719. *Regeramus ipſa crimen,*] M. s. *ipſi,*

726. *Mortis intentans*] Al. *intentat.*

766. *Et noctem*] M. s. *Sed noctem.*

773. *Confidat fragili ?*] M. s. *Confidit.* & ſequenti verſu pro *ſubruit, ſubruet.*

782. *Laſcivæ* &c,] Optimi m. s. ita,
-Laſcivæ nemorum deæ,
Montivagive Panes.

807. *iam iuvenis*] M. s. *nam iuvenis.*

825. *Inſonti apparat.*] Ita m.s. meliores.al.*parat.* ſimplex.

842. *Pars vna vitæ manſit extincto mihi. Merſus malor. fin.*] M. s.
Pars vna vitæ manſit extincto mihi
Senſus. malorum, &c. in vno vetere pro illo *Senſus, Menſus* legitur,

867. *Et te quidquid è vita fugat*] M. s. nonnulli -*& te quod quidem vita fugat.*

868. *Expromis?* PH. *eheu,*] nonnulli *heu*, malè. optimum exemplar *Oheu.*

880. PH. *Quod vivo.* TH. *lacrimæ nonne te n. m.*
PH. *Mors optima eſt perire dum lacrimant ſui.*] M.s. nõnulli,
PH. *Quod vivo. lacrimæ nonne te noſtræ movent?*
TH. *Mors optima eſt perire lacrimandum ſuis.*
Variant exemplaria.

942. *Scis vnde redeam. gen.*] M. s. addunt interrogationis notam, *Scis vnde redeam? gen.*

992. *Cur me ad nefandos*] M. s. o. *nefandi.*

1007. *Cùm ſubitò*] M. s. *Tum ſubitò.*

1015. *Conſurgit*] Al. *Tum ſurgit.* al. *Cum ſurgit.*

1022. *Latuere nube, numen E.*] Lege & diſtingue cũ m. s.
Latuere nube numen Epidauri Dei,
Et ſcelere petræ nobiles Scironides, &c. numen Epidauri Dei (inquit

(inquit Gloſſator) .i. ipſa Epidauria, in quâ Eſculapius colebatur, metonymicè. Hoc vult dicere, Nubes texit Epidauriam, & petras nobiles, &c. vt fit vbi cooritur tempeſtas.

1045. Spargitur ſucco] Ita conſtanter m. s. o. Interpres, *rubenti ſpargitur ſucco*, i. rubeo coloratur colore.

1049. Priſtis] M. s. o. *Piſtrix.*

1063. Torvusque currus ante] Ita m.s. vetuſtiores: & rectè meo iudicio; taurus enim ex parte erat hoc monſtrum, de quo ſupra v. 1036.

Cærulea taurus colla ſublimis gerens. & 1080.

– nam torvo obvius
Incurrit ore corniger ponti horridus. &,
Nam mihi paternus vincere eſt tauros labor.

optimè convenit epitheton. Lipſij liber *Torvaque*, contra metri legem. meliùs in m. s. recentiore Palatino *Et torva*, vt ad *molem:* Lipſius *Torvum*, vt ad monſtrum referatur.

1085. In lora præceps fuſus implic.] M. s. o. & editi,

Præceps in ora gnatus implicuit cadens
Laqueo tenaci corpus:

1124. Minus] M. s. & Interpres, *minor.*

1129. Duros excipiunt notos] M. s. vnus cum Lipſii libro habet *Euros excipiunt, excipiunt Notos.*

1138. M.s. nonnulli verſum hîc inſerunt,

Humilis tecti plebeia domus.
Circa regna tonat.
Volat ambiguis &c.

1149. Pallas Atthæa] M.s. vetuſtiores *Actæa.*

1174. exanimus] M. s. *exanimis.*

1178. Animaque memet pariter ac ſcelere exuam,] Ita m. s. o. Quod in Lipſij libro legitur, *Animaque me fredam pariter.* illud *fredam* pro *Fedram*, ex gloſſemate irrepſiſſe omnino mihi perſuadeo. aliàs enim duriuſculum eſſet quod ſequitur, *Et te per vndas ſequar.*

1188. O mors &c.] In nonnullis m. s. pro duobus hiſce verſibus vnus duntaxat hoc modo legitur,

O mors amoris maximum læſi d. librarij negligentiâ.

1197. Mucrone pectus impium iuſto patet.] Probè, *patet.* i.

apertum est. sic in Oedipo, v. 1036.

– utrumne pectori infigam meo
Telum? an patenti conditum iugulo imprimam?

1213. In hoc redimus] In m. s. aliquot, *In hoc tremidus.* Locus mihi valde suspectus.

1222. -irroga.] nonnulli, *irrogo.*

1224. Colo remissa] M. s. *remissum.*

1258. – hic dextræ locus;] M. s. *hic humeri locus;*
Hic dextra frenis docta moderandis fuit.

1269. Hæc illa facies] M. s. *Hæc me illa f.*

1273. En hæc suprema vota g.] Ita m. s.

1279. Anquirite,] Ita ex auctoritate m. s. reposuimus, cùm malè antea, *Acquirite.*

IN OEDIPVM.

Vers. 1. *effulsit,*] Al. *emersit.* Lipsij liber pro *dies* habet *Titan.*

3. *luctifica*] M. s. *luctifera.*

5. *ostendet*] Al. *ostendit.*

17. M. s. *Aliudque nobis maius indicant scelus.*

23. *Nunc ego,*] M. s. plerique o. legunt,
Non ego penates profugus (expulsus sc.) *excessi meos;* & seq. vers. nonnulli pro *Parum*, *Parui.* altera lectio placet. nam paulo post sequitur, *meque non credo mihi.*

34. *Incolumis adsto*] Ita m. s. duo, alij *ergo*, in vno *ere.*

52. *Pars nulla regni immunis*] M. s.
Nec ulla pars immunis exitio vacat.

61. *regerat in eundem rogum,*] Ita m. s. In duobus pro *rogum*, *locum* legitur.

69. *Non vota*] Hic versus à vetustis m. s. nonnullis abest.

78. *Contacta manu*] M. s. aliquot, & Interpres, *Contracta.* i. conquisita letali manu.

93. *pestis infande*] Ita m. s. o. i. *Sphingis.*

95. *è superba rupe*] Id est, alta.

97. *conciperet*] M. s. *concuteret.*

101. Hæc

105. *Hæc merces datur ?*] Al. ſine interrogationis notâ. Poſt verſu.

109. M. s. tres, CHORVS THEBANORVM.

113, *Bacche,*] M. s. & Interpres, *Bacchi.*

119. *Terga fallacis*] M. s. o. & editi *Terga converſi,* quia vel terga dantes & fugientes norunt inſequentes ſagittis petere. maluit *fallacis* Fabricius, quia p aulo ante *verſas ſagittas* dixit. Veterum librorũ conſenſum pluris ego facio.

123. *Inficit Indos.*] In M. s. aliquot, poſt hunc Adonium ſequitur, *igne vicino,* vel *igne furtivo.*

168. *Navita crudus,*] M. s. vnus *crudo.* alij, *Nauita crudo vix aſſiduo.*

177. *Iam turbatam*] Ita m. s. vno excepto, in quo, *Bis turbatam.*

186. *tingit*] Ita M. s. o. vel, *tinguit.*

192. *tunc amplexum*] Ita m. s. at Fabricius, *iamque.*

196. *ingeſto*] M. s. duo, *ingeſta.*

197. *turba per aras*] Al. *turba cadentum.*

217. *Cedem*] Alij *Cedem,* alij *Sedem.*

220. *tutos*] M. s. *totos.*

253. *occurrens tuo,*] Al. *ſuo.*

255. *cærulos*] M. s. *cæruleos.*

257. *cuius Laïus dextra,*] M. s. v. *cuius dexterâ Laius.*

258. *Hunc non quieta*] M.s. *quietum.*

264. *Per regna iuro, queque nunc hoſpes rego*] M. s. o. quos vidi, *gero.* quod ſi retineas, pro *regna*, malim *ſceptra.* per ſceptra enim iurare ſolebant reges.

271. *degat,*] M. s. nonnulli *regat*, vt & Interpres. Colonienſe exemplar, *rodat.* Lipſij liber, *reddat.*

275. *Memorato,*] M. s. *memorate.*

280. *Vnde altus ima deſerit,*] Ita m. s. noſtri omnes. Lipſij liber pro *ima, arva* habet. non placet : quum ſtatim vox illa ſequatur.

284. *Convalle ſerpens,*] M. s. *ſerpit.* & ſequenti verſu pro *Elei* iidem habent *Elidis.*

289. *-accelerat gradu,*] Al. *genu.*

333. *& truces iras tegunt?*] M. s. vetuſtiores, *aras tegunt?* & ita Interpres : abſcondunt ea quæ ſignificantur. tu

vtrum vis, elige.

339. *Trepidusque vultum obliquat*] Ita m.s. quam lectionem γνησίαν arbitramur.

370. *viscerum*] M. s. *visceri.*

372. TIR. *Scrutemur*] M. s. l. personam non mutant, & pro *Scrutemur*, legunt, *Scrutetur*. pro *rigor*, *linor*: sic & Interpres.

375. *cum gemitu*] Al. *cur gemitu.*

377. *Infecit arctas*] Alij *artas*, alij *atras.* vt & Lipsius.

383. *Immugit aris ignis*] M. s. Colonienſis & alij duo, *Immugit are segnis*, vbi Interpres, *segnis*, id est monitus.

389. *Contaminarit*] Al. *Contaminavit.*

391. *Nec fibra vivis rapta*] M.s. vetustiores, *parta*: & Glossator, id est accepta de vivis pectoribus.

411. *Avidumque fatum te decet vernis comam Cingi floribus.*] Alij m. s. sic legunt, & distingunt,

Avidumque fatum.

Te decet cingi comam floribus vernis.

431. *Turgida* &c.] In m. s. Colonienſe & alijs nonnullis, ab hoc versu vsque ad 472. hiatus est.

491. *Pumice sicco* &c.] M. s. *Pumice ex sicco fluxit Nysæus latex.*

494. *Combibit*] Al. *Cum bibit.* & sequenti v.

Niveique lacus candidos fontes

Et mista odoro Lesb. pro *Niveique lactis*, & *Mistaque.*

500. *Concutit*] M. s. *Concinit.*

502. *Condit*] M. s. quidam, *Oditque Baccho veniente ful.* Al. *conditque B.*

509. *Etsi ipse*] Plerique, *Et ipse.* Colonienſis, *Vt ipse.*

524. *Sæpe vel*] Ita m. s. vetustior, sic & Aldi editio. nonnulli, *vilis.* malè. Fabricius, *Sæpe quàm lingua. m.* sed versus repugnat. in vetere & Aldi editione benè habet tum versus, tum sententia.

535. *Annosa ramos*] M. s. aliquot, ex duobus vnicum versum conficiunt, hoc modo,

Annosa ramos. silva iam fessa cadens, &c.

543. *Silvas mixores vrget*] M. s. Col.

Silvæ

Silvâ minore ſurgit, & magno ambitu
Diffuſa ramis vmbra defendit nemus.

550. *Tunc foſſa tellus;*] M. s. *Tum effoſſa.*

552. *& frondem quatit*] Ita m. s. hoc notandum, in illis ſæpiſſime confundi has voces *frontem* & *frondem*. in vno diſertè *frontem*, quemadmodum & in Lipſij libro. Poſt v.

912. *Mœſtus & famulus manu*
Regius quaſſat caput.

563. *ſanguinem libat focis,*] M. s. v. *irrigat ſanguis focos,*

565. M. s. ſic diſtinguunt, *-libat, & niveum inſuper*
Lactis liquorem fundit, & Bacchum m. L. &c.

593. *Aegreque lapſum*] Lege cum nonnullis m.s. *laſſum.*

595. *ipſa,*] Nempe Manto.

600. *Eryx*] Al. *etha*, al. *echa*. fortè *Oeta.*

624. *Stetit per artus*] M. s. ferè o. *ſtetitque artus ſang.* & ſequenti verſu pro *obtectus, obtentus.*

634. *-prima qui ſævæ necis*] Repone *præmia*, ex m. s. vidit hoc doctiſſ. Lipſius. Sic v. 803.

Quod ſubditivi præmium gnati petit?

639. *(vix mos eſt feris)*] M. s. *nec mos eſt f.*

645. *inceſtam domum*] M. s. non pauci *incertam*; vbi neſcitur quis ſit maritus, quis filius: quæ ſit vxor aut quæ mater, inquit Interpres.

648. *quodcumque funeſto*] Ita in nonnullis, alij in verò *quocunque*. Fabricius, *quacunque.*

659. OED. *Et oſſa & artus*] Hunc verſum m. s. Creonti tribuunt; ſequentes Oedipo.

681. *Tibi iam neceſſe ferre*] Al. *neceſſe eſt f.*

683. *ſomnum ſequi.*] M. s. alij *ſequi*, alij *loqui:* quod probat Lipſius.

770. *Datumque Diti*] Al. *Datum eſſe Diti.* & qui præcedit verſus a Colonienſi abeſt. ſequenti verſu pro *Thebis*, al. *Thebas.*

776. *Inter iuvenem ſenemque:*] M. s. *Inter ſenem iuvenemque.*

787. *Ediſſere agedum, quo*] M. s. o. *Ediſſere mihi quo.* in nullo illud *agedum* reperio. & pro *cadat* al. *cadit.*

797. *tangis en ipſos metus,*] M.s. alij *en*, alij *an*, in vno *heu*: ita vt vix dubitem *eu* vel *au*, abſque aſpiratione ſcriptũ fuiſſe: vt infra v. 975.

800. *admonitu*] M. s. o. *monitu.*

803. *Quod ſubditicij*] M. s. o. *ſubditivi.*

825. *fortuna occulit*] M. s. plerique *abſtulit*: alij *occulit*, vt & editi.

852. *ne te cogat ad verum dolor,*] M. s. Col. *ad nervum. d.*

872. *infandum caput*] M. s. *infeſtum.*

898. *Nomen eripuit freto,*] In nonnullis abeſt hic verſus. alij legunt, *Abſtulit nomen freto.*

915. *infandum genus*] M. s. *infandum ſcelus.*

922. *gelidus fluit Sudor*] M. s. *volat Sudor.*

931. *in me tuis*] M. s. *in me tuas.*

953. *Perfuſus*] M. s. *Profuſus imber*, rectè.

960. *Violentus aud. mutus, ir.*]M. s. & Interpres, *audax, vultus iratus,*

962. *ac contra truces*] M. s. vnus, *at contra*, rectè.

975. *Parcite en patriæ,*] In vno, *Parcite heu patriæ*, vt priùs v. 797.

987. *Omnia recto,*] M. s. ferè omnes & Interpretes, *Omnia ſecto tramite v.* id eſt, inquiunt, via diviſa in duas, proſperæ fortunæ & adverſæ.

1010. *Gnati pudet?* Lego cum m. s. *gnatum pudet.*

1012. *quis frui tenebris*] M. s. *qui frui* & *teneb.*

1039. *qui virum & gnatum tulit,*] Al. vt & Interpres, *gnatos*, id eſt ventrem qui tulit virum. ſ. filium, & ex eo tulit filios.

1058. *Mortifera mecum vitia*] Id eſt quod prædictum fuerat, v. 630.

IN TROADA.

14. *Exciſa ferro eſt. Pergamum incubuit ſibi.*] Ita m. s. v. vt *exciſa* ad Troiam referatur. Fabricius & alij, *Exciſa ferro eſt Pergamos, inc.*

57. *Donum ecce Priami nurib.*] Lege cum m. s. ferè o. *Domi-*

Dominum ecce Priami nurib. & natis legens..
Sortitur urna. rectè, vt v. 983. Legit Lipsius *Donum.*

87. *veste revulsa,*] M. s. ferè o. *remissa.*

100. *Coma demisso est libera nodo;*] Lege cum m. s. v.
Coma dimissa est libera nodo;

146. *Vincta,*] Al. *Victa.*

172. *sonos.*] Ita M. s. v. al. *sinus.*

182. *præludens,*] v. *proludens.*

197. *dimisit diem*] m. s. Colonienſis & alij, *divisit:* & ſequenti verſu, *mensus ingentem sp.* & mox: *terra iunxit* pro *terra visit.*

206. *quidquid abiecit*] M. s. *adiecit.*

243. *& diis natos*] M. s. o. *dea.*

257. *nobilem c. d A. vmbram?*] M. s. *nobiles vmbras.* placet.

265. *nos tumidos facit,*] Al. *facis,*

280. *Arguissem.*] Rectè doctiss. Lipsius, *arcuisem.* frequens in m. s. G. pro C. & contra. sic infra in m. s. *ab interitu arguit,* pro *arcuit.* & alibi.

289. *dono detur*] M. s. *donum detur.*

305. *amore solito,*] M. s. *subito.*

323. *Thessalis fuit*] Lege cum M. s. vt & ſequenti verſu, *Thessalicis.* nam in quintâ ſede iambum non reperias, niſi in quadriſyllabis quibuſdam dictionibus.

428. *maius e malo*] M. s. *maius e magno.*

486. Sic malim diſtingui: *Opib. q. m. struxit, in l. suos.*
Rex non avarus.

619. *Magis hæc timet*] Al. *Magis hoc t.*

626. *En tremuit,*] M. s. *Intremuit.*

659. *illinc tuus.*] Al. *illic tuus.*

691. *Misero datur, quodcunque Fortunæ datur.*] Ita M. s. & typis editi omnes, diſtinguendum autem poſt *quodcunque,* non poſt *datur,* hoc ſenſu: quicquid miſero datur, id Fortunæ datur; vt ſi quando ipſe miſer fias, illa tibi beneficium acceptum referre iure teneatur.

822. *Parva Gortyne,*] M. s. *Cortyne.*

835. *acuebat iras,*] M. s. v. *verberat iras.*

846. *An ferâ,*] M. s. *Aut ferâ.* ſequenti v. *Quasque.*

869. *Fraudetur:*] M. s. ferè o. *fidenter.* Colonienſis, *fidantur.*

quidam

quidam editi, *Fallatur.*

898. *Læta prospiceres*] M. s. & Interpres, *lenta*, quia incerta de tuis votis, nescius cuius victoriam velles.

903. *Celebrate: digni p.*] M. s. & Interpres, *Celebrate digna digne: planctus.*

907. *Possum tueri*] Hæc ita distinguenda, *caussam tamen*
Possum tueri iudice infesto meam
Graviora passa. Luget Andromacha Hectorem.

923. *iudicem irritum*] M. s. o. *iratum.*

937. *Exprome*] Al. *Exprome etiam nunc. hoc d.* al. *exprime.*

943. *Polyxena*] M. s. *Polyxene.*

953. *Quam tenuis anima*] Scribe cum m. s. *Quam tenuis anima* &c.

960. *& in totum gregem*] M. s. *& totum gregem.*

973. *scias.*] M. s. *scics.*

982. *Quis tam impotens*] Illi ipsi, *potens.*

989. *Nunc victa;*] M. s. o. *Nunc ista;*

995. *sequentur fata*] Al. *sequantur*, al. *sequuntur.*

1006. *quid preces vobis?*] Lego e. m. s. *precer vobis?*

1012. *Lenius luct.*] Ex iisdem, *Lentius luct.*

1016. *patuisse pœna.*] Al. *placuisse p.*

1043. *Solvet hunc questum*] M. s. o. & Interpres. *cœtum*, i. omne societatis solatium auferetur.

1057. *O dira*] M. s. o. *O dura.* & sequenti versu, pro *bisquinis*, iidem cum Interprete *bisenis.*

1077. *effusa*] M. s. *affusa.*

1116. *silicis incussu*] M. s. & Interpres, *incursu.*

1135. *Hermione face,*] M. s. *Hermione modo.*

1145. *Peritura laudant:*] Ita reposuimus ex auctoritate m. s. Colonienſis.

IN MEDEAM.

11. *fide meliore raptam*] S. quam ego ab Iasone.

29. *-& spectator*] Ita m. s. nostri. rectè Lipsius, vt alia multa, legere videtur *spectatur.* sequenti versu m. s. habent *puri*, non *curvi.*

31. *Non*

31. *Non redit in ortus*] Ita m. s. Quidam, *Num redit*. malè. al. *Nunc red.* & sequenti versu *patris*, pro *avi:* nam & paulo post *genitorem* vocat. *patriis* mavult Lipsius. secus m. s.

36. *-maria commi.tat duo.*] Ita m. s. o. *το committat* eo modo dictum videtur, quo in Hercule furente 971.

Videat sub Ossa Pelion Chiron suum.

quare hîc nihil mutandum censeo.

52. *paria narrentur tua Repudia thalamis.*] Sicut commisisti scelus in nuptiis contra patrem, ita nunc contra meritum.

53. *-linques modo?*] M. s. *linquis modo? Hoc quo* &c. id est, scelerate.

55. *parta est, scelere linquetur domus.*] M.s. ferè o. *pacta est.* & pro *linquetur*, quidam *linquatur*.

75. *Vincit*] Al. *Vicit*.

92. *Vir longè superet viros.*] Ita m. s. o.

105. *Felix Aoniam prendito virginem.*
Nunc primum soceris sponte volentibus,
Concesso iuvenes ludite iurgio.] Tu sic distingue:
Felix Aoniam prendito virginem
Nunc primum soceris sponte volentibus. & tum legere potes vt in plerisque m. s. *sponse, volentibus.*

126. *hec meis satis est malis.*] M. s. *hoc meis sat est m.*

132. *funus incestium*] Al. *infestum*. Interpres vetus, *inessum*. i. *incisum*.

135. *-at nullum*] M. s. *& nullum*

139. *-ah melius*] Illi ipsi, *ha melius*.

141. *-sin minus,*] Al. *si minus*.

152. *motus animo*] Ita m. s.

156. *Et clepere sese:*] Hic versus a vetustioribus m. s. abest.

160. *Tunc*] M. s. *Nunc*

162. *Spes* &c.] Al. *Spes nulla rebus monstrat affl.*

182. *quemve securum*] Al. *quidve securum*

191. *Monstrum superbum*] Malim cum m. s. & editis vetustioribus, *Monstrumque sævum*. in quibusdam coniunctio *que* abest. hinc substitutum illud *superbum* arbitror.

193. *inno-*

193. *innocens mulier*] Ironicè.

197. *I, quære Colchos,*] Editi libri vetuſtiores & m. s. ferè o. *I, querere Colchis.* in nullo reperias *Colchos.* illorum ego fidem ſequor. omiſſa in *quere* ſyllaba viris doctis impoſuit.

198. *Vox conſtituto ſera* &c.] M. s. o. & Interpres vetus: *Nox conſtituto ſera.* i. vltima *venit*, vltra quam hîc hærere non potes. Quæ quidem interpretatio mihi nequaquam ſatisfacit. volebat enim Creon vt ſtatim diſcederet Medea.& demum verſu 295.vnum parando impetrat exilio diem. prior lectio apertior, q. d. expoſtulatio illa tua ſera venit,iam latâ ſententiâ.

204. *quamque regale hoc putet,*] M. s. quos vidi, omnes, *quamque regale hoc caput.*& ita Interpretes & Gloſſæ m.s.in vno tamen pro *hoc caput*:*hac caput* legitur.

214. *exterret*] M.s. *exercet.*

226. *Græciæ,*] Nonnulli, *gloriæ.*

242. *qua volet, noſtram premat,*] Al. *quæ volet noſtram premet.*

248. *Petijque ſupplex præſidis dextræ fidem.*] M.s. o. & editiones paulo vetuſtiores, hoc modo, & quidem rectè, legunt, *Fidemque ſupplex præſidis dextræ petij.*

265. *Prorſusque veſtro*] Bona pars m. s. *Proculque veſtro.* alij pro *veſtro*, *noſtro* habent.

278. *novam Docet maritus coniugem.*] Repone ex m.s.v. & editis,*novas Docet m. coniuges.*invidioſè plurali numero vtitur: vt v. 1007.

I, nunc ſuperbe virginum thalamos pete;

Relinque matres. ſic alibi ſæpius : vbi egregij cenſores ſingularem ſubſtituerunt.

296. *aliquid abſcindas licet.*] M. s. & editi vetuſtiores, *abſcidas.*

197. CR. *Et ipſa propera,*] Optimæ notæ m. s. hæc verba Medeæ tribuunt:MED.*Et ipſa propero.*CR.*capite* &c.alij, *En ipſa.*

114. *flectitque*] Et *flectit* & *deflet* m. s. agnoſcunt.

317. *habebant*] Al. *habebat.*

335. *diſſecti,*] Al. *diſſepti.*

344. Ge-

344. *Gemerent ſonitu, ſpargeret aſtra*
Nubesque ipſas mare depreſſum.) Ita m. s. o. & Interpretes. *gemerent.* i. reſonarent, *velut ætherio ſonitu.* i. quaſi eſſent tonitrua, & *mare* quod erat *depreſſum* ex ſuâ colliſione, *ſpargeret.* i. aſpergeret, *aſtra* & *ipſas nubes.* quod per hyperbolem dictum eſt. Hæc Interpres. quæ hîc inſerere non piguit, quum videam aliam ab alijs interpretationem afferri.

354. *Toties imo*] M. s. o. *Toties vno.*

388. *Proclamat: ô Superi!*] Ita m. s. Palatini o. & Colonienſis.

394. *Se vincet*] i. faciet ſcelus, quod reliqua longè ſuperabit. verſu ſuperiore, *medium ſ.* habent m. s.

410. *fervebit minis*] Ita m. s. o.

477. *Alienaque ſequens*] M. s. *Aliena ſequens.* repugnante metro. illud *que* in nullo m. s. reperio. quare non immeritò ſuſpectum. quid ſi *ſectans* legas? Lipſius, *ſequeris regna?*

485. *Reſerta quasque,*] M. s. vno conſenſu omnes, *Quasq́ refecta.* quid ſi *que* enclitica, vt apud Græcos τε, producatur? ſed exemplum apud Latinos deſidero. vltima in *cuique* non rarò apud Prudentium producitur. mihi veterem repræſentaſſe ſcripturam ſufficiat. In editis nonnullis, *Et quas ref.*

496. *Medea amores obicis?*] M. s. Col. *amores obicit.* eodem quo apud Terentium modo: *leno iniqua me non volt loqui.*

507. *Abdico, abiuro,*] M. s. o. *abdico, eiuro, abnuo.*

509. *Regina gnatis exulum afflictis potens.*] Hic verſus m. s. aliquot Iaſoni tribuunt.

513. *- in exitium trahis?*] M. s. o. & Interpres, *in exilium trahis?*

515. *pro me? vel ſcelus,*] ſ. facito, ſicut ego pro te. alij, *prome vel ſcelus.* vt paulo poſt, v. 678.

516. *- eſt & his maior metus M.*] M. *seſt & hic m.* optimo quoque ſenſu.

517. *Nos confligere,*] Ita m. s. ferè o. at verſus non ſtat. in vno tamen (vt & in editis nonnullis) *confugere*, & ſu-

pra

pra ſcriptum,al.*confligere*.hortatur Medea Iaſonem vt ſecum fugiat; & in fugâ ſi inſtet Acaſtus aut Creon, vtrũque vt profugiat. & mox, ait,innocens mecum fuge. Aldus, & alij nonnulli ; *nos confligere. certemus.* quam lectionem Franciſcus Iunius germanam cenſet, vt *confligere* ἐπιχειρητικῶς accipiatur, pro committe: vt apud Lucretium,

Semina cum Veneris ſtimulis excita per artus
Obvia conflixit conſpirans mutuus ardor.

†rta leg. P. S. Sic & optimæ illæ Gloſſæ veteres: *Confligunt,*† συγχέουσι.

545. *Poſſum pati:*] M.s. aliquot, *poſſim.*

558. *Precorque & ipſe,*] Scripti ita m. vetuſtiores. al. *ipſa.*

561. *Et tot meorum facinorum. excidimus tibi:*] Alij notâ interrogatoriâ, *facinorum. excidimus tibi?*

597. *Sed furit vinci,* &c.] I. dominus ſecundæ ſortis, Neptunus, furit vinci maria.

608. *Mobiles remos,*] M. s. v. & olim editi, *ramos.* quod minimè reijciendum eſt. *ramos,* pro arbore, vnde Argo fabricata.

631. *At caput tractu fluvialis Hebri,*] Repone ex m. s. *Ad caput tractus fluvialis H.* monuit & Lipſius.

648. *puer irrepertus?*] Al. abeſt nota interrogationis.

669. *Parcite iuſſo.*] Ita m. s. o.

755. *Egique ad ima*] M. s. *Egique ad imum.*

935. *Pereant, mei ſunt. crimine &*] Malim interrogativè, *Pereant? mei ſunt. crimine* &c.

988. *quid dubitas? potens Iam,*] M. s. *quid dubitas? potes. Iam cecidit ira:* &c.

991. *me inviſam ſubit:*] M. s. vetus, & Aldus, *invitam ſubit.*

1014. IAS. *Iam perage* &c.] Verſuum ordinem, conſentientibus m. s. o. & editis, retineo. Rogabat Iaſon vt nato vno peremto, alteri parceret, & iam ſatis eſſe pœnæ datum. Reſpondet Medea duûm numerum dolori ſuo non ſufficere; proinde ſcrutaturam enſe viſcera, núm ἔμβρυον ibi lateret. hoc facinus abominans Iaſon, dicit, *Iam perage cœptum facinus*, moram tantum ſuppliciis dona meis. i. tempus abeundi hinc, ne videam ſcelus. Medea

in aliam

in aliam partem Iasonis verba rapit, & veluti petitioni eius acquiescens, dicit, *Perfruere lento scelere, ne propera dolor: Meus dies est: tempore accepto* (.i. impetrato à Creonte) *vtimur*, Iasoni insultando.

IN AGAMEMNONEM.

CLYTAIMNESTRA] M. s. ferè omnes, *Clytemestra.* apud Ausonium ita reperias, secundâ brevi.

35. *Avo parentem,*] Ita Aldus.

111. *Et sceptra casta vidua tut.*] M. s. v. & editi, *castra iuncta tutari fide.* quam lectionem cur mutemus? illud *vidua* ex glossemate irrepsit, aut fallor.

124. *Soror ista fecit*] M. s. o. & editi, *Sors ista fecit*, id est, vt inquit vetus Interpres, Fortuna dedit ista communiter: sed te, quæ regina es, decet maius nefas. versus 907. facit vt editam lectionem præferam.

129. *Proin quid est?*] Suspecta mihi hæc est lectio: nam m. s. o. *Proinde quicquid est*, sed repugnat lex metri. lego itaque cum edito: *Quidquid proinde est.*

137. *deiectus*] M. s. o. *devictus*, nec hoc malè. pòst enim sequitur *rebellat.*

141. *regimen*] Al. *regnum.*

143. *dedi ratem.*] M. s. & Interpres, *dedam ratem.*

146. *quid dubium timet?*] M. s. *dubiam*, vt rectè ex ingenio priùs emendavit Lipsius.

151. *Quod meruit, auget, qui scelus scelere obruit.*] M. s. o. & editi v. *Quod metuit*, rectissimè. pœnam nempe. *Oderunt* enim *peccare mali formidine pœnæ.* pro *obruit*, Aldus *obstruit.*

160. NVT. *Redemit*] In m. s. nonnullis hæc à Clytæmnestrâ dicuntur. sic & v. 171. vbi NVT. nomen præfigitur. si ita legas, tum sensus erit; Dices fortasse ô Nutrix, *Redemit illa* &c.

185. *A pellice vnquam barbara celebs torus*] M. s. v. *A pelice vnquam vel suus celebs torus*, & mox v. sequenti *Briseidam*, pro *Briseida.*

188. *Hem Paridis hoſtem !*] M. s. *En Paridis hoſt.*

199. *ſi aliter nequit,*] In alijs *ſi aliud nequis:* vel, *inquit.*

205. *trahens*] M. s. *trahit.*

207. *conaris inſana aggredi?*] Ita m. s. o. & Interpres. ſecus Lipſij liber, *& furto a.*

231. *Oppone cunctis*] Ita m. s. o. Fabricius verò, *Oppone meritis.*

235. *Comitare. tantum ſanguinem reddet tibi*
Ignavus iſte ductor, ac fortis pater.] Lipſius, *Comitare tantum ſanguinem r.* m. s. q. *Comitare. tantum ſ. r. tibi Ignavus i. d. a. f. pater?* q. d. tantum ſanguinem quantus fuit filiæ non reddet. quidam pro *reddet*, habet *reddat.*

261. *excitas?*] M. s. o. *incitas.*

264. *Lex alia ſolio eſt, alia p.*] M. s. o. & Interpres, *Lex alia ſocio, alia privato,* vel *in privato*: hac ſententia, alia conditio coniugis, alia pellicis & quidem ſervæ.

267. *Det ille veniam*] Quia par pro pari retulerat viro.

296. *Quem nocte ſubitâ*] Vide Thyeſt. Chorum Actus IV.

298. *genitales rogos?*] M. s. o. *genitales r.*

322. *Arcus victor*] M. s. nonnulli & Interpres, *vinclo,* & abeſt *tò pace relatâ.*

330. *Flectere carmen ſimplex, luſus*] M. s. ferè o. *ſimplex vſus,* al. *ſimplex verſus.*

333. *ſonabas,*] Iidem libri & editi antiquiores, *canebas.*

378. *Marmora fundunt*] Liber vetus, *ſudant.*

381. *tuque ante omnes*] M. s. & editi, *teque ante o.*

402. *proſperum tandem diem;*] Al. *proſpero tandem die.*

428. *remigem monuit tuba,*] M. s. o. *regimen emovit t.* & in vnius margine, *remigem.*

444. *Fuſuſque tranſtris miles,*] M. s. *tranſtris navita, aut.*

470. *Cum luna ſubitò*] M. s. o. & editi vetuſtiores, *Cum ſubitò luna,* poſtremam in *ſubitò* ſyllabam brevem legere non memini. Verſu ſequenti iidem libri,
In aſtra pontus tollitur, cælum perit.

485. *ſedibus totum ſuis,*] Al. *motum ſuis,*

492. *quo pereant malo.*] Al. *modo.*

507. *Nil ratio & vſus audet, ars ceſſit malis.*] M. s. & editi,

Nil

Nil ratio & vſus audet in magnis malis. ſed altera lectio elegantior videtur.

516. *victa quem tellus premit.*] M. s. aliquot, *tegit.*

536. *Certum*] Fabricius *Tortum* ex † Ioviano Pontano. † De Fortitudine lib. 1.

538. *Ratiſque partem ſecum & Aiacem tulit.*] M. s. o. & Interpres, *Aiacis tulit.* quam lectionem minimè reiiciendam cenſeo: quamvis ex citatione Pontani Fabricius mutaverit.

547. *Non me fugabit*] M. s. *fugavit.*

566. *Hinc ſcelere Lemnon nobilem, & hinc Chalcida,*] M. s. H. ſ. L. *nobilem, hinc Calcedona.* al. *Calidona.*

576. *cedit in luctum furor.*] M. s. & Interpres,
Voluntque maria: cecidit in lucem furor.

603. *Vrbe cum tota*] M. s. & editi, *Non vrbe cum tota.*

604. *Indomitumve bellum.*] Iidem, *Indomitum bellum.*

612. *Dorici raperent ignes.*] M. s. o. & editi vetuſtiores, *Dorici raperetis ignes.* i. quum vos ignes Dorici raperetis, &c.

627. *Fatale munus Danaum traximus noſtra*] Iidem libri vno conſenſu omnes,
Danaumque fatale munus duximus noſtra.

637. *Secura metu Troica pubes.*] M. s. & editiones veteres, *Secura metus.*

674. *Reſidens ſummis,*] Ita m. s. vetuſtiores, & typis editi. in nonnullis tamen pro *ſummis, ſylvis* reperio.

689. *-buxum Ferit,*] Ita m. s. Virgilius,
Tympana vos buxuſque vocat.

727. *Nox atra,*] Colonienſis, *Nox alta, & æther abditis t. l.* cui adſentitur vetus Interpres.

739. *Marmaricus leo,*] Colonienſis, & alij nonnulli, *Marmoricus leo.*

775. CH.] M. s. Col. CHORVS TROIANORVM.

780. *Coniuxque pariter*] Ita noſtri. ſecus Lipſij liber, *Et feſta coniunx.*

828. *O puer magnum ſubiture*] M. s. aliquot & editiones veteres vocem *magnum* non habent.

839. *duxit ad ortus*] M. s. & edit. vet. *duxitque ad o.*

861. *lucis ignotæ*] ſic Hercule Furente, v. 813.

871. *terga dat victor tuus.*] Col. *mœror tuus.*

951. *Fuge, & sceleſtas*] Al. *Fugito sceleſt.*

915. *externos fugis?*] Ita m. s. noſtri o. Lipſij liber, *externos metus.* ſed hoc ex ſequenti verſu irrepſiſſe exiſtimo.

918. ST. *Phocide relicta*] Hîc incipit alia, vt ſic dicam, Scena, in m. s. libris, & edit. vet.

937. *protegit ramo*] M. s. *Frondem virenti protegat r.* &c.

938. *Et iſta demum palma*] Ita m. s. Lipſij liber, *donum.*

957. *Pietatem docet?*] Proba lectio m. s. o. & Interpres vet. *eia, tandem doces.*

965. *citius interea mihi*] M. s. & Interpres,
mitius interea mihi
Tu vidua loquere: vir caret vita tuus.

997. *Arripite famuli*] *Abripite*, in m. s. meliùs.

IN HERCVLEM OETÆVM.

28. *genuit infeſtum, occidit;*] Al. *infeſta; o.*

29. *Meâque fuſum dexterâ:*] M. s. o. *fuſum eſt d.*

30. *ſic negat*] Ita m. s. Quidam editi, *ſi n.*

34. *ne terra concipiat*] Vide Herculem Furentem v. 937.

55. *dum terra Herculem Habet, videtque.*] M. s. Col. *-dum terram Hercules Habet, videtque.* non ineleganter.

39. *Laudes redegi:*] M. s. o. *recepi:* neutrum malè.

46. *terra deſeruit gradum:*] Iidem, *defecit g.*

51. *Quacunque preſſi.*] Al. *Quacunque p.*

81. *Tangat Pelorus, & vna ſic tellus erit :*] M. s. Palat. & Col. T. *Pelorus, vna iam tellus erit.*

100. *Præfer triumphos,*] M. s. o. *Perfer triumphos*, & ita veterem Interpretem legiſſe apparet.

108. *Liminis vltimi,*] Palat. & Col. *luminis u.*

119. *Non t.*] M. s. o. & Interpres, *Nos turp.* quos ſequor.

135. *Ad Trachyna vocor,*] Illi ipſi, *Carcina v.*

140. *qua fugit*] Ita Col. at Pal. *fluit.*

144. *Num Titana ferunt?*] Quidam legunt, *ferum te R.*

145. *te fera Caſpia,*] M. s. & Interpres, *Caſeta.*

151. *Nullis vulneribus pervia monſtra ſunt.*] Ita m. ſcripti & Interpres. Oſtendit (inquit) quod Hercules fuit mon-

monſtrum armis invictum:vt monſtra nullis vulneribus ſunt pervia. talis fuit Hercules.

173. *At ego*] Al. *Et ego.*

187. *Phaëtontiadum*] M. s. *Phætontiadum.*

190. *Edonas*] Iidem libri, *Edonias.*

192. *Daulias*] Illi ipſi, *Daunias.*

214. *Thoxeu?*] *Toxeu*, ſine aſpirationis notâ.

219. *prô ſæpe dolor.*] M. s. Col. *ſæve dolor.*

229. *vultuſque ſuos Variare poteſt,*] Hæc abſunt tribus veruſtioribus exemplaribus. & pro *vires pepulit*, legitur *pepulit vires.*

241. *fœta vt armento*] M. s. aliquot *armenta*, idque pro *Armeniâ.* notavit & Lipſius:quod & in nonnullis libris editis reperitur.

262. *hoc ſpecu immenſo exeat.*]M. s. & Interpres,hoc *ſinu.*

264. *quod libet poſſit malum*] Iidem, *poſſum m.*

272. *Profer manus*] M. s. plerique,*Perfer m.* & ſequenti verſu, al. *fiet*, al. *fieri nefas?*

280. *Non*] Al. *Num flamma c. p. & torrens ferent?*

286. *quicquid eſt victum tibi,*] Interpres videtur legiſſe *quicquid invictum t.* vti in vno Palatino.

290. *ſumme protector deûm*] Hanc lectionem, m. s. auctoribus, illi *pro rector d.* præfero. ſic v. 1273. *ſumme protector poli.*

292. *Coniux tumentis*] *Timentis*, o. m. s. conſenſu.

320. *-ſæva, iamdudum faces In te ferentur, vindicem tellus ſuum*] In m. s. o. horum loco, hemiſtichion tantùm habent, *nam tuum gens Herculem Defendet* &c.ita vt ex duobus vnus duntaxat relinquatur,

Sternetur omne: nam tuum gens Herculem.

344. *Herculis nuptam licet,*] M. s. o. *Herculi iunctam libet*, vel, *licet*, & mox v. 347. pro *evellam*, al. *avellam.*

352. *quid caſum times?*] *Caſum* nempe in amore Herculis. i. metuis ne excidas. & ita m. s.

364. *famulo*] Al. *famula.* i. tanquam famula. & præcedenti verſu pro *Priami*, plerique m. s. *primo.*

373. *Vnum feroci ſtamen*] Hîc legebat doctiſs. Guil. Canterus, *Vdum.*

282. *expulit*] M. s. vetuſtiores, *extulit.*

384. *Deforme foliis*] *ſolis*, è m. s. o.

399. *quo nimis*] M.s.*quæ*.quidam *quod* legendũ cenſent.

420. *rapitur.*] M. s. vetuſtiores, *capitur.*

427. *furit.*]Iidem, *fecit.*

440. *noverca peremit,*] Vetuſtior codex, *noverca potuit.*

445. *Cur ſæva modice*] M. s. noſtri & Lipſij, *modicis.*

448. *Quidquid dolorem*, &c.] Quidam libri hunc verſum Nutrici tribuunt.

484. *En locus ab*]Hunc verſũ habes in Hippolyto v.601.

490. *pignus H. manet.*] M. s. *latet.*

533. *deprehendit*] *Deprendit* legendum.

545. *Non ex ſagittis levibus,è nervo p.*]M. s. o. *Non ex ſagittis levibus,è numero precor.*

552. *Cùm fronte ſubitâ tumuit*] M. s. libri & edit. v. *timuit.* an ad illud Ovidij reſpicit?

Nulla in fronte mina, nec formidabile lumen:
Pacem vultus habet, &c.

559. *Tu furva*] Al. *fulva.*

607. *Cùm tot populis*] Al. *In tot p.* abeſt hic verſus à vetuſtioribus.

619. *Clarus claras*] M. s. l. *Clarusque datas*, vel *latas.*

630. *Spectet*] M. s. *Spectent.*

667. *Ser*] M. s. *Seres.*

672. *Quorum*] M. s. & Interpres, *Quarum*, n. nuptarũ.

717. *Thalamisque demens*] Al. *mœrens.*

720. *offendi arguit.*] Duplex vitium, prius ex compendioſâ ſcripturâ *oñdi* pro *oſtendi*, alterum vſitatum illud G pro C. *arguit* pro *arcuit.* i, vetuit, vt vet. Interpres.hoc ex m. ſcriptis ingenioſè correxerat Lipſius.

727. *Abiectus horret ſanguis*] Al. *Abiectum horret virus*: & mox, *Tepefactum.*

750. *obijt.*] M.s.aliquot, *abijt.*

770. *Alcides ijt*] M. s. & Interpres, *erit.*

856. *hoc erit votum manus*]Ita nonnulli. alij, *hæc erit v.m.* & paulo poſt: *Cur deinde.* al. *demum ferrum.*

886. *Quicumq; facto ignoſcit.*]Ex m.s. & Interprete, *fato.*

893. *Vinci Hercules non potuit, hinc t. m.*] Lib m. s.

Col.

Col. cum Lipſio conſentit: *tunc cœpit* Hercules vſque nunc non potuit vinci: ſed modò cùm incipit poſſe vinci, iam cœpit mori. Interpres vetus.

897. pro *ſcelere* lib. Col. *ſceleris* habet.

900. *facta quis*] Et hîc in iiſdem, *fata*, & ſequenti verſu: *Ipſe hic Megaram.*

902. *Hic ipſe*] M. s. *Ipſe hic Meg.* & ſeq. v. *indoles*, pro *indolē.*

915. *Serpentis illud*] M. s. *Serpentis illi.* nempe Herculi.

920. *horridi Neſſi*] Al. *horridas.*

923. NVT. *Vixit ſatis, quicunque cum Alcide occidit.*] Hîc dele NVT. Deianiræ enim verba ſunt. mox Nutrix, *Per has aniles*, &c.

931. *Defende ſ. dexteram inf. tuam.*] I. innocentiam dexteræ tuæ. & ſeq. v. pro *ſcias*, m. s. *ſciat.*

972. *Virtuſne ſupereſt aliqua? Sarmatica & manus*] Ita m. ſcripti, & Interpres. *Sarmatica.* i. bellicoſa. & paulo pòſt, Palat. m. s. *Nunc* (al. *An*) *arma ceſſant?* &, *Num audit arcus?* & 975. *ſi poteſt telum dare.*

996. *nec peragens mala*] Al. *perages*, al. *perdens.* & ſeq. v. *naſcetur.* (ſiano.

1032. *Threiciā chelym*,] Ita m. s. v. non. *Pieriam* cū Lip-

1042. *Advexit volucres*] M. s. *volucrem.*

1048. *Centauris obitum feros*] M. s. aliquot, *Centauros. obiter ferens.* & ſeq. v. vetuſtiores, *Rhodope*, al. *Rhodopen.*

1060. *Quin per Tænarias*] M. s. *Qui.*

1118. *Diſcedit*] In vno, *Diſcidet.*

1133. *Obſtat noverca.*] M. s. o. *Obſta noverce.*

1137. *Nunc partem in omnē Iuppiter ſpecta poli.*] M. s. *Nunc parte in omni.*

1140. *Laxabit atri*] M. s. *Laxavit.*

1175. *Mortem perire*] I. vt moriens nihil agat.

1182. *Sed nimis Superis fuit.*] M. s. rectiùs, *Si nimis Superis fuit, Scythico ſ.* &c. id eſt, ſi hoc Superis nimis viſum eſt, Amazon ſaltem vires meas domuiſſet.

1197. *tunc ab infernâ Styge.*] M. s. *nunc ab inf. S.*

1211. *monſtriferum Titana.*] M. s. & Interpres, *mortiferū.*

1233. *agnoſcas pater.*] Al. *agnoſcis.* & ſeq. v. *His ego lacertis*, m. s. *Hisne ego.*

1259. *Effera es,*] *es* à m. ſcriptis abeſt.

1274. In nonnullis m. s. Palat. *proſpector* legitur, pro *protector.*

1287. *vicitque faces*] M. s. & Interpres, *vincitque nefas.*

1292. *Caput implicaret.*] Repone illis ipſis auctoribus, *explicaret.*

1301. *Giganta, crede,*] M. s. v. *credo.*

1312. *& frater quidem,*] M. s. o. *eſt frater quidem.*

1317. *femina poſſim manu!*] M. s. *poſſum manus.*

1338. *Reclivis*] Al. *Reclinis.*

1359. *medius credo*] Al. *crede.*

1376. *horridus vinctum*] V. l. *horridum v.*

1380. *Vtraque premerent rupe,*] M. s. *vtrimque.* & nonnulli pro *Symplegades,* & *rupe,* habent, *Symplegados,* & *rupes.*

1402. *Excuſſit ille*] M. s. v. *Excuſſus ille n. impreſſus,* & mox v. 1404. *igne ſuffuſo.*

1405. M. s. Col. *quas fugâ latebras petam?* & ſequentes duo verſus abſunt.

1413. *Gravíque anhelum pectus impulſu quatit.*] M. s. & Interpres, *Gravique anhelo p. impulſum q.*

1500. *Nox illa*] M. s. l. & Interpres, *Non illa.*

1557. M. s. veteres, *Æacoſq;* mox *diſcernes* pro *diſcernens.*

1569. *recepto*] M. s. *recepti.*

1591. *intenſum*] M. s. & Interpres, *impenſum.*

1594. *Ecquid hoc?*] M. s. *heu,* vel *Hem, quid hoc?*

1600. *an viſum*] M. s. v. *& viſum.*

1603. *Pæas,*] M. s. veteres, *Pæans,* vt *gigans.*

1630. *Admiſit*] M. s. Col. & Interpres, *Accepit.* & ſeq. v. *nemore ſucciſo domus.*

1661. *hoc telum Herculem Tantum ſequetur.*] M. s. v. *hoc telum ſequax Nam cur ſequatur.*

1676. *comprime*] M. s. v. *contine inf.*

1730. *nullus erupit ſonus:*] M. s. *erumpit ſ.*

1752. M. s. o. & Interpres, *vultu minax Appeteret ignes.*

1809. *omne iam*] M. s. *omne nam.*

1896. *veſcitur infans,*] M. s. Palat. *naſcitur;* vt divinè reſtituerat vir optimus ac doctiſſ. Lipſius.

1921. *Monſtra*] Al. *Fata morantur.*

1926. *ſub*

1926. *ſub vndis*] M. s. *ſub vndas.*
1966. *ignis iniectus*] Al. *invictus*, al. *invitus.*

IN OCTAVIAM.

4. *Reddit clarum. eia age tantis*] M. s. *Reddit clarum. tot tantis.* vet. Pariſienſis, *tot tantiſque.* deinde ſecus diſtinguuntur verſus in m. s. atque in editis.

42. *En qui Britannis*] Reſtitutio huius loci Ioſepho Scaligero debetur. antea enim legebatur: *En qui ora Tanais primus impoſuit iugo.* vide Caſtigationes eius in Catullum Tib. & Prop.

53. *mutat immitis dolor*] In nonnullis, *mittit.*

141. *Genitamque fratre coniugem captam ſibi*
Toris nefandis flebili iunxit face.] Sic olim correxit doctiſs. Lipſius Antiquarum lectionum lib. i. c. XIIII. Vno conſenſu tamen typis editi, & m. s. omnes,
Genitamque fratris, coniugem captus ſibi &c.
quæ lectio minimè reiicienda. Genitam id eſt natam Germanici fratris Agrippinam captus, id eſt, (vt Suetonius ait) in amorem pellectus, ſibi &c. ſic Terentius, *captus eſt, habet.*

149. *criminis facti reus.*] Ita m. s. o. Rectè emendavit Lipſius, *ficti.*

207. *Aureus idem Fulſit in imbri;*] M. s. *Fluxit.* ut in hac ipſa Tragœdiâ v. 772. pro *idem, item* in quibuſdam libris.

237. *quas regit dux impius.*]M. s. & Interpres v. *quæ regit d.* quia propter eius ſcelera videntur turbata.

249. *Nero: ipſe divo Domitio*] M. s. o. & Interpres, *inſidivo D.* ex quo Lipſius, *Nero inſitivus.*

268. *coniugem traxit ſuum,*]Ita m. s. rectè. Fabricius, *truſit.*

290. *Prodimus ſævo*] Eliditur *s* in *prodimus.* pro *ſævo,* in m. s. *evo,* non ita rectè.

294. *expulerant*] Nonnulli ex m. s. *expulerunt.*

296. *dextera*] Scribe, *dextra.*

298. *aut improba ferret*] M. s. *& improba f.*

309. *Hoc quoque noſtra videre nefas Secula,*] M. s. *Hæc*

quoque nati videre nefas Scelera. nonnulli tamen, *Secula.*

415. *Interius alte*] M. s. & Interpres, *interior.*

421. *aut petit*] Alij, *aut petiit.*

441. *Iuſtum eſſe*] Al. *Iuſto.* quam lectionem ſequitur Interpres.

461. *Deſpectus enſis*] Ita m. s. noſtri, & Interpres: *deſpectus.* i. viſus à populo. inſolens in hac ſignificatione.

462. *An patiar vltro*] M. s. & editiones vet. vnâ cum Interprete,

An patiar vltra, ſanguinem noſtrum peti.
Invictus, & contemptus vt ſubitò opprimar?

Sic enim diſtinguendum, non vt in edit. vet. Vtra lectio melior, non contendo. veterem mihi repræſentaſſe ſat eſt. Fabricius in m. s. *iavitus*, & *inviſus* legiſſe ſe teſtatur.

470. *vt carum ſibi*] Al. *& carum ſibi.*

487. *atque iudicium*] Ita m. s. at Fabricus, *votum eſt atque iud.* Vide Lipſium.

503. *Roma tunc vidit ſui,*] M.s. & Interpres, *Roma nõ vid.*

526. *continuit imperium metu;*] Al. *metus.*

571. *Iugetque*] Al. *iungatque*, & pro *dolor* Fabricius *deus.*

577. *conceptus furor.*] M.s.o.& Interpres v. *conceptus favor.* vt v. 877. & 884. i. favor populi conceptus temerè pro Octavia. pro *fractus* al. *fractis*, non ita rectè.

582. *Negare durum eſt.*] Ita m. s. o. & Interpres. q. d. periculoſum eſſet negare, ſi poſt verba ſtatim verbera ſequerentur. Lipſius, *Necare.*

583. *Permittat ipſe.*] M. s. o. & Interpres, *Remittat ipſe.* i. ſponte concedat.

587. *Ætasque frangant,*] M. s. l. *frangat.* ſic & Interpres.

602. *Nox illa*] M. s. & edit. vet. *Vox illa.*

636. *in lucem dedi.*] Al. *edidi.*

685. *Affigat humo*] *Affligat* Lipſius, rectè: quæ lectio confirmatur v. 796.

722. *Sparſa cruore*] Lege, *Sparſam cr.* aliàs labat verſus.

732. *Irrupit intra tecta tum mea,*] Ita m. s. aliquot nonnulli, *Irrumpit i. t. cum mea.*

746. *Octaviæ diſſidia*] Al. *diſcidia.*

748. *Auguſta manu*] Libri plerique o. *Auguſta vanu*, i. Agrip-

Agrippinæ matris Neronis. vtrumque rectè.

772. *fluxit*] Al. *fulsit.*

798. *Diducta*] M. s. l. *Deducta.*

803. *Claudia victus*] Al. *vinctus.*

811. *Læsi tristes dabitis pœnas*] Ita m. s. o. Lipsius legit *læsi.* quid si sic? *Læsi.* i. ob læsum Cupidinem dabitis pœnas. vt sit Helleniſmus, ἕνεκα.

827. *subiecit furor,*] M. s. *subicit f.*

895. *Cernere possis.*] Palat. l. & Interpres, *possint*, vt ad *cives*, referas. al. *possit.*

900. *fortuna iubet?*] M. s. o. & edit. vet. *regina i.*

Hæc sunt, polite Lector, quæ cursim e M. S. L. *Palatinis aliisque ad hunc auctorem notare visum est: in quibus etsi nonnulla sint minimè recipienda, nosti tamen vsu venire vt è duobus scripturis falsis vera aliquando eliciatur. id exemplis ex hoc libello promptis ostendere possem: verùm in re tibi manifestâ, probatione nihil opus esse existimo. Si hunc laborem meum non ingratum fuisse cognovero, in aliis Poëtis ac μυθολογικοῖς auctoribus non priùs vulgatis, studium ac diligentiam meam tibi probare conabor. Vale, & si quâ in re iuvare potes, mihi ne desis.*

FINIS.

IOSEPHI IVSTI

SCALIGERI

IVL. CÆS. A BVRDEN F.

In

SENECÆ

Tragœdias

ANIMADVERSIONES.

Scriptæ in Bataviâ circa Annum cIↃ IↃ CↃ

IOSEPHI SCALIGERI

ANIMADVERSIONES

IN HERCVLEM FVRENTEM.

APud Euripidem tragœdia eſt huic affinis & argumento & nomine. Oeconomia partim ſimilis, partim diſſimilis. Velitatio Amphitryonis cum Lyco apud vtrumq; paria facit: ſed in decore perſonæ Amphitryonis lõge inferior Seneca: vt in multis alijs. Reliqua ſtudioſi inter ſe contẽdere poſſunt.

Verſ. 36. *Patrẽ probavit.* &c.] Reſtituimus ex veteribus lib.

Patrem probavi: gloriæ feci locum:
Quia Sol relucens, quaque repromens diem,
Binos propinqua tangit Æthiopas face.

Quanto melius quam vulgati libri!

137. *Labor exoritur* &c.] Peſſime vulgo hæc diſtinguuntur. Aliam & meliorem ſententiam ita effeceris,

Labor exoritur durus, & omnes
Agitat curas, aperitque domos.
Paſtor gelida cana pruina
Grege dimiſſo pabula carpit.

Clarum enim eſt, quod labor aperiat fores, non paſtor.

302. *Longas Eleuſi tacita iactabo faces.*] Quidam ſcripti *Eleuſim*, pro *Eleuſin*. Ad illuſtrationem huius loci vide Græcorum Commentarios περὶ δαδουχίας. Item ἵ'σαδαι δᾶδα τοῖς μυσηρίοις. Hæc omnia ab epoptis fiebant. In Hippolyto,

Iactare tacitis conſcias ſacris faces.

356. *Velata iuxta præſides aſtat deos.*] Non bene capitur hic locus vulgo. *Præſides* vocat deos, quos aliter *præſtites*, imitatione Græcorum; qui παρεστηρίους ab eadem mente vocra-

vocraunt. Eorum ara iuxta fores posita erat. Hæc est de qua intelligit. Plura possemus huc congerere: sed studiosi adolescentuli melius hæc meminerint.

712. *Alter, quieto similis:*] Ita distingue,

Alter quieto similis (hunc iurant Dei)
Tacente sacram devehens fluvio Styga.

875. *Thebis læta dies adest:*] Ab Euripide, vt multa alia. Θήβαις ἱερὸν φῶς. Et paulo ante, χοροὶ, χοροὶ, ἐν θαλίαις μέλεσθε Θήβαις. Quod noster, *Solennes agitent choros.*

1075. *Placidus fessum leniſque foves:*] Omnino legendum, *fovens.*

1181. *Nunquid infestum Lyci Parentis agmen-*] Quidam viri docti emendarunt, *Pereuntis*: quod laudamus. Sed maxima pars librorum scriptorum habet,

-nunquid infestum mihi
Parentis agmen.

Quod cur reijciamus? Quis tantam cladem nobis comparavit? tyrrannusne vrbis Argivæ, an agmen infestum mihi vrbis parentis? Id est, Thebarum. Catullus, *Patria ô mea genitrix.* In Oetæo,

Rogos in istos terra consurgit parens.

Et, *infestum*, propter factionem Lyci. Nam seditione vulgi Lycus admissus. Nam quare Lycum commemoret, quem iam occiderat? Sed docti iudicent.

1212. *cumque revocata vice In se coibunt, saxaq; in cœlum expriment, Actis utrimque rupibus, medium mare, Ego inquieta mont.* Velim convenire conscientiam lectoris, an hæc intelligat. Non detinebo eum diutius. Vide quam dissimilis hæc sententia,

-cumque revocata vice
In se coibunt saxa, quæ in cœlum exprimunt
Actis vtrinque rupibus medium mare,
Ego in quieta montium iaceam mora.

Symplegades diducuntur à se & in se rursum coeuntes mare interceptum in cœlum exprimunt. Hercules optat in illa mora, dum coeunt saxa, & mare in cœlum exprimunt, inter illa intercipi, & ita perire in illo quieto momento. Nunquid ita sensit Seneca?

IN

IN THYESTEM.

Chorus huius tragœdiæ conſtat ex ſenibus Mycenæis, non ex mulieribus. quod vel ex verſu 392 conſtat. Mycenæos ita intellige, vt etiam Argivi eſſe poſſint. quod poetæ Argos Mycenis confundunt. vt verſu 179 Argos nominat; verſu 187 Mycenas. Id nos ſæpiſſime notavimus,& iamdudũ Strabo monuerat. De tribus autẽ Thyeſtis filijs Pliſthenes maximus natu interloquitur: Tantalus autem & minimus natu, inducuntur mutæ perſonæ.

Verſ. 9. *Qui ſpecu vaſto patens*] Quomodo lectio altera, *ſemper accreſcens iecur*, defendi poſſit, ſcimus nos quoq;. Sed quare falſam anteferamus veræ? Eam referunt meliores libri,

Aut pœna Tityi, qui ſpecu vaſto patens
Viſceribus atras paſcit effoſſis aves,

Et nocte &c. Vulgaris, & inepta eſt, & non cohæret. Sciolus,qui legerat apud Virgilium exporrectum in novem iugera, putavit non licere Senecæ exporrigere in ſpecu.

135. *Et maior placeat culpa minoribus.*] Ridiculum. Seneca ſcriptum reliquit,

Maiorum & placeat culpa minoribus.

Nimirum obviam it decreto Megaeræ ſupra,

Rabies parentum duret, & longum nefas
Eat in nepotes.

Optant igitur ſenes Argivi ne id accidat.

175. *Altum de rapido* &c.] Deeſt finis huic Choro.

275. *animum filio inſpira parens.*] Hiſtoria aut fabula inexplicabilis.

301. *& faciles capi Preces movebunt.*] Quis non videt mancam orationem eſſe? Quæ vero invidia veterem lectionem reponere? *præcommovebunt*. id eſt, προδιεγερεῖσι. Filij mei quos decipiendo patruo delegavi, facile pellicient in ſententiam ſuam patrueles ſuos, qui deinde patris ſui Thyeſtis animum obſtinatum labefactabunt.

308. *Conſilijs iſtis lege.*] Falſo. nunquam enim

Seneca in quarta ſede pedem quatuor temporum admiſit. Repone veterem ſcripturam, *Conſili triſtis lege.*

389. *Rex eſt, qui metuit nihil.*] Poſt hunc verſum inſerunt quidam veteres codices, *Rex eſt quique cupit nihil.* Eſt inferiorum temporum, quando *quiſque* pro *quiſquis* vſurpabatur. Itaque non *quique* ſed *quiſque* ſcripſerat monachus auctor verſiculi. Nihil verius.

393. *Me dulcis ſaturet quies.*] Idem extulit in Hercule Furente, *-me mea tellus*

Lare ſecreto tutoque tegat.

463. *Non ture colimur, nec meæ excluſo Iove Ornantur aræ.*] Ad Neronemne an Domitianum referenda hæc ſint, viderit eruditus lector. Certe Romanum Imperatorem hæc ſpectant, non alium.

587. *Regna Laertes* &c.] Chorus quidem Mycenæorum aut Argivorum hæc dicit, ſed ex perſona Poëtæ: nondum enim Laërtes aut notus aut natus erat. Sic ſupra eadem prolepſi dictum accipe,

Nullis nota Quiritibus

Ætas per tacitum fluat.

601. *Cuius ad nutum* &c.] Non dubium ad Neronem referenda. De timore & amore ſimul regum externorum erga Neroné, vt propterea fœdus cum eo percuſſerint, Tiridates etiam diadema ab eo ſuſceperit, habes apud Suetonium & Dionem.

603. *Et Dacæ Parthis equitem minati:*] Non plane hæc intelligo. Quid eſt *minari equitem*? Deinde quid Dacis cum Parthis tanto intervallo diſſitis?

605. *Cuncta divitias,*] Verſus non conſtat. Vitium igitur in lectione. vt taceam ineptiſſimam vel potius nullam ſententiam. Recte viri ſummi Iuſti Lipſij codex, *divinat*, non *divitias.* Confirmatur à vetere codice Colonienſi, vbi *divinas* legitur. Divinat caſus moventes cuncta & ipſos viciſſim mobiles. Græcus dixiſſet, ὄσεται τὰ τῶν ἀνθρωπείων πταίσματα. Notum quid Homero, κακὰ ὄσσεται. Id eſt, quod hic dicitur, divinare. Elegantiſſime hoc dictum, vt totus Chorus. qui plane divinus eſt.

645. Ha-

645. *Habet ſub ictu:*] Græcum, ἐπὶ ξυρᾷ ἀκμῆς. In Thebaide, *Sceleris ſub ictu.*

650. *Arcano in imo* &c.] Interpolatum. Reponimus,

Arcana in imo regio ſeceſſu patet.

Tantæ amplitudinis regia, vt in regiones diviſa. τὸ *patet*, ad amplificationem.

695. *Attendit ipſe.*] Ita reponendum ex ſcriptis.

Attendit.] In ſacris dicebatur, HOC AGE. Id eſt, attende. Ipſe præcone aut monitore opus non habet. ipſemet HOC AGIT.

1084. *Stabant pares gigantes. hæc arma expedi,*] Male & leguntur & interpunguntur. Scribe,

S. p. gigantes, hac arma expedi.

non, *hæc. Hac*, ſcilicet dextra.

IN THEBAIDA.

Hæc fabula eſt perpetuum canticum, nullis diverbijs interruptum. Eſt autem totum ſcholaſticum drama, declamatorio charactere. Multa putida ſunt & affectata.

Verſ. 12. *qua prærupta protendit iuga*] Poſt hunc verſum revocandus 22, qui totam ſententiam ſuſpendit, loco alieno poſitus. Ita ſcripſit Seneca,

Ibo, ibo, qua prærupta protendit iuga,
Vel qua alta maria vertice immenſo premit
Meus Citheron.

Scilicet, qua dorſum in longum porrigit, aut qua fronte mari imminet. An non ita ſcripſit Seneca? *Immenſo*, non, *immerſo*, & ſententia poſtulat, & auctoritas ſcriptorum codicum comprobat.

65. *Duce e duobus*] Inepte. Seneca ſcripſit,

-quovis vertero.
Duc e duobus. omnis eligitur via.

Elige e duobus, ſive in plana, ſive in præceps, omnis via mihi eligitur.

128. *Spartamque fratre nobilem gemino colis;*] Caſtores

sunt posteriores Thebanis temporibus. Itaque hic memoriam Senecæ convenio. Sed quare cum Seneca expostulamus? qui neque huius versiculi, neque antecedentis auctor est, neque sequentis, neque illius, *Serpente notum.* Quid est, obsecro vos,

Supplex ad aras quisquis Euroten bibis?

Deinde quis non videt pœdagoguli fœtum esse, *Quicunque Elin, Parnason?* Vt Seneca ignoraverit primam in *Elin* produci? Denique quid opus Sparta & Elide, vbi tantum de Bœotio, immo de solo Thebano agro mentio est? Quis non agnoscit κίβδηλον κόμμα? Seneca profecto ita scriptum reliquit,

-quisquis Assyrio loca
Possessa regi scindis, & Bœotios
Colonus agros vberis tondes soli;
Adverte mentem.

Nam de nemore serpente Cadmi noto, nugæ. Quid est nemus notum serpente Cadmi? An quia Cadmus in serpentem conversus? Hoc contigit in Illyrico, non in Thebano agro. Deinde de Dirce latente, fabulæ & somnia. Quis vnquam legit Dircen fontem in quodam nemore latuisse, qui fons vsibus vulgi palam expositus erat? Nam de quodam fluvio, potest dici eius caput latére, fluvium autem ex quodam specu emergere; de fonte non potest, quia parvis terminis circũscriptus. Denique hæc est sententia huius loci. Vos qui colitis Thebanum agrum, qui vidistis Sphinga, an in illo agro simile monstro illi vidisse meministis. quod æquet τερατείαν meam? An satis constat de supposititio illo partu quatuor versuum illorum?

178. *audias verum Oedipum:*] Alij veteres, *audies verum Oedipum:* alij, *audias verum Oedipe.* Sed sequentia satis arguunt νοθεύσεως. Nam acroteleution hoc, versus sequens, & hemistichium sequens, sunt infulta; vt vel parum oculato constare possit. Ita continuanda erant,

Pressere vultus; nunc manum cerebro indue.

Nobis plane exploratum est, & auribus castigatioribus, reliqua aliena esse. Nam quis hæc interpretabitur, Oedipe minus audacter eruisti lumina tua quam præstitisti?

Quamvis

Quamvis hic multa ſunt ex redundantia declamatoria, tamen hoc ſuperat omnem περιεργίαν ſcholaſticam.

195. *ipſi, ceu video, nullo eſt opus.*] Hæc etiam quis intelligit? Deinde Seneca non ponit quatuor tẽpora in quarta ſede. Scribe, *ipſi, ceu Deo, nullo eſt opus.* Notum μόνον θεὸς ἀνενδεὴς καὶ ἀνεπίδεκτος. Ergo tota ſententia ita concipienda,

-ipſi, ceu Deo, nullo eſt opus.
Quare ipſe mortem cupiat, aut quare petat?

196. *Quare ipſe mortem cupiat, aut quare petat?*] Interrogative legimus. Alioqui quis concedet Latine dictum, nullo mihi opus eſt, quare hoc faciam? Nam qui caſus omnes proculcando fortunæ nullam ſui copiam reliquit, ille tanquam Deus eſt ἀνενδεὴς. Quare ergo aut cupiat mori, aut mortem ſibi conſciſcat? Vtrumque enim timidi eſt. Cupere mortem & petere mortem, manifeſto diſcrepant. Alterum in fatorum, alterum in noſtra poteſtate ſitum: vt optare mortem, & mortem ſibi conſciſcere. tam mehercule differunt, quam votum & poteſtas. Mortem petere, eſt obire. Non omnes qui moriuntur optant, aut contra. Virgilius,

-pulchramque petunt per vulnera mortem.

Sed qui mortem petit per impatientiam, (hoc Græci dicunt ἀτοχαρτερεῖν: cuius prima notio eſt impatientia) hoc vero ignaviæ eſt, propter mala mori, quia malis ſupereſſe non poſſis.

230. *Quæ pars meorum*] *Qui pars.*

232. *Subinde & aures*] Male interpungitur,

-inhæret ac recrudeſcit nefas
Subinde, &c.

363. *Felix Agaue*] Multa deſunt. Res ipſa loquitur. Porro tertio poſt anno quam inceſtum filij agnovit Iocaſta, hic vivit. At in Oedipo, agnito facinore ſtatim ſibi mortem conſciſcit.

426. *Et inter acies proijciet*] Lege, *proiciet*, triſyllabum; vt, *veice capellas*, diſyllabum.

456. *Donate matri pacẽ.*] Ita poſtulat ſententia: ita habent mss. Sed lex carminis repugnat. Nã vulgata lectio inepta.

659. *Qui vult amari*] Inepte hic interiecta Iocastæ persona, quæ pulcherrimam sententiam deformat. Nam omnia ex persona Polynicis ab eo versu, *Regnare non vult.* ad illum, *Præcepta melius.* qui versus est ex persona Iocastæ. Quæcunque, inquit, à te dicta sunt, præcepta sunt regni: sed regum est, non tuum, ista edicere. Reges ergo melius præcepta regnandi dabunt, quam tu, qui exules. Ipsi viderint quomodo disponant regna sua: tu quomodo in exsilio degas. Tam tibi præcepta exsilij quam illis imperij opus sunt. Pessime ergo hæc vulgo concipiebantur.

IN HIPPOLYTVM.

Scena Athenis: sed apud Euripidem Trœzene.

Vers. 4. *Quæ saxa solo Carpeneito*] Ineptissime. Repone veterem scripturam, *Quæ saxoso loca Parnethi.* Πάρνης mons Atticæ. vnde merito saxosum vocat. Aristophanes νεφέλαις extulit feminino genere, βλέπε γυνῆ δευρὶ πρὸς τὴν Πάρνηθα. Sed alibi extulit masculino, ἐς κόρυφας ἥξω φέρων τί δεῦρο τὸν Πάρνηθ' ὅλον.

13. *Vbi per glacies lenis Ilissus* &c.] Versus non constat. Abest à veteribus libris. & merito. A pædagogulis est. Quid est flumen ire per glacies? flumen glaciatum potestne ire?

14. *Vbi Mæander*] Quod vllus Mæander fluvius Atticam perfluat, nunquam lego.

28. *Vocat hunc Philipis.*] Vox ignota cœlo Græco. Procul dubio scribendum, *Phibalis.* Aristophanes Ἀχαρνεῦσι, ἰσχάδας φιβάλεως. Scholiastes, τόπος Μεγαρίδος. οἱ δὲ Ἀττικῆς. Vnde φιβαλεῖς ἰσχάδες valde commendatæ.

109. *Adiudicatam præsidem terræ deam.*] Repone, *Adiudicatæ,* ex priscis libris. Non enim Minerva terræ adiudicata, sed terra Minervæ.

120. *Aut quis iuvare*] Legimus, *Ah quis.*

236. *Resistet ille,*] Suspicor legendum, *Se sistet ille.* Neque aliter scripsit Seneca.

261. *Pro castitatis*] Qui vel mediocriter Latine sciunt nunquam hanc lectionem amplectentur. Itaque merito doctio-

doctioribus ſuſpecta fuit: ſed male corrigunt, *Pro caſtitate!* quod non magis Latinum eſt, quam ſi priore modo legas. Lege bona fide,

Procacitatis vindicem armemus manum.

τῆς ἀσελγείας. Quid verius?

264. *Haud facile quiſquam ad vitam revocari poteſt.*] Quare non viderunt verſum πονηροῦ κόμματος? Neque ad ſententiam facit, neque à bono poëta eſt. Exſulet igitur.

358. *Altrix profare,*] Eſt Chori. Itaq; ſtatim poni debet,

Vincit ſævas cura novercas.

CH. *Altrix profare quid feras, quonam in loco eſt?*

Nam Seneca nullas diſtinctiones actuum reliquit; non magis quam Plautus, Terentius, Tragici Græci, Ariſtophanes. Vides nunc luce denſas tenebras diſcuſſas. Ideo aptiſſime Nutrix reſpondet Choro, *Spes nulla*, &c. Si quis diſtinctiones iſtas tamen amat; poterit initio ſcenæ Chori perſonam apponere,

CHO. *Altrix p. q. f. q. i. l. e.*

NVT. *Spes n. t. p. l. m.*

Sed nihil opus. Non magis quam in fine Chori ſecundi, vbi iambici vndecim leguntur, qui poterant ad principium ſequentis actus traijci.

365. *& lapſæ gene*] Et ſententia *laſſæ* poſtulat, & atteſtatur vetus lectio.

439. *Quod te ipſe pœnis gravibus infeſtus gravas.*] Verſus pædagogicus. Vt, Seneca *pœnam* pro labore dixerit? Vt, *infeſtus gravas gravibus pœnis?* Sat conſtat inepti hominis eſſe, qui putavit ſententiam ſuſpenſam eſſe. quod etſi prima fronte videtur, nihil tamen eiuſmodi.

558. *Taceo novercas, mitius nil eſt feris.*] Ego hæc non capio. Si diceret, *mitior mens eſt feris*, meliùs caperem. Aliquid tale poſcit ſententia.

605. HIP. *Animúſne cupiens*] Sequimur meliorum codicum veterum fidem,

Vos teſtor omnes cœlites, hoc quod volo
Me nolle. HIP. *cupiens aliquid effari nequit?*

Perſpicua ſententia.

655. *Quum placuit hoſti.*] Antiope. Ne quid ridiculum imagineris.

804. [*tu licet asperos* &c.] Hæc, & duo sequentes versiculi, non sunt Senecæ.

821. *Deformis senij limina transeat*) Quid hæc velint viderint acutiores. Ego plane hic Tiresias sum. Clarissimi viri ac nunquã sine laude nominandi Iusti Lipsij liber habet,

Deformis senij monstret imaginem.

Optime. Dicit immensam formam nunquam impune fuisse. Semper enim νεμεσητόν τι καὶ θεήλατον sequi. Ne hoc Hippolyto accidat, optat ei meliores Deos. Et potius, vt sibi repræsentet deformis senij imaginem, ne superbiat. Quemodmodum in triumphis, ne ex nimia gloria νεμεσητόν τι & invidiosum paterentur, servus publicus a tergo ad se redire & supra hominẽ nihil sapere admonebat. Ita ergo melior Deus intactum prætereat Hippolytum. hoc est, ne vlla vindicta aut ira divina illum perstringat: sed quoties formæ suæ meminerit, toties proponat sibi deformitatem senij; tunc omnem fastum deponet, qui a formæ bono excitari solet. Quam elegantem locum correctores contaminaverunt!

841. *Pars vna vitæ mansit extincto mihi: Mersus malorum finis Alcides f.*] Nihil tam aversum a sententia Senecæ. Repone scriptam lectionem,

Pars vna vitæ mansit extincto mihi
Sensus. malorum finis Alcides fuit.

Non indiget interprete.

1021. *Latuere nube numen Epidauri Dei*]. Lege *nomen*, non *numen*. Petræ *nomen* Epidauri Dei, ἀρχαϊκῶς, *nomine*. Virgilius, *nomen Echionius*. Item alij poëtæ. ἐπώνυμος, Πέτραι θ' ἕνομα Ἐπιδαύριοι.

1204. *Vltimo quodcumque Proteus æquoris abscondit sinu.*] Scribe, *æquor*.

IN OEDIPVM.

Vers. 96. *Aptaret ales verbera;*] Quid est *aptare verbera?* Scribe, *aptaret alas verbere*. Omnes aves verbere alas aptant, vt cuivis notum. Prius enim plaudunt alas, ante-

antequam eas componant dorso, vt gallus ante cantum. Satis de emendatione constat.

105. Sceptrum & peremptæ Sphingis hæc merces datur?] Male sic cum interrogatione vulgo concipitur. Tolle.

195. Petitis fontes,] Hæc vt pessime distinguntur, ita pessime concipiuntur. Legimus ergo, *petit is fontes.* Quorũ, inquit, custos elatus est, qui ægrotorum effrenos impetus coercebat, eorum alij, tanquam libertatẽ nacti post servitutem, saxa frigida amplectuntur: alius petit fontes. tantus in visceribus, tam in illis quam in hoc æstuat ardor.

370. Omenta pingues viscerum obtendunt sinus.] Ineptissime. Qui scit quid sit omentum, nunquam hoc concedet. Repone veterem scripturam, *visceri.* Sane omentum obtendit visceribus sinuosam & rugosam pinguedinem suam.

472. Sensere terræ Zedacum feroces:] Nullus est labor divinare, *Sensere terræ te Dacum feroces.* Δᾶκος & δάκος dicebant. οἱ δᾶκες, δᾶες, δᾶαι, δάκοι. tot modis dicebantur.

600. Non tot caducas educat frondes Eryx,] Τὸ *Eryx*, correctorum est. Veteres habent, *echa.* l. *Oeta.* traiectione igitur restitue,

Non tot caducas Oeta frondes educat.

602. Quum examen alto nectitur densum globo:] Βοτρυδὸν Homero. Virgilio, *Vva.*

649. Et mecum Erynnes &c.] Analogia postulat *Erinnys*, Ἐρινῦς.

833. Non expedit concutere felicem statum.] Τὸ κακὸν εὖ κείμενον ἀ χινητέον.

881. Gratare matri liberis aucta domo.] Non est sanus locus. An legendum?

Gratare matri liberis aucta modo.

IN TROADAS.

Falso Troada vocant hanc fabulam, quum Poëta Troadas inscripserit, exemplo Euripidis. Et chorus est Troadum. Ineptum aliter putare.

46. *Æacidæ armis*:] Seneca ſcripſit, *Æacidis armis*. Metaplaſmus Latinus, *Euripidis, Euclidis, Oreſtis, Æacidis*; pro *Euripidæ, Euclidæ, Oreſtæ, Æacidæ*.

50. *Enſis ſenili tinctus e iugulo redit*.] Quare hæc lectio ſuſpecta eſſe debeat, cauſſa non eſt. Neque enim hoc vult, parum aut multum gladium maduiſſe ſanguine, ſed impreſſum iugulo & e iugulo eductũ fuiſſe, Priamũ iugulatũ. Et nihil aliud loquitur. Sequentia adteſtantur.

53. *-& quondam ſacrum Regni iacentis*.] Interfectus enim ad ipſum ſacrum, ſive ſacrarium, id eſt, aram τῆς ἑρκείας, ἤτοι τοῦ ἑρκείου Διός. Infra: *magnoque Iovi victima cæſus*. nam tantundem eſt. Ad quam inaugurandi reges auſpicabantur. vt in Agamemnone,

Hoc eſt vetuſtum Pelopeæ limen domus;
Hinc auſpicari regium capiti decus
Mos eſt Pelaſgis.-

In limine ait auſpicari. Quia ibi Ζεὺς ἕρκειος, aut Ἑρκία. Si ergo hinc auſpicabantur, non obſcurum quare vocet *ſacrum regni*. Nihil verius.

80. *Miſeramq; leva regina manũ*.] Πίτυλον vocat hac in re Euripides. Infra, *Vacet ad crebri verbera plãctus Furibũda manu*.

100. *Coma demiſſo eſt libera nodo*;] Nullus nodus poteſt dici demiſſus. ſed Seneca ſcripſit, *demiſſa*. & hæc eſt lectio meliorum mss.

193. *-non parvo luet Iras Achillis Græcia*.] Repone, *luit*. Notum, Μῆνιν ἄειδε θεά. & quam magno illa Græcis conſtiterit. Hoc vult. Sequitur, *At magno luet*. nempe niſi mactetur Polyxena. Caveant iterum experiri Achillis iram. Interpunge igitur, & ita totum locum lege, peſſime vulgo conceptum;

-non parvo luit
Iras Achillis Græcia: at magno luet.
Deſponſa noſtris cineribus Polyxena
Pyrrhi m. m. e. t. r.

202. *Triton ab alto cecinit Hymenæon choro*.] Altum chorũ, id eſt profundum. Intelligit Nereidum, materterarum Achillis. Ab illarum cantibus & choreis ceciniſſe & ἀντιφωνῆσαι Tritona vult.

252. Ætatis

252. *Ætatis alios fervor hic primæ rapit.* Hæc a Pyrrho dicuntur. *Spiritus quondam truces*; hæc ab Agamemnone.

PYR. *Ætatis alios fervor hic primæ rapit,*
Pyrrhum paternæ. AG. *Spiritus q̄. t.*

434. *Soliſne retro pervium eſt Danaïs iter.*] Vt hæc vulgo diſtinguuntur, nemo intelligit. Perſonarum vices turbatæ. Ita diſtinguo,

SE. *Soliſne retro pervium e. D. i?*
Certe æqua m. e. AN. *Turbat atque agitat Phrygas.*
Communis i. t.

475. *-ſed mei fati memor,*] Sũ ſcilicet. pone τελείαν σιγμήν.

624. *Reliquit animus.*] Malim *deliquit.* λιποθυμίαν enim deſignat.

730. *Hoc fuit illo victore capi.*] Ineptiſſima, aut nulla ſententia. Seneca ſcripſit, *Profuit illo victore capi.* Infra, *Profuit multis capi.*

745. *Sed nempe tractus ipſe* &c.] Qui ita conceperant, mentem Senecæ non ceperant. Vide quam differunt,

-ſpiritus genitor facit?
Sed nempe tractus. ipſe poſt Troiam pater
Poſuiſſet animos, magna quos frangunt mala.

Ita ſane. Hector qui non eſt in vivis, quem curru Achilles traxit, ille dat ſpiritus puero? Quod præſidium a mortuo? Sed & ipſe Hector, ſi Troiæ ſuperfuiſſet, poſuiſſet ſpiritus generoſos propter ingentia mala, quæ & ſuperanimos domare ſolent.

766. *-fletus ærumnas levat.*] Succurrunt ex Euripidis bos quoſque Oenomao,

Ἀλλ' ἔστι γὰρ δὴ καί τι κακῖσιν ἡδονὴ
Θνητοῖς ὀδυρμοὶ, δακρύων τ' ἐπιῤῥοαί.
Ἀλγηδόνας γὰρ ταῦτα κουφίζει φρενῶν,
Καὶ καρδίας ἔλυσε τὰς ἄγαν πόνους.

778. *-nec ſtato luſtri die*] Aut ſequenti verſu legendum *feſti* aut *ludi*, ne inſuavis repetitio male reſponſet. Πενταετηρίδα πανήγυριν quandam deſignat, qualem omnes gentes Græcæ & Aſiaticæ habeant. In eiuſmodi pentaeteridibus ludi equeſtres fiebant a iunioribus & pueris, vt Panathenaicis in Attica. Vide Suidam Παραθλώσια, & alios.

792. -&

792. *- liberos Troas vide.*] Ad animum Senecæ melius erat, *vise Troas liberos.* Ita maluissem, si auctor fuissem Tragœdiæ.

845. *Nunquid Aiacis Salamina veri?*] Sine dubio scribendum, *veram.* Manilius,

Vera Syracusis Salamis non merget Athenas.

Lucanus,

Tresque petunt veram credi Salamina carinæ.

Sed quare Salamin dicta vera? Quæratur igitur. Vide Notas in v. Manilij. Deest vero hic saltem versus vnus, aut duo. Aliter transitus nominativi ad accusativum non cohæret. Tale aliquid,

Quove iactata pelago feremur
Exsules? ad quæ loca? quas ad vrbes?
Nunquid Aiacis Salamina veram?

998. *Dumque ista venient,* &c.] Neque hunc neque sequentem intelligo. Et antecedentes parum cohærent. Sed qui ista alieno loco posuerant, non intelligebant quantum tenebrarum ex luculento loco conciverint. Infra suis sedibus hi versus restituentur. Interea ita Seneca hæc continuabat,

Duc duc, Vlysse, nil moror, dominum sequor.
Sed incitato Pyrrhus accurrit gradu.

1009. *Meæ precabor,*] Post hunc versum conijciendi erant quinque versus, quos alieno loco positos iudicavimus.

- quid precer vobis? precor
His digna sacris æquora. hoc classi accidat
Toti Pelasgæ, ratibus hoc mille accidat,
Meæ precabor, quum vehar, quidquid rati,
Et bella, & ignes, & meæ & Priami mala.
Me mea, sequantur fata: non pelago quies
Tranquilla veniat, sæviat ventis mare.
Dumque ista venient, interim hæc pœna in lucro est.
Sortem occupavi, præmium eripui mihi.

Has imprecationes post illum vltimum versiculum adijciendas esse, tenor sententiæ docet, & claritas verborum reddita. Est locus luculentissimus. Tale illud,

Littoris

Littora littoribus contraria, fluctibus vndas
Imprecor.

Ibid. *interim hæc pœna in loco eſt.*] Ineptiſſime. Nos ſcimus ab auctore ſcriptum, *in lucro eſt.* Quod iam ſupplicia ante omnes patimur, hoc deputamus in lucro. nobis hoc novum non eſt, qui iterũ miſeri eſſe non poſſumus.

Sortem occupavi, præmium eripuit mihi.] Legendum, *eripui.* Ab athletis tranſlatum, qui ſæpenumero extra ſortem victori ſecuro præmium eripiebant. quod ἐξωθεῖν τὸν ἀντίπαλον dicebatur. De pugna extra ſortem M. Seneca: *Tertius ſine ſorte pugnaſti, & vtrumque viciſti.* De erepto præmio Pauſanias: ὡς γὰρ δὴ πρὸς τὸν καταλειπόμενον ἐπὶ τῷ ἀνταγωνιςῶν ἐμάχεθ ὑπὲρ τοῦ κοτίνου, ὁ μὲν προέλαβεν, ὅτις δὴ ὁ ἀνταγωνιζόμενος, ἢ φῖς ποσὶν Ἀρραχίωνα εἶχεν ἐξωκώς &c. Vnde ἀνέξως pro ἀνίκητος in veteri Inſcriptione Romana. Nemo miſerijs me vincere poteſt. ego in hac re palmarium omnibus præripui. Qui aliquo in his literis iudicio ſunt, ita à Seneca hunc locum relictum non negabunt.

1028. Qui ſecans fluctum rate ſingulari] μονόκωπος ἀνήρ, Euripides Helena.

1043. Solvet hunc quæſtum, &c.] Neque hoc ſatis eleganter. Repone ex veteribus, *ſolvet hunc cœtum.* Hanc turbam ſparget tempeſtas huc illuc, & conſequenter lachrimas noſtras.

1077. -undique effuſa ducum] *Affuſa*, libri.

1164. -abduxit ſtatim,] Quid hic verbum alieno ſenſu? Emenda, *obduxit.* Obducere, eſt vno hauſtu ebibere.

IN MEDEAM.

Scena Corinthi. Ideo chorus civium Corinthiorum.

Verſ. 106. *-prendito virginem*
Nunc primum ſoceris ſponte volentibus.] Malo, *ſponſe, volentibus.* Hic & ſuperiore verſu quid ſit *prendere*, ſcit qui non ignorat quid apud Poëtas μαστῶν δραγμός.

152. Patiente & æquo motus animo pertulit.] Omnino legendum, *mutus.* Nam illud confirmat, *Profeſſa perdunt odia vindictæ locum.*

195. Æquum

195. *Æquum atque iniquum regis imperium feras.*] Δοῦλε θεσποτῶν ἄκουε· ἦ δίκαια κἀ δίκα, Æschylus Prometheo.

298. *Clarus priusquam Phœbus attollat diem,)* Ab Euripide, Ἐι τ' ἦ πιθοῦ λαμπτὰς ὄψεται θεὸς Θανῆ.

311. *Nondum Pleiades, Hyadas poterant vitare rates.*] Pro *Pleiades, hiberne*, aut epitheton navium deest. Locus suspectus, designandus asteriſco.

455. *Per quas revexi nobiles regum manus,*] Immo, *nobilem regum manum.* Argonautas scilicet.

—ingratũ caput! Revolvat animus &c.] Ex Ennio in Medea,

Non memoro quod draconis ſ. vi ſopivi impetum,
Non quod viros domavi & ſegetis armatæ manus.

Quæ fusius Euripides, vnde acceperat.

477. *Alienaque ſequens regna, deſerui mea.*] Subaudiendum τὸ, *quod.* Quod sæpe fecit Manilius, † antiquior Seneca. Vide Notas in Manilium. Revolvat, inquit, animus igneos tauri halitus, & alia beneficia. Et denique quod regnum meum deserens alieno me commisi. Ita, *quod, cui, vt,* & similia supprimebantur, ita tamen vt propter vsum nemini obscura esset locutio.

† Contra dissert G. Gevartius.

486. *Ornamus auro nemora.*] Quomodo hæc cohærent cum superioribus? Error conimissus in versiculo antecedente. In veteribus enim libris omnibus legitur, *Quasque referta*, non, *Referta quasque.* Sed τὸ *quasque* potest esse *quas quia*, potest etiam *quas quod*, vt sententia postulat, quam pulcherrimam ita effeceris,

Quas quod referta vix domus gazas capit,
Ornamus auro nemora. ----

Ex superflua gaza & auro, quod domibus plenis capi nõ potest, ornari nemora dicit.

489. *- redde fugienti ſua.*] Lege Romana, quod culpa Iasonis divortium intervenerat, non Medeæ.

494. *hoc ſuades mihi? Præſtas C.* &c.] Male distinguuntur. Coniungo,

- hoc ſuades mihi,
Præſtas Creuſæ; pellicem inviſam amovens.

496. *Medea amores obicis?*] Ἐμφατικώτερον veteres, *Medea amores obicit?*

109. Re-

509. *Regina natis*, &c.] Male hæc Iaſoni attribuuntur, etiam in mss. aliquot Palatinis. Recte in ‡ antiquioribus editionibus continuatur ſub perſona Medeæ. Sed neque illa penitus à malis interpunctionibus ſana. Ita igitur impotens animus abiurat, ‡ Aldi an. 1517.

Meis Creuſa liberis fratres dabit
Regina gnatis exſulum, afflictis potens?
Non veniat vnquam.

Quaſi dicat, liberi matris exſulis ſervient reginæ? afflicti beatæ? In Oetæo,

Iole meis captiva germanos dabit
Natis, Ioviſque fiet è famula nurus?

Sed contrarium. Nam liberi Medeæ è liberis famuli, iſtius è famula matre liberi. Quis hanc lectionem audet improbare? Immo inepta erat vulgaris. Quid? nonne eadem dixit,

Phœbi nepotes Siſyphi nepotibus?

Quare non hoc quoque attribuitur perſonæ Iaſonis? Sine hoc, nec illud quoque.

515. *Quid facere poſsim, loquere* MED. *pro me? vel ſcelus.* IAS. *Hinc rex & illinc.* MED. *eſt & his maior metus, Medea: nos confligere certemus; ſine, Sit pretium Iaſon.*] In omnibus his decem tragœdijs non eſt locus contaminatior, intricatior, obſcurior, quem fruſtra, qui ita, vt hodie legitur, poſtulet ſe intelligere. Totum vitium eſt in interpunctionibus. quas ita reſtitue,

IAS. *Quid facere poſſim, eloquere. pro me vel ſcelus.*
Hinc rex & illinc. eſt & his maior metus,
Medea. MED. *nos conligere, certemus, ſine,*
Sit pretium Iaſon.

Primum rogat Iaſonem vt ſibi indulgeat eam moram quam iam conceſſit ſupplici Creon. Iaſon negat ſe poſſe facere. Quo minus id poſſit, allegat omnia quæ contra illam & pro ſe faciunt. Primum ſcelus, hoc eſt ſuſpicio ſceleris, à quo nunquam eam abſtinere poſſe certum eſt. Deinde duo potentes reges imminentes, Acaſtus à Theſſalis, à Corinthijs Creon, & his omnibus alia magis metuenda quæ dicere compendi facit. Illa; hoc metuis Iaſon?

ſon? quiettis eſto; hoc metu te libero: concede hanc moram, in qua tantiſper colligere poſſim me, vt certemus ego & illi reges. Iaſon in medio poſitus, pro quo certabitur, erit pretium victoriæ. Qui aliquo iudicio ſunt, hanc veram huius loci ſententiam eſſe dicent.

Pro me vel ſcelus] Pro me facit ſcelus in te ſuſpectum, metus ſceleris.

516. *– eſt & his maior metus Medea.*] Et Medea, quam magis quam ipſos reges timeo, quæ ſemper rebus ſuſpecta, me quoque metuendum illis faciet. Ita poteſt intelligi. Sed ſine dubio *Medea* eſt vocandi caſu. Et multa alia, ô Medea, quæ pluſquam reges timeo, quæcumque illa ſint.

517. *nos confligere.*] Hic interponenda perſona Medeæ: legendum vero vna litera minus, *conligere.* Permitte me conligere vires & animum, da ſpatium conligendi me, vt certemus reges & ego. Faciam ne te moræ conceſſæ pœniteat. Quibus illa congruunt, *His adice Colchos*, &c.

518. *Sit pretium Iaſon.*] Vt in medio poſitus, & pro quo ſuſceptum certamen. Ovidius,

Quum pretium pugnæ toto nitidiſſima ſaltu
Expetitur coniux.

661. *Fulmine & ponto moriens Oileus.*] Non *Oileus*, ſed *Oilei filius.* Sic Virgilius, *Pollucis habenis.* immo, *Caſtoris.* Alia ſimilia apud Poëtas. *Dione*, quoties pro Venere?

775. *Vectoris iſtic perfidi ſanguis ineſt, Quem Neſſus exſpirans dedit.*] Lege, *ſanies ineſt, Quam Neſſus e. d.*

980. *– huc fortis armigeris cohors,*] Mallem, *armigerûm.*

999. *– iuſta iam functis habent,*] Quid eſt, *habent iuſta functis?* nugæ. Scribe, *iuſta iam funeris*, totidem ductibus literarum. Aut, *iuſta funebria.* Neque aliter vocantur.

1014. IAS. *Iam perage cœptum facinus, haud ultra precor;*
Moramque ſaltem ſupplicijs dono meis.
MED. *Perfruere lento ſcelere, ne propera dolor.*
Meus dies eſt:] Quis Oedipus hæc interpretabitur? Primum male interrupta ſunt hæc: deinde depravata. Legendum enim ſecundo verſu, *ſupplici dona meis.* Vide igitur quanta lux affulſit.

Scruta-

Scrutabor enſe viſcera, & ferro extraham.
Iam perage cœptum facinus. haud vltra, precor,
Moramque ſaltem ſupplici dona meis.
Perfuere lento ſcelere, ne propera, dolor,
Meus dies eſt.-

Per omnia hæc optat lentum ſupplicium ſuis. O dolor, perage facinus haud vltra, ſed intra fines & modum, quantum ſat explendæ vindictæ.

IN AGAMEMNONEM.

Scena Argis, vel Mycenis; vtrobi nihil refert; vt in Thyeſte notavimus. Duo chori Argivarum & Troadum. quod minus ab alijs animadverſum.

Verſ. 28. *Nec hactenus fortuna maculavit patrem;*] Ex ſequentibus conſtat legendum, *cortina*, non *fortuna*. Nam quæ iuſſit patrem devorare natos, eadem iuſſit vt pater cum filia coiret. Infra [v. 38.] *ſortis inceſtæ*, id eſt, oraculi, quod ſtuprum iuſſit. Et in hac eadem tragœdia [v. 294.] Ægiſthus, *Auctore Phœbo gignor.* Quomodo auctore oraculo Thyeſtes epulatus ſit liberos, nuſquam lego: quomodo eodem oraculo Thyſtes cum filia concubuerit, exſtant veſtigia apud Hyginum Fabula 87. Omnnio nobis conſtat, *cortina*, non *fortuna* ſcripſiſſe Senecam, quum manifeſto Thyeſtes per eundem cauſum imperatus epulationem filiorum, per quem etiam poſtea iuſſus inceſtus fuit. Atqui per cortinam. Ergo & epulatio filiorum per cortinam.

151. *Quod meruit, auget;*] Repone ex fide mss. *Quod metuit, a.*

202. *-commori cum quo velis.*] Ἐλλωίζει. συνθανεῖν ᾧ ἄν θέλοις. Id eſt, συνθανεῖν αὐτῷ, ὅν ἄν θέλοις θανεῖν.

566. *Hinc ſcelere Lemnon nobilem, hinc Chalcida.*] Aſpiratio hic eſt vicem poſitionis, vt ſæpe apud Prudentium. Nam perperam quidam codices habent *Chalcedona.* quaſi Chalcedon aut Aulis vicinæ ſint. Sic in Octavia, *Triſtes Philippi, hauſit & Siculum mare.*

577. *Postquam litatum est,*] Notabis morem vetustissimum. Iratum pelagus expiari sive lustrari solitum habes in historia Ionæ. Alij caput radebant, vt apud Petroniũ, vbi etiam verberibus aliquorum, tutela navis placatur.

NOTA de Senẽca.

605. *Solus contemtor levium deorum* &c.] Virgilij & Ovidij tam in operibus Philosophicis quam in istis Tragœdijs & studiosum & imitatorem semper se prodit. Hic locus plane est ex illo,

-strepitumque Acherontis avari
Subiecit pedibus.

Quam Epicuream sententiam Virgilius a magistro suo Scirone didicerat. Epicuri autem & Metrodori adeo studiosus fuit Seneca, vt nesciam quare Stoicum quidam illum malint quam Epicureum: quod eius Epistolæ palam clamant. Itaque *levium deorum*, ex Epicureis hausit.

689. *Pectore rauco concita buxum Ferit*,&c.] Buxum ferire est canere? quis crederet, nisi qui veteris codicis Lipsiani lectionem repudiaverit, *Pectora rauco concita buxo Ferit*. Ferit pinu pectora incita rauca tibia.

712. *Stetere vittæ*,] Contrarium iam dixerat:

Sed cur sacratas diripis capiti infulas?

An dicemus reposuisse? an μνημονικὸν σφάλμα?

IN HERCVLEM OETÆVM.

In hac tragœdia duo chori, alter Oechalidum virginum, alter Ætolarum mulierum. Iole & chorus Oechalidum virginum, sunt προτατικὰ πρόσωπα. Scena Trachine, vt apud Sophoclem.

Vers. 36. *nam quis invadet mala?*] Nisi solus Hercules scilicet ille invadat omnem pestem primus, non alius hanc laudem occupet, aut præripiat. Sequentia interpretantur. Nemo potest hanc laudem invadere præter Herculem, qui solus Iunonis odio dignus. Quare de tam eleganti loco dubitent quidam, caussam non dispicio.

80. Me ſenſit Vrſæ frigidum Scythicæ genus.] Repone, *Scythiæ*, vt quidam codices habent. Frigidum genus Scythiæ ſubditum Vrſæ. Sic infra, *Vtrumque Phœbi litus & Scythiæ genus.* [v. 1700.]

81. vna iam tellus erit.] Certe ſi Pelorus tangat Italicum latus; vna tellus erit. Quid igitur novi miratur? Atqui hoc volebat; Iungatur Siculum latus Italico: diſiungam. Si dixiſſet; vna iam tellus ſit, præſtitiſſet quod vult. Sed ego adhuc quæro huic loco interpretem. Pro illo verbo; *erit*, aliud ſcripſerat Seneca.

102. -ara Cenæi Iovis.] Quænam ara poteſt attollere templum? An templa ſunt in aris? Ego puto ita legendum:

Qua templa tollens acra Cenæi Iovis
Auſtro timendum ſpectat Euboicum mare.

Nam vocatur acra Cenæa, vt acron Cenæon. An non eodem modo dicta *acra Iapygia* Plinio?

103. Aſtro timendũ] Ineptiſſime. Recte alij *Auſtro*. flante Auſtro. Nam nullum aſtrũ poteſt intelligi κατ' ἐξοχὴν præter Caniculam, idque cum delectu.

107. Quiſquis ſub pedibus fata rapacia, &c.] Ad verbum ex Virgilio, cuius ſtudioſiſſimus fuit Seneca:

-ſtrepitumque Acherontis avari
Subiecit pedibus.-

123. -heu locus Et ſilvis dabitur;] Docti viderint quomodo hæc legenda ſint, ſi non ita vt putamus nos:

Stamus, nec patriæ mœnibus heu locus,
At ſilvis dabitur.

Quæ coniectura ex ſequentibus mirifice confirmatur. Nos ſtamus, patriæ mœnia non ſtant, quibus locus non dabitur; ſed ſilveſcet ille locus.

160. Vicino Nabathæ vulnera dirigit Parthus,] Itane Parthus vicinus Medis & Hyrcanis erit vicinus Nabathæis Arabibus; quorum vrbs Petra? nugæ. Et male intelligit locum Ovidij:

Eurus in Auroram Nabathæaque regna receſſit.

Nam reſpectu Italiæ Nabathæi ſunt Orientales. Non ſunt audiendi qui excuſant.

168. *Supra Theſſalicos conſtitit aggeres,*] Subaudiendum *το qui*, vt alibi notavimus.

190. *Theſſala Siren:*] Quare Theſſala? Cauſam quæro.

227. *Fugiat vultus fortuna prior* &c.] Importuna interpunctio totam ſententiam perturbavit vſque ad ea, *qui tulit*, pro quo *pertulit* legendum. Ità locus luce clarior. *Fugiat vultus fortuna prior.* Cave præ te feras eam fuiſſe quæ antea. *Fugiat vultus tuos fortuna prior.* Diſſimula toto vultu & geſtu fortunam priorem.

262. *hoc ſpecu immenſo exeat.*] Repone, *hoc ſinu*, ex omnibus ſcriptis. id eſt, ſinuoſus ſerpens. Vel, ſi mavis, intellige ſinus terræ. quod ex ſequentibus confirmatur,

Quid excutis telluris extrema ſinus?

280. *Non flamma* &c.] Merito hæc lectorem remorantur, ſed peſſime concipiuntur. Vna τελεία σιγμὴ totum negotium tranſiget, & miram ſententiam reddet:

Non. flamma curſus. -Non. immo, potius.

286. *-quicquid eſt victum tibi,*] Longe melius veteres,

-quicquid invictum eſt tibi.

297. *Præclara totis gentibus,*] *Totas gentes* nove dixit, pro *omnibus*. Contra *Omne* pro *toto* vſurpabant. Cæſar, *Omnis Gallia*, πᾶσα Γαλατία, id eſt, ὅλη.

299. *quo nimis quiſquis deos Orabat ullos.*] Et hæc quis interpretabitur? Omnes fere mss. habent, *que*. Lipſianus *quicquam*, pro *quiſquis*. Quis dubitabit hanc eſſe veram lectionem? Quid veram? immo elegantiſſimam:

Thalamoſque noſtros invido fato nurus
Optabat omnis, qua nimis quicquam deos
Orabat ullos. -

Thalamos invido fato τοὺς ἐπιφθόνους γάμους. *Nimis deos orare*, eſt Græcorum τὸ κρεῖττον εὐχῆς. Quæcumque immodica vota diis concipiebat, nihil magis optabat quam nuptias noſtras. Hoc votorum omnium immoderatorum meta.

402. *-ſub hoc mundo*] *Mundus* pro *cœlo*, notatum in v. in Manilium. Ignoratio huius leviculæ rei graves errores parit.

416. *Levis*

416. *Levis eſt,*] Ἀλλοπρόσαλλος. *Multivolus,* Catullo. Multas amans, & priſtinam gratiam novo amore mutans. Infra ad eam mentem:

- & coniux levis
Aliam parenti dederit altiſono nurum.

464. *Nihilque leges ad meos cantus tenent.*] Quis te intelligit, o Tragice, ſi ita ſcripſiſti? Nos ſcimus, te ita ſcriptum reliquiſſe,

Nihilque leges ac meos cantus tenet.

481. *interim ſcelus eſt fides.*] *Tò interim* in ea ſignificatione raro leges. Infra eodem modo vſurpat, *interim pœna eſt mori.* Id eſt, *hactenus.*

482. *nequis arcana occupet;*] Scribe *aucupet.* Plautus:

- nunquis noſtris auceps verbis?

531. *Hoc nulla lux aſpiciat* &c.] Ad verbum a Sophocle:

Μηδ' ὄψεταί νιν μήτε φέγγος ἡλίου,
Μήθ' ἑρκος ἱερὸν, μήτ' ἐφέδριον στέλας.

Sed hic a Neſſo hæc præcipiuntur Deianiræ: apud Sophoclem Deianira præcipit Lichæ.

546. *- quod tuæ nondum manus Miſere in aliquem-*] Ἀβλῆτα ὄϊσον, ἀβλῆτα ἰὸν, Poëtæ.

657. *Aurea miſcet pocula ſanguis.*] A Poëtis Græcis hæc locutio: αἷμα κεράννυται σκύφον.

812. *hac manu, inquit, hac ferar (O fata) victus.*] Hæc eſt lectio libri Lipſiani, quam ſequimur. Quis improbare audeat?

884. *Erroris iſtuc omne quodcumque eſt nefas.*] Clarius,

Erroris eſt hoc omne quodcumque eſt nefas.

895. *Quæcumque natum ſepelit, hæc vixit diu.*] Ridiculum. Scribe:

Quamcumque natus ſepelit, hæc vixit diu.

Sententia aperta.

897. *-ſcelere, te miſera, arguis.*] Barbariſmus. Libri veteres omnes, *ſceleris,* non, *ſcelere.* Sed mutavit locum. Reſtitue:

Si te ipſa damnas, miſera, ſceleris te arguis.

929. *- interim pœna eſt mori.*] Eatenus eſt mori, quatenus cupiens mori vetatur: tunc mors quæ conceſſa

beneficij loco est, cedit in pœnam. Supra de hac voce, *interim*, monuimus. Nam vulgo non capitur. Adnotent studiosi.

930. *Sed sæpe donum* &c.] Dele personam Nutricis: nã à Deianira continuantur, Sententia plana est & elegans, ex ijs quæ supra exposuimus. Pœna est mors, quæ tamen sæpe in partem veniæ conceditur. Notum Tiberij, mortem reo negantis, *Nondum mecum in gratiam redijt.* Totus hic locus male vulgo, vt mihi videtur, concipitur. Sed veteres editiones hæc continuant sub persona Deianiræ.

1045. *Et silva residens venit:*] Ineptissime. Scribo, *Et silvas resides vehit. Nemus vehit resides silvas*, vt, *flumen liquidis amne currit.*

1213. *Si tua caussa est miseranda necis,*] Suspicor scribendum, *Si caussa tuæ est miseranda necis.* Nam prorsus ineptа est vulgata lectio.

1274. *- summe protector poli,*] Etiamsi non accederet veterum codicum auctoritas, tamen proclive est divinare, *pro rector*, legendum. Sed *summe pro rector*, nunquam recte posse dici concedemus. An legendum, *summa?* Nihil me vidit flentem. Restat, vt terra summa & vltima omnium hoc videat.

1361. *- qua plaga inferni poli,*] Repone ex scriptis, *igniferi poli.* Egregius locus veteris Astrologiæ, quæ putabat semper diem stare & nunquam currere sub ardenti plaga. Ausonius:

Semper vbi æterna vertigine clara nitet lux.

Et Seneca infra:

Et omnis ardens ora quam torret dies.

Scilicet perpetuus. Alioquin vbicunque est dies, ibi essent torridæ plagæ.

1488. *Est clara captas inter incultas, genus Reg.*] *Tò incultas* ferit aures criticas, & merito. Sed doctissimi viri ea commenti sunt, quæ nunquam in mentem Poetæ venerant. Quis non videt ductus literarum retinere vestigia veri, & *Oechalias* legendum? Satis veritas seipsam tuetur.

1489. *Regnumque referens,*] Repone, *Regemque*; longe melius

melius quam doctissimorum commenta. *Genus regemque, ἐν διὰ δυοῖν, regium genus.*

1523. Quique sub plaustro patiuntur Vrsæ ;] Τὸ *patiuntur* repetitum ex antecedente. Quod quem locum habere hic possit, viderit Critice. Nos scimus auctorem scripsisse, *pariuntur.*

1584. Habeat : nec ulla] Nihil mutandum. Nam quinque tempora hic sunt, quot requirit sedes versus. Sic Horatius, *Nec Martiales hœdilia lupos.* Est ἰσοχρονία.

1591. Semper intensum tenuisse ferrum.] Et hæc quoque lectio immerito doctis suspecta. Quid? *intendere alicui* & *intentare ferrũ* negatis Latine dici ? Quod *intensum* & *intentum* ἀδιαφόρως vsurparent, auctores veteres Grammatici.

1610. -Esse iam flammas nihil
Ostendit ille, qui sub occasu Hercules
Virtute vinci docuit &c.] Τὸ *ille* est Hercules. Quare statim importune iteratur. Lege, *Herculis.* Pusilla menda non parvi momenti.

1613. Quod vnum in orbe venerat &c.] Non omnibus hæc obvia. *Venire in orbe* hic auctor vsurpat pro eo quod Græci ὁμόσε χωρεῖν, *cominus pugnare, manus conserere.* Supra, *In orbe mecum veniat.* Hoc genus loquendi nusquam alibi legi, quod equidem meminerim. Vnum, inquit, malum restabat, quod cum Hercule hactenus congressum nunquam fuerat, nempe ignis, quod fuit supremum athlorum Herculis. Quanquam hæc locutio rara, tamen non obscurum vnde manarit. Metaphora enim à duobus pugilibus qui se circumscribunt orbe aut lineis, quas transire non liceat. Huc pertinet proverbium, ὑπὲρ τὰ σχίμματα. Et Tertulliani, *Præducere lineas ad dimicandum.*

1619. - flexit hinc pinum ferox A. m. & n. d. m. vocat:] Hæc prætereuntur tanquam obvia, quibus ne Cimmeriæ quidem tenebræ obscuriores. Quid moramur lectorem? An non ita scripsit Poëta?

-flexit hinc pinus ferox
Astris minantem nube de media comam.

Id est, flexit & inclinavit verticem cadendo.

1624. Vltraque totos porrigit ramos nemus.] Melius, *Vltraque totum.*

1980. *Credo, triumphis,*] Inepte. Scribe, *Credo, triumphas.* Antecedentia confirmant.

IN OCTAVIAM.

Vers. 231. *-Vidimus cœlo iubar Ardens, cometam* &c.] Cometes hic accidit Nerone IIII. Cor. Cosso Coss. anno Christi vulgari LX. Ex his plane apparet auctorem tragœdiæ illud sidus vidisse. vt taceam stylum, non Hadriani tempore, vt somniant Critici, sed eundem cum Senecæ. v. 234. *frigido Arctoo*, pro *frigore Arctoo*, satis nove dixit.

241. *- templis expulit superos suis;*] De eodem in Thyeste,

-nec mea excluso Iove
Ornantur aræ. --

248. *Vtinam suorum facinorum* &c.] Hæc omnia dicunt ex Nutricis persona. Vtinam, vt optas, fulmine petatur, hoc melius exspectare, & fatis cedere, quam vi experiri.

249. *Nero ipse Divo Domitio genitus patre*,] Neque opus erat Neronis nomen repetere, neque Domitius vnquam Divus fuit. Omnes scripti codices quibus vsus est Hieronymus Commelinus, quem hominem instaurandis literis natum lues in Germania abstulit, habebant, *Nero insidivo*: quod proculdubio est pro *insitivo*. Alludit liber Lipsianus, qui habet, *Nero nisi duo*. Nos non dubitamus veram lectionem esse, *Genere insitivo*. Quam enim ineptum est Neronis hic nomen repetere, quum de eo sermo sit, vt nemo dubitet de quo agatur?

382. *inter Corsici rupes maris.*] Vide Epigramma Senecæ ipsius, in Catalectis,

Corsica Phocæo tellus habitata colono,

391. *Qui sese nescit*] Scribe, *Qui si senescit.* Qui mundus si, vt quidam volunt, aliquando interiturus est, nunc vero tempus est quo illud evenire oportet.

581. *Exprimere ius est ferro, quod nequeunt preces.*] Et versus vitiosus & sententia. Scribo, vt scripsit auctor,

Exprimere ius est, facere quod nequeunt preces.

Quid

Quid faciunt preces? Eblandiuntur. Quid ferrum? Exprimit. Vis adhibenda, vbi preces locum non habent.

587. *Ætaſque frangant,*] Peſſime concipiuntur. Scribe,

-merita te Divi patris,
Ætaſque frangat coniugis, probitas, pudor.

795. *Aut ara fulgens*] Mendoſe. Lege, *Aut aere fulgens.*

797. *membra per partes trahunt Diducta laqueis.*] Immo, *Deducta*, καθαιρεθέντα, ex alto depoſita. *Per partes*, μιλεϊσί.

Te quoque lenis ſimili leto Fortuna dedit.] Falſo in vetuſtioribus editionibus, *levir.*

FINIS.

IANI GRVTERI

In

L. ANNÆI SENECÆ

Tragœdias

NOTÆ.

Magnifico Ampliſſimoque

LVDOVICO CVLMANO,

Sereniſſimi Electoris Palatini

FRIDERICI IV.

In Sanctiore Conſilio Propræſidi,

IANVS GRVTERVS.

HAbes heic, Vir ſumme, Senecæ Tragœdias tacito ſtatim voto ipſismet Kalendis Ianuarijs nomini tuo deſtinatas, cùm eo die fortè inter alias de literis eruditas fabulas, haud obſcurè præ te ferres, deſiderare oculos tuos editionem iſto charactere, iſtâ formâ. Neque enim citius vltimam Senecæ elocutus fueras ſyllabam, cùm ego recordari operæ meæ, Scriptori illi haud ſegniter poſitæ. cuius Philoſophica, vt ante decennium iuris feci publici: ita Poetica domi hactenus preſſi, quòd ſub idem tempus longè optimam adornaret editionem optimus Typographorum Moretus. Quam cùm causemini ob molem ſuam grandiorem, haud etiam commodè circumferri inter reciſas Legationum ſarcinas; ecce tibi alteram eius vicariam: tantò quidem proeliviùs ergaſtulo ſuo emancipatam; quòd hæc qualiacunque iam aliquoties per literas ſeriò flagitarint viri harum artium primi, interque eos etiam illud Reipublicæ noſtræ literariæ numen verè tutelare Ioſephus Scaliger. Quibus ſi quid operæ pretium feciſſe putabor, póſtque vberrimam vindemiam virorum optimè

de diſ-

de disciplinis melioribus meritorum, Georgij Fabricij, Iusti Lipsij, Antonij Delrij, Hieronymi Commelini, Francisci Raphelengij, haud omninò pœnitendam sub pampinis adhuc latitantem produxisse racemationem; hoc omne tibi, mi Culmane, libentes meritóque imputabunt. Sin minus; at sic tamen extabunt & tuorum erga me meritorum, & mei in te cultus præcones fidelissimæ: quas tandem tandem personare inauribus orbis Europæi cultioris, intererat conscientiæ meæ. Quippe iam ab aliquot annis adeò me meósque, non gratiâ tantùm ac benevolentiâ, sed dignatione ac beneficentiâ largiter quotidiè excipis, foves, cumulas: vt non tam in te agnoscam affinem indulgentissimum, quàm parentem opt. max. hoc est, vnico magis vnicum. Cui inimitabili affectui tuo, cùm vnâ tantùm ratione gratitudinis aliquid reponere posse videar, si me imparem profitear, non solutioni, sed professioni; mortalium habear oportet impiissimus, nisi hoc, quod mihi in manu est, invadam atque occupem: quod nunc facio. eoque libentiùs, quoniam sic quoque famæ meæ non leviter consulam; cui videlicet quotquot ab auspicatissimi nominis tui splendore accedent scintillæ, totidem etiam glaucoma obijcient sæculi nostri geminæ illi pesti, Livori atque Insciticæ. Nihil heîc dabo auribus tuis, Vir Amplissime, sed nemo sanè ignorat, quâ sis iam per septem amplius lustra erga Illustrissimam domum Palatinam vigilantiâ ac fide; passimque totâ prædicatur Germaniâ, quæ tua in Electoralibus rebus tractandis religio atque integritas, in exequendis industria ac diligentia; quæ in consilijs moderatio & prudentia; quæ in desiderijs hominum excipiendis candor & dexteritas; quæ in omni vitâ cor-

dis

dis ac linguæ concordia; quæ denique, in quo insunt omnia, recta in Deum Pietas. Possem plura, volebam etiam, nisi pudoris quoque, cæteris Virtutibus tuis nihilò inferioris, probè meminissem; scirémque alioquin eam esse tibi indolem, vt, cum Amphiarao, bonus esse malis quàm videri; ideóque omnem rerum honestarum fructum metiaris non famâ, sed conscientiâ. quare abrumpo, animo suppleturus quod omisit stylus. Cui animo vt deinceps quoque faveas, ne petam quidem, eo ipso futurus naturæ tuæ bonitati insignitè iniurius; sed magis vt hunc qualemcunque libellum magnæ gratitudinis exiguum argumentum, aut potiùs specimen, æqui boniqúe facere; ac magis mei in te affectus, quàm sui pretij æstimatione penderet digneris. E regno meo, cui nemo invidet, nemo inhiat; puto Bibliothecam Palatinam, die xx. *Martij* CIↃ IↃ CIV.

IANI

IANI GRVTERI NOTÆ

In

L. ANNÆI SENECÆ HERCVLEM FVRENTEM.

Vers. 2. *semper-alienum Iovem,*] Vnicâ dictione, vt Thebaide vers. 34. *semper-cruente*; & Hippolyto v. 190. *semper-furentes caminos*; &c.

12. *Ferâ comâ hinc exterret Orion Deos* &c.] Sic octo membranæ Bibliothecæ Palatinæ, neque aliter vetus Scholiastes manuscriptus, qui sua inscripsit nescio cui Ioh. Botticellæ. Lipsij codex, *Fera minax hinc terret:* quod ipse verum putabat; aut certè, *Ferro minax hinc.* vtrunque & mihi arridet: sed non ita tamen, vt audeam imitari exemplum eorum, qui vltimum istud receperunt in contextum. nam & comæ Herculis horrorem inesse quo & Iovem terreat, testatur *Epigramma apud Suidam:

*Ταύρου βαθὺν τένοντα, καὶ σιδαρέους
Ἄτλαντος ὤμους, καὶ κόμην Ἡρακλέους·
Σεμνάν θ' ὑπλίαν, καὶ λέοντος ὄμματα,
Μιλησίου γίγαντος, ἣν Ὀλύμπιος
Ζεὺς ἀτρόμητος εἶδεν.*

*Extat Antolog. lib. 1. sub nomine Antipatri.

103. *Vastam rogo flagrante corripiat trabem.*] Alteri cui juniori salivam moveret quod est in uno Pal. *Pastam rogo*; accommodaretque illa Claudiani lib. 1. in Rufinum versu 122. *- ambusto flagrantis ab aggere ripæ,*

Ingen-

Ingentem piceo ſuccendit gurgite pinum

Sed nihil moveo, nihil muto.

117. -heic proſit mihi, Iove eſſe genitum.] Ita ferè m.s. noſtri, id eſt, hoc caſu, hoc tempore. hactenus publicati, *hoc proſit*; quod languidum mihi.

119. - & vt certo exeant Emiſſa nervo tela, librabo manum.] Etiam mei aliquot codd. *manu*. verum non video cur id præferri debeat receptæ lectioni, ſive directura ſit tela Iuno, hærentia adhuc in manu Herculis; ſive iam emiſſa, & in curſu. imò, inquit, librabo primùm quidem Herculis manum, deinde & ipſa tela. Virgilius lib. VI.

Dardana qui Paridis direxti tela manusque
Corpus in Æacidæ.-

137. - aperitque domos. Paſtor gelidâ cana pruinâ &c.] Sic diſtinxi, hortatu aliquot m. s. & ipſius ſententiæ, quæ intricatiſſima eſt, aut veriùs nulla, ſi ſecuti vulgatas editiones admittamus; *aperitque domos Paſtor gelida*. loquitur enim auctor non de *paſtore*, ſed de *labore*; eum omnes agitare curas, omnium aperire domos.

140. Grege dimiſſo pabula carpit.] Ita vno conſenſu totus grex Pall. novem. quocirca excluſi illud *immiſſo* quibuſdam placitum, ſed non etiam ſuſtentatum auctoritate librorum calamo exaratorum. Dicit Seneca, paſtorem grege in paſcua iam dimiſſo, manu ſuâ quoque pabula legiſſe, eidem pecori futura vſui noctu: atle quid factitari ſolitũ oſtẽdit Lõgus Sophiſta in Paſtoralibus. quicõſulatur

161. -Spes & in agris &c.] Pleriſque m. s. & quidem melioribus, hucuſque abeſt pars Chori. ſed & aliqui deſtituuntur verſu illo, *Turbine magno ſpes ſollicita*: adeo vt ſuſpicer tragœdiam hanc aliquando agi ſolitam reciſis verſibus prioribus, aliquando non. cùm omitterentur, tunc locum habuiſſe iſta, *Spes & in agris:* cùm verò admitterentur; Anapæſtos ſic ordinari ſolitos,

Linea piſcem. hæc innocuæ
Quibus eſt vitæ tranquilla quies
Et læta ſuo parvóque domus.
Spes in magnis ſpes ſollicita
Vrbibus errant, trepidique metus.

&ita

& ita quidem conparent in vnis membranis Pall. nullâ literâ variante.

168. *Et congesto pauper in auro.*] Annectunt alij voculam, *est*. sed respuunt eam nostri ad vnum omnes. *Et* notat *etiam*.

171. *Aurâ tumidum Volvit inani*] Cùm ita esset in aliquot libris authenticis, fidenter eieci vetus, *tollit inani*; haud quidem ineptum; sed quo minùs exprimatur Ambitionis natura, auribus lupum tenentis. fluctuum sanè, non solùm *tollere*, sed & *volvere*. & genus istud hominum *officiorum vorticibus exagitari*, disertè tradidit Seneca Epistola LXXXII.

180. *Rota præcipitis vertitur anni.*] Sic maxima pars mss. non *volvitur*, quod non nemini placet; neque admittendum fuit, tum quòd antecederet, *volucrique*, tum etiam quia statim sequeretur, *revolvunt*; vtrumque auribus mirè molestum.

211. *-aliud iussus ad bellum meat.*] Omnes mss. & vett. codd. *exeat*. & ferri queat, eâ pronuntiatione, quâ & occurret infra v. 526. *Eurystheus facili regnet in otio*, &c.

213. *-sequitur apprime statim Infesta Iuno.*] Adhæserim iudicio Cõmelini, retinentis *adprima*; sic enim præter plures, etiam Scholiastes Palatinus, interpretaturque *principaliter*. Adplicarim autem voci *Infesta*. Nullum, inquit, periculum adire iubetur, quin ecce tibi adversariam, & quidem pervicaciſſimam, Iunonem: Iunonem dico, quæ nè infantem quidem odii sui habuit immunem.

222. *Præluſit Hydra.*] Quidã præferunt, *Proluſit*. sed quid? promiscuè vtuntur auctores & hoc & illo modo. Quòd verò præterea quærunt; an non legi queat, *Proluſit ira*; respondeo, minimè. partim quia nulla ira infantibus; partim quòd obstent præcedentia; nec quicquã sequatur curiram hanc præpararet. Prælusionem bellè circumscribit Papinius initio libri VI. Thebaidos. qui videatur.

241. *Qui scæva Lernæ monstra.*] Sic offendi scriptũ apud Scholiasten. vulgati hactenus, *sæva*. nec dubium, quin sæpè iniustè exulet id vocis inscitiâ exscriptorum.

286. *patuere Tempe. pectore* &c.] Posui distinctionem plenam ante verbum *pectore*, volente sententiâ & cohorte mss. nostrorum. comma tantùm interiectum, sensum obnubilat.

292. *-oblitos sui Lucisque pavidos ante te populos age.*] Non video quare alij isthæc accipiant de mortuis, quos Lethes aqua sui fecerit immemores. ego Ditem designari puto, eiusque administros: hos enim per cunctos annorum gradus abscondit ætas, non etiam mortuos. Facit autem *oblitos sui*, quòd præ metu iam non amplius meminissent ferociæ aut virtutis pristinæ.

305. *Si qua te maior tenet Clausum potestas*;] Qui heîc obiter quærunt, num scripserit Poëta, *Cassum*; non vident id verbi requirere perpetuò substantivum, vbi accipitur pro *mortuo*. Diversitas autem lectionis orta ab antiquâ scribendi ratione, *Clusum*.

341. *-Rapta sed trepidâ manu Sceptra obtinentur*] Apposui notam interrogationis; quemadmodum & infra v. 352. *Invidia* &c. vt ista sibi fingat obiici ab adversariis Lycus, quibus statim respondeat.

344. *Strictus tuetur ensis.*] Approbaveram ante decennium Melisso, ceu certâ nixum coniecturâ, *tuetor:* nunc id vix produco.

347. *-ducet è genero inclyto Novitas colorem nostra.*] Opinantur quidã ductam translationem à parmis inglorioforum militum, quæ pingebantur patrato aliquo facinore egregio. Acutè quidem illi; sed nimiùm profectò longè petitum. Imò sumptum est potiùs vel à tinctoribus, vel à pictoribus; vel adeo ab aleiptis.

252. *Invidia fastum ac sermo popularis premit?*] Inclinat animus opinari, scribendum, *factum*; ac referendum ad cædem liberorum Herculis. planè plus in scelere eo eminet crudelitatis quàm arrogantiæ.

355. *-ipsa tristi vestis obtentu caput Velata,*] Sic rescribendum fuit, aut elevanda fides autographis Pall. sex, vnaque Scholiastæ. Haud tamen præfractè damnaverim vulgatum priùs, *tristis vestis obtectu*; quod & servant nostrorum duo.

361. Si

362. *Si æterna ſemper odia mortales agant,*] Non debet ſollicitari vox *agant*; mutarique in *gerant*. Nihil enim priore illâ Latinius, ſive admittamus dictionem *odia* eſſe primi caſus, *mortales* verò quarti (vt volebat Ianus Douſa filius, cùm ante annos octo de hoc loco inter nos garriremus) ſive contrà. nam, ecce Hippolyto v. 541. *ſuccenſas agit Libido mentes*. Oedipode v. 754. *Dominumque canes egêre ſuum*. Horatius Epod. VIII. *acerba fata Romanos agunt*. Valer. Flaccus libro V. Argonaut: *Typhin agit violenta lues*. Noſter etiam ſuprà v. 27. *Vivates aget Violentus iras*. Thyeſte v. 179. *poſt fratris dolos Faſque omne ruptum, queſtibus vanis agis Iras*. Hercule Oetæo v. 737. *Quin ipſa tellus ſpumeos motus agit*.

402. *cruento cecidit in bello pater?*] Et iſthæc animavi interrogatione, iteratumque idem mihi, ſed aliâ notâ, v. 406. *Sed ille*; &c. neque enim propriè ſunt interrogationes.

430. *Sceptroque noſtro*] Mille modis vividius iſtud & mordacius, quàm quod nuperè ſubſtitutum, *Sceptrone noſtro*. ſic enim abigat tantùm; non etiam exprobret. Et verò membranis noſtris omnibus ſtabilitur lectio prior, niſi quòd nonnullæ ſervent, *Sceptro quoque*.

438. *-cœlitum penetret domos?*] Haud frivolum eſt quod eruerunt alij, *ſperat* ſed nonne efficacius fuerit? *ſpirat*. codd. noſtri non abeunt à vulgato, niſi quòd præferant, *penetrat*: nec diſplicet. ſolum enim illud *penetret* hæret apud Interpretẽ. ſed ita, vt ipſius potiùs videri queat quàm auctoris. hæc dico propter Commelinũ, qui editam ſcripturam affirmabat reſtare etiam in Palatinis: in quo falſus fuit.

453. *-terrâ mater erranti edidit.*] Alij edidêre, *terræ mater erranti dedit*. Benè: nec aliter noſtrorum vnus. Sed cùm valde variarent codices, expreſſi quod erat in pleriſque.

455. *Primus ſagittas imbuit*] Quidam verſum hunc ordinè converſo ſequenti poſtponendum putat, hoc modo:

AM. *Quàm gravia parvus tulerit ignoras mala.*
Primus ſagittas imbuit Phœbi draco.
E matris &c.

At Phœbus intra infantiam minimè occidit Pithonem. Deinde, incumbit Amphitruoni probare, commune

hoc Herculi cum alijs Deis,quòd monſtra ſuſtulerit. Fidenter dico: nemo hactenus has aliquot lineas rectè intellexit; intelligent omnes diſtinctione noſtrâ:

LY. *Quàm gravia parvus tulerit ignoras mala.*
AM. *E matris vtero fulmine eiectus puer,*
Mox fulminanti proximus patri ſtetit.

Obiicit Lycus Amphitruoni, nullius Dei infantiam exercitam fuiſſe malis, vt Herculis; cui recenter nato certamen cum anguibus iubatis. reſpondet Amphitruo: itáne verò?quaſi non Bacchus fulmine eiectus vtero matris: quaſi non ipſa Iovis infantia ſpecu trepidè abſcondita,&c. Itaque omninò retinendum eſt, *Non latuit*, pro quo quidam nobis obiecerunt, *Num latuit*.

471. *Mitrâ ferocem*] Lipſij liber heîc præponit perſonam Amphitruonis, vt annectatur ſequentibus, referaturque ad Bacchum. verùm ne id admittamus, præter conſenſum codd. omnium vetat epithetorum diverſitas. quomodò enim tenero Baccho manibusque eius mollibus tribuamus frontem ferocem ? quod iam monuit Commelinus.

477. *Hoc Euryti*] Sic m.s. ſeptem. vnus tantùm *Teutantis*, isque recentior. An erravit Seneca,poſito Euryto pro Theſpio ? ita videtur.

528. - *cæliferam manum :*] Ita noſtri omnes, nullus *teliferam*. nec ſatisfacit argumento. illa, inquit, manus quæ tulit cælum & Deos, nunc occupatur circa naturæ pudenda. Humeris quidem Herculis, fateor, ſedit cælum, ſed & adminiculatæ ſunt manus. quod ſi negemus, profitebitur Chorus infrà v. 1100.

Nunc Herculeis percuſſa ſonent
Pectora palmis mundum ſolitos
Ferre lacertos verba pulſent
Victrice manu.

529. - *colla ferociæ;*] Amplectar coniecturam amici noſtri Simonis Vlrici Piſtoris, *feracia :* & ita adpictum ad oram vnius codicis ſcripti.

538. - *carbaſa tendebant* [Defendi poſſe loco iſto lectionem Propertij lib. III. Eleg. VI.

At tu quae noſtro tendiſti retia lecto;

monebat me amicus Meliſſus.

577. *Deflent Eurydicen Threïciae nurus*,] Aliquid latet monſtri in illo *Threïcix*.quid enim heîc ſibi volunt *nurus, Threïciæ?*

655. *quæ fuit durum pati*,] Ita reſtitui fide m.s. omnium antea erat *quod*, minùs venuſtè.

659. *– irritâ Quæſivit Æthnâ mater*,] Sic noſtri omnes. nec video quomodo heîc locus eſſe queat illi, *erutâ*, quod erat in vno cod.Commentatoris.potiùs *Æthnâ* mutarim in *æthrâ*, vt divinaſſe Simonem Vlricum Piſtoris, prodidi in Suſpicionibus: quod ita ſtatim placuit Iano Douſæ filio, vt exclamaret non eſſe quod hanc vlteriùs lectionem probarem; ſatis ipſam tuente merâ Veritate. quæſitam certè, & terrâ totâ & mari toto, hoc eſt æthrâ, Proſerpinam; teſtatum paſſim Poëtis omnibus.

664. *Ditis inviſi domus*,] Conſului m.s. & reperi in pleriſque aut *immitis*, aut *invicti*: ſed ita vt appareret, priùs ferè fuiſſe *inviti*, vel *invitis*. notum autem quàm ſint figurâ ſimiles literæ *ſ* & *t*.vtique ſcripturâ Longobardicâ.quapropter nihil mutavi. Planè illud *invicti* heic non convenit. *immitis* verò ſpernit à ſe vox *Ditis*, terminationis ſimilis.

671. *– tale non dubiè ſolet Præbere lumen* &c.] In vnico m. s. reperi, *nocte ſic mixtâ ſolet Præbere*. quod aurum mihi viſum eſt præ alterâ lectione; quæ,tametſi pareat in cæteris m. s. tota lutea eſt.

711. *A fonte diſcors manat hinc imo latex*:] Maluerim ferè quod eſt in Delrij ac meorum vno, ſequiturque Interpres vetus: *hinc vno latex*. nam *fons imus* quid heîc ſit,haud equidem percipio.

714. *At hic tumultu*] Immiſcuerunt quidam libris lectionem vnius m. s. *Aſt hinc*: malè. *Hic* enim diſertè opponitur voci *Alter* verſûs 712. tuenturque ipſam noſtri omnes.

742. *Animæque parcit*;] Haud aliter triga noſtrorum, & Scholiaſtes: tantoque confidentiùs admiſi, quòd placeret Lipſio, Delrio, Commelino. Qui tamen, *Ani-*

mo parcit, heîc interpretantur, *non contaminat animum crudelitate*. neſcio an ſatis exprimant vim verborum: parcit enim animo, qui ei moderatur, qui ei non indulget. Ovidius lib. 1. de Ponto Eleg. VI.

Parcendum eſt animo miſerabile vulnus habenti.

Arnobius libro VII. adverſ. Gentes: *Vt parvuli puſiones quò animis parcant, abſtineantque ploratibus, paſſerculos, pupulos, equleos, panes accipiunt, quibus avocare ſe poſſint.* Quem locum iniuriè vexat Colvius Notis in Apuleium lib. VIII. dum modò tentat reſcribere, *quo lacrimis parcant*; modò, *quo animos paſcant.*

744. *Elyſii loca. Iudex futurus, ſanguine* &c.] Interpunctio hæc auribus meis morbus eſt, quin diſtinxerim, quamvis nullo velificante manuſcripto codice,

--vel cœlum petit,
Vel læta felix nemoris Elyſij loca,
Iudex futurus. Sanguine humano &c.

Vult nimirum reges omnes qui comi animo populos ſuos colunt, & ab iis coluntur, fieri à morte iudices Infernales. Quid caperas frontem novitie Critice? tres ibi tantùm, inquis, iudices. Quid ſi negem? Plato ſanè extremo Apologiæ Socratis diſertè ſcribit: Εἰ γάρ τις ἀφικόμενος εἰς ἅδου, ἀπαλλαγεὶς τουτωνὶ τῶν φασκόντων δικαστῶν εἶναι, εὑρήσει τοὺς ὡς ἀληθῶς δικαστὰς, οἵπερ καὶ λέγονται ἐκεῖ δικάζειν, Μίνως τε καὶ Ῥαδάμανθυς καὶ Αἰακὸς καὶ Τριπτόλεμος, καὶ ἄλλοι ὅσοι τῶν ἡμιθέων δίκαιοι ἐγένοντο, &c. Et quid ſi plures poneret ipſe Seneca? ponit profectò Hercule Oetæo, V. 1556.

Non tamen viles eris inter umbras;
Æacumque inter geminosque Cretas
Fata diſcernes. --

Ita enim ibidem legendum, ſuaſu membranarum noſtrarum.

765. *geſtat ſenex.*] Ita vno ore m. s. noſtrorum enneas. abſque quibus, veniſſet in mentem vel *vectat*, vel aliud quid.

767. *- concavæ lucent genæ,*] Hæc eſt conſentiens omnium m. s. lectio; non, *ſqualent genæ*, quod extat in aliquot

retrò

retrò editis. Lux autem iſta a macie extremâ. Nam quòd ſint, qui velint reſpexiſſe Poëtam ad Virgilij : --*ſtant lumina flammâ*; queî potuit? aliud enim oculus, aliud gena, & quidem concava. Commelinus eò accommodat Plauti *agnum curioſum*, tamquam pelluceret ac lucem tranſmitteret. ſed an id admittent Anatomici? Suſpicabar aliquando, *lugent genæ*; vt lividas fuiſſe velit; confirmatumque ibam loco Martialis, vocantis alibi lib. XIV. lanas pullas, *lugentes*. quod vt referebam Meliſſo noſtro, ſubiiciebat ſtatim, planiùs futurum, *livent genæ*.

770. *Repetebat vndas.*] Religio ferè eſt, non acquieſcere lectioni codicis Lipſiani, *Repetebat vmbras*; vtique cùm eam iampridem auctori quaſi redonarint Raphelengius ac Delrius. at enim m. s. noſtri omnes præfractè defendunt, *vndas*. quod tamen non admodum placet, nedum interpretatio Commelini, coacta nimis & narrationi ſubſequæ averſa. Quid igitur? cùm non facilè in voce notiore labantur veterum libri, ſuſpicor aut aliud quid latere ſub illo *vndas*, aut neſcire nos ſatis, quid & quomodo navicularíam ſuam exercuerit Charon. Forſan vult ſtetiſſe in prorâ vndas repetituro ſimilis, imò adeò vndas repetens, quòd animæ minimo momento temporis pro eâ quâ ſunt agilitate cymbam erant repleturæ. ſed an iſtud admittant ſequentia, neſcio. Forſan repetebat illam vocem, id eſt, ſæpius iterabat, *Vndas, Vndas*, ſubaudito, venite ad vndas ô animæ. Faceret huc illud Livij libro XLI. *Vna vox audiebatur, ad mare vocantium. id fortè temerè ab vno clamatum, totis paſſim perſonabat caſtris*. Certè venales caricas Cauno advectas vnicâ dictione *Cauneas* clamaſſe neſcio quẽ, legimus apud Ciceronem lib. II. de Divinatione, alioſque. Sed & cùm aliquem damnari ad ignem vellet populus, vnicâ voce repetiſſe *ignem* innuit Apuleius lib. II. Metamorphoſ. *Sævire vulgus interdum, & facti veri ſimilitudine ad criminis credulitatem impelli, conclamat ignem, requirit ſaxa*. Quemadmodum apud Propertium:

Territa vicinas Teïa clamat aquas.

Vnde etiam Quintilianus Declamatione XII: *Vt arma*

bello, vt aqua incendio inclamari publicè ſolent, &c.

779. *Lapithæq; multo ad bella ſuccenſi mero.*] Noſtri conſenſu excludunt præpoſitionem *ad*, vnuſque vltimam in *bella* literam habet à manu ſecundà, fuitque priùs alia quæ.

783. *Hic ſævus*] Scholiaſtes agnoſcit, *ſcævus.*

786. *Lambunt colubræ:*] Sic tres m. s. & amant ſcriptores illo genere vti quàm maſculino.

790. *Miſſumq; captat aure ſubiectâ ſonum.*] Non damno quod erat in Lipſij codice, *ſubrectâ*; nam & noſtrorum vnus, *ſurrectâ*. ſed enim cùm videatur opponere Poëta *comis ſublatis, aures ſubiectas*; cernamuſque canes aliquos, vt ex longinquo ſonitum perſentiſcunt, auribus & oculis ſubmiſſis eundem quaſi venari, haud auſim eijcere lectionem hactenus receptam.

814. *& nitor Percuſſit oculos lucis ignotæ, bonos*] Ingeniosè quidem, qui ſupponunt *lucis ignotæ bono*. ſed nonne conſtructio nimis coacta? *nitor percuſſit oculos bono lucis ignotæ.* videtur: tantóque magis, quòd reſpectu Cerberi lux potiùs triſtis. Videantur Poetæ de conſternatione equorum Plutonis rapientis Proſerpinam.

840. *Quantus Eleum coit ad Tonantem,*] Cùm m. s. noſtri concorditer ſervent *currit ad*: haud aſperner quod erat in antiquo Colonienſi m. ſ. *ruit ad.* Alij præterea *Quantus* mutarunt in *Qualis*; quos non ſum ſecutus, quòd plures ſtarent m. s, pro lectione alterâ, videreturque mihi concinnior.

845. *Et citi tectis* &c,] M. s. omnes *Scithæ*, aut *ſcitei* niſi quòd vnus *ſciti*. accipitque item Scholiaſtes de populis Septentrionalibus. Excutiant naſutiores, an aliud quid ſubſit.

859. *ſibi quiſque ſenſit Obrutum totâ*, &c.] Ita m. s. ſeptem, duo tantum *ſentit*. quod vt non improbo admiſſum eſſe in contextum ab aliis, ita non video cur verſum ſequentem inſigniverint interrogatiunculæ notâ. diſtinctio noſtra, proba videtur. Alluſit ſcilicet Poeta ad loca ſubterranea ſimilia Aryptæ Neapolitanæ, quam ipſemet nobis deſcripſit Epiſtola LVII. *Nihil illo carcere longius,*

gius, nihil illis faucibus obscurius, quæ nobis præstant, non vt per tenebras videamus, sed vt ipsas. ceterùm, etsi locus haberet lucem, pulvis auferret, in aperto quoque res gravis & molesta, &c. quæ consulantur. ex eis enim lux petenda isti loco, quem nescio an aliquis hactenus intellexerit.

895. adverso Lycus Terram cecidit ore:] Cur Critici retinere maluistis? *Terram petivit.* an quia minùs Latinè? at dicitur, opinor, *cædere pugnis, calcibus,* &c. an quia prima syllaba producitur? ita arbitrabatur amicus meus: falsò. nam & infra eccc versu 1036.

Tibi hunc dicatum maximi coniux Iovis
Gregem cecidi. -

& Iuvenalis Satyrâ III.

-- petulans qui nullum fortè cecidit.

Bonum igitur factum, quòd lectionem omnium m. s. revocaverim, ejectâ aliâ spuriâ. Ceterùm quòd placet Commentatori novo, sortes ferè terram momordisse, ne quis gemitus anteactâ vitâ indignus à circumstantibus exciperetur; haud ei accesserim, gnarus tale ab omnibus promiscuè fieri, qui proni cadunt. proni, inquam: caditur namque etiam in latera, in tergum; vt pluribus demonstravi in Dissertatiunculis meis ad Cornelium Tacitum.

915. Dij Conditores &c.] Ita omnes membranæ. Putabant alij ribuenda Herculi, legendumque: *Qui conditores* &c. ejectâ mox v. 217. voculâ *qui*, quam immisâre posteriores editiones, invitis m. s. omnibus. nec displicet. Conabar ego aliquando: *Quicunque turres vrbis* &c. non abludentibus literis earumque sono, sententiâ admodum petspicuâ. *colis* enim, *incolis*, non *veneraris.*

968. cum silvis feram,] Alii fide m. s. suorum suppositiè, *traham.* nec damno: haud etiam libuit mutare, quod pro eis starent nostri codd. numero novem. & profecto lepidius dicat se laturum rupes silvestres quam tracturum. quamvis etiam *ferre* dici potuit, pro *auferre.* Horatius.

Omnia fert ætas,

977. *Profugit vmbras Tityus*] Sic malui cum mſſ. omnibus,quàm quod in vulgatis interſertâ voculâ,*Profugit & vmbras:* quia & ſequentia deſtituantur enclyticâ,& habeamus mox *ſtetit* præteritum.

1007. *Sonuit; cerebro tecta* &c.]Ita novem mſſ.vnus tantùm *Sonuit cerebro terra*; quomodo perperam hactenus vulgatur.nam in ſublime miſſus infans tecta aſperſit cerebro, non terram. Sed nec illud *Sonat*, quod nonnulli modò revocarunt, heîc convenit; planeque abit à mſſ.

1031. *Quo te ipſe genitor,*] Vel parens Herculis, vel potiùs ex more quo ſenes obvios *patres* vocamus. Itaque a page illum, qui contextui induxit, *ipſe ſenior*.cui mutationi nullus favet mſſ. noſtrorum novem.

1077. *Cogis longam diſcere mortem.*]Douſa filius Notis ad Catullum, corrigendum putabat *noctem*; ingeniosè quidē, ſed contra omnia exemplaria ſcripta. & alioqui cùm ſomnus cenſeatur mors brevis; haud malè dicatur aſſuefacere nos longæ illi morti & perpetuò dormiendæ.

1117. *date ſera foro Verbera tergo.*]Sic potiſſima pars mſſ. non, *ſeva*; vt editi in hunc diem, malè. nam repetitur ſtatim id verbi, & eadem vis voci alteri, quæ ſupra verſu 622.

O nate, certa & ſera Thebarum ſalus.

Vbi maluiſſem ego, *certa at ſera*; ſi licuiſſet per mſſ. Sic & infra v. 1203.

-Vindica ſera manu Saltem nepotes-

1179. *-in tantis malis Quid eſt pudendum?*] Abieci interrogationis notam. neque enim quærit Hercules, ſed opinatur; ſuſpicione haud falsâ ductus, quoniam averterent ſe pater ac Theſeus. & verò nexus orationis tale quid deſiderabat.

1197. *Quis potuit arcum flectere? aut quis dexterâ*] Ita ferè mſſ. cuncti, & placuit præ vulgato, *Quæ potuit arcum flectere? aut quæ* &c. quod èlumbe prorſus, cùm ſequatur *dexterâ.*

1237. *Quis nomen vnquã ſceleris errori addidit?*] Mihi hoc potius viſum eſt. alij maluerunt, *indidit*; quidam etiam, *dedit:* vt appareat verum dici, *quot homines tot ſententias.*

Haud

Haud ſecus ferè Lucanus libri VII. Pharſal.

Hoc placet, ô Superi! cùm vobis vertere cuncta
Propoſitum, noſtris erroribus addere crimen.

Addere, adlinere, adfigere.

1245. *-mortis inveniam viam.*] Aures radit illa repetitio ſimilis. videbatur aliquanto virilius quod extat in vno codice noſtro, *inveni viam.*

1284. *Pavidaque matres?*] Sic optimè è mſſ. Palatinis Commelinus; non, *Pavidamque matrem*, quod occupat edd. priores.

1312. *Lethale ferro pectus impreſſo induam.*] Sic ſcribi iubēt mſſ. tres, & Scholiaſtes: neque aliter editio Fabriciana. nam reliqui mſſ. *Lethale ferro pectus impreſſum induã.* Et verò neſcio, quomodo hyppallage illâ delectatus Seneca. eam profectò iterũ reddidi, mſſ. omniũ iuſſu, Thyeſte v. 577.

Brutium ponto feriente Corum.

Vulgatur autem paſſim,

Lethale ferrum pectori impreſſum induam.

1320. *pectori hanc ægro admovens*] Sic libuit cum mſ. Col. veteri; quòd rariùs ſoleat auctor eo loci vſurpare Iambũ. Mſſ. tamen Pall. *hanc ego*. quod haud aſpernor interim.

IN THYESTEM.

Verſ. 1. *Quis me furor nunc ſede ab infaustâ abſtrahit*] Sic noſtri novẽ: niſi quòd vnus *trahit*. Vulgabatur priùs *extrahit*. quod tamen nec in editionibus antiquatis. Lipſij codex ferè arridet cum ſuo *Quis me inferorum ſede*. Putabam aliquando fuiſſe, *Quis me Furiarum ſede*, mutatumque ab eis qui ignorarent *quis* eſſe feminini generis.

3. *Quis malè Deorum*] Non ſatisfacit iſtud, vt nec *malevolorum*, quod in mentem veniebat.

8. *differens curſu rota?*] Mallem *differar*, aut adeò *differet*. nam pendent à ſuperiori, *numquid*. nec poteſt repeti, meâ quidem ſententiâ, illud *venit*: quod adſociandum potiùs voci *geſtandus*.

9. *Tityi ſemper accreſcens iecur Viſceribus atras* &c.] Ita noſtri

noſtri codd. ſex; niſi quòd ij, *vulneribus*. duo attexunt & illud quod è ſuo eruit præceptor Lipſius, *Tityi, qui ſpecu vaſto patens Semper accreſcens* &c. Haud me expedio. nam turbat præterea illud *iacet*. Cùm diſpliceat repetitio dictionis *venit*, mallem fuiſſe:

Vt nocte reparans, quicquid amiſi die:
Plenum recenti pabulum monſtro vacem?

Verùm ſic nullus manuſcriptorum; quibus certum eſt nocuiſſe exſcriptorum vngulas, haud capientium, quid heîc ſubintelligeretur ἀπὸ τῦ κοινῦ: vnde adtextum, *qui ſpecũ vaſto patens*; cuius ſenſum eos fugit qui arbitrabantur *patens* minùs convenire quàm *iacens*. vult enim Tityum iſtum patuiſſe vaſto ſpecu, hoc eſt, illâ parte corporis quâ admittebat aves rapaces.

41. *Gnatũſque patrem*] Sic mſſ. omnes. nec mutari debet, quamvis ſermo de Oreſte & Clytemneſtrâ, in *Gnatusque matrem*. nihil enim vetat maſculino contineri ſexũ deteriorẽ. Conſulatur Lex LXII. De legat. & fideicom. 3. & Lex XLV. De Legatis 2. Si quid mutandum; maluerim, *Gnatus parentem*.

54. *-funera Accerſe*] Mſſ. plerique, *Arceſſe*. quod proculdubiò melius; ſi licet per magiſtellos Orbilianos.

94. *Violata cæde* &c.] Iuſſit Lipſius ſcriberemus imperandi formâ, *Violate cæde, neve furiali malo Aſpergite aras*. neque aliter videtur fuiſſe à manu primâ in vno mſ. Palatino. ſecutusque fuiſſem, niſi vicina adhuc mihi vlcus tecus tegere viderentur.

105. *iam tuo mœſtæ pede*] Non paulò rotundiùs è ſuo codice Lipſius, *iam tuum mœſtæ pedem*. ſed nullæ membranæ ei aſſentiuntur.

113. *Longè remotos latus exaudit ſonos.*] Lectio ſana, neque indiga obelo Ariſtarchi. Vult auctor ita inhorruiſſe pelagus adventu Tantali, vt ſe ſubduxerit vtroque latere aquis ſuis nudato; ideoque anguſtias eius minùs anguſtas, pluſculum hinc illinc apparente litoris.

122. *Piſciſque domos turribus*] Sic plerique mſſ. non *Piſcaſque domos curribus*. viſumque eſt concinnius. Tò *turribus* ſe tuetur illo v. 406. infrà: *Cyclopum ſacras Turres*.

140. *Decep-*

140. *Deceptor dominæ Myrtilus,*] Haud auſus ſum recedere ab conſenſu mſſ. noſtrorum. Delrius in Erratis iuſſit reponeremus *domini.*

155. *Et curvata*] Haud aliter mſſ. novem. arridet tamen illud Delrij, *Incurvata.*

171. *Fluctus ore vocans,*] Editiones noviſſimæ ſuppoſuére *ore petens.* ego retinui priùs vulgatam confirmatamque cùm omnibus mſſ. tùm auctoritate v. 1619. qui in Hercule Oetæo, producitúrque Commelino.

180. *omnis & geminum mare Innare claſſis:*] Sic legendum eſt, poſtulante verſu. nam * editio optima *omnes claſſes;* quod tamen habuerim ſphalma typographicum. * Aldi an. 1517

226. *infuſo coma Dependet auro,*] Secutus ſum novem codd. Vulgati, *effuſo.*

247. *Perimat tyrannus lenis. in regno meo Mors impetratur.*] Sic diſtinxi, perſuaſus à mſſ. aliquot & iudicio Commelini; præſertim cùm id etiam poſceret nexus ac vis ſententiæ. Ante diſtinguebatur: *Perimat tyrannus. lenis in* &c. directè contra mentem Atrei, qui qualemcumque mortem beneficij loco ducebat, tanquam finem pœnæ.

270. *Dignum Thyeſte*] Septem è noſtris intertexunt voculam, aliterque diſtinguunt: *Dignum eſt Thyeſte facinus, & dignum Atreo Vterque faciat.* quod non poteſt diſplicere; etſi alterâ lectione nihil etiam argutius.

285. *Hoc ipſe faciet.*] Proletaria lectio, *faciat:* ſed altera reſtat in mſſ. melioribus; eſtque extenuantis facinus. Itaque faceſſat prior.

301. *Præcommovebunt*] Ita fuit in mſſ. quatuor & Scholiaſte. vnus etiam *Percommovebunt*; quod nec aſpernandum: ſed malui ſtare à parte maiori. Hactenus odioſè legebatur, *Preces movebunt*; cùm id vocis ſatis ſubintelligeretur, vtpote expreſſum verſu antepenultimo.

307. *-perferre eſt grave.*] Subſtantivũ *eſt* manavit à noſtris mſſ. deſideratur in editis aliis, niſi velimus ruere carmen.

329. *multa ſed trepidus ſolet*] Ita contubernium mſſ. exoletæque edd. quomodo etiã produxerat è ſuo codice accuratiſſimus Lipſius. Publicati, in quibus *multa turbatus ſolet,* nihil præ ſe ferunt ſani. Reprehendit enim caſtigatque

conſi-

consilium illud Atreus, quo decreverat indicare liberis dolum patruo paratum. si hoc, inquit, scierint, prodar: neque enim tam rudi ætate magnum istud scelus dissimulent vultu, quamvis maximè cupiant: quare nesciant quantæ rei fiant ministri. Hæc ipsa vix vllis elicias fidiculis, retento illo *turbato*, relictâque voculâ *sed*.

388. *Rex est quique cupit nihil.*] Abest hic versus m. s. Delrij omnibus; nostris verò plerisque, vt & editionibus Fabricianâ prioribus: ideoque haud putarim admittendum tanquâ qui exciderit ob similitudinem quæ ei cum præcedenti versu. vt nonnullis placuit. nam auctor hac strophâ non persequitur duplicem affectum, Spem & Metum; sed ea tantùm quibus regnum adquiritur impugnaturque vi mer â. ideóque circa metum versatur. Spei locum suum dedit versibus prioribus, obsignavitque sententia hâc: *Mens regnum bona possidet.* Sed nec satisfacit auribus illud, *quique cupit.* In duobus Pal. extat, *qui cupit.* Quod si feramus, legendum item fuerit *metuet:* quod vix admiserint Grammaticelli.

414. *Fulgore non est quòd oculos falso auferat*] M. s. nostri septem vno ore damnant illud *quod*; substituto *qui*. vnus eorum totum istum versum omisit. *quod*, solum restat apud Scholiastem.

424. *ac metuis mala*] Antea vulgati, *an metuis*: sed abdicunt vno augurio m. s. omnes. Mihi non displiceret, *at metuis*; sublatâ interrogationis notâ.

442. PL. *Summa est potestas.* THY. *nulla, si cupias nihil.* PL. *Gnatis relinques.*] Neoterici personas nobis abstulerant, quas postliminio reduxi, jussu vetustè cusorum & membranarum omnium; quibus adsentitur Scholiastes antiquus. Repræsentarant, inquam, neoterici:

-TH. *cùm possim mori,*
Summa est potestas. PL. *nulla, si cupias nihil.*
Gnatis relinques. TH. *non capit* &c.

sine vllo sensu; qui iuxta distinctionem nostram planus & liquidus. Vocaris, inquit filius, ad regnum. respondet pater, forsan ad mortem. PL. vocaris ad summam potestatem. TH. tolle cupiditatem, & potestas summa, nulla est.

eſt. PL. nobis, liberis tuis, regnũ relinques. TH. quaſi verò regnum vllum duos capiat.

450. *capere ſecuras dapes Humi iacentem! ſcelera non intrant caſas.*] Obſecutus ſum conſenſui m. s. noſtrorum, interpretationique Scholiaſtæ veteris. Vulgò erat, *capere ſecuras dapes! Humi iacentem Scelera non intrant caſam.* Ineptè. neque enim iam caſa eſt quæ jacet, ſed ruina.

467. *Sed non timemus.*] Noſtri ferè *timemur*; quod improbat nexus orationis. An fuit? *timetur.* Ita certè extat in m.s. vno: neque aliter Commentaria Bernardini.

469. *Immane regnum eſt, poſſe ſine regno pati.*] Obſcurus verſus, forſan etiam mendoſus. nihil tamen ſuccurrunt m. s.

486. *Serum eſt*] Et iſtum verſum patri potiùs dederim quam filio.

500. *-præda cùm proprior fuit,*] Legerim vel *fluit*, vel *fugit*, vel aliud quidvis, quam *fuit*, prorſus meis oculis ſpurium.

502. *-& gemitu vocat*] Sic antiquitus, ſic m. s. ſic Interpres vetuſtior. ſequioris ævi, *& geſtu vocat*. malè. neque vnquam venaticis canibus adfuere qui defendunt: verè enim tum gemunt.

506. *-præſtatur fides.*] Ab Atreo, an Thyeſte? ab Thyeſte puto. Sanè hæc ſcriptura eſt in m. s. noſtris ſex, & apud Interpretem. Antea fuit, *præſtetur*, alio intellectu.

517. *-pedibus iniecta manus.*] Non mala lectio: quam tamen arguit & antiquior editio, in quâ *iniuncta*, & chirographi noſtri, quorum quidam *iuncta*, quidam *vincta*, aut *victa*, tres *intacta*. quod vltimum haud mihi ſordeat, vt pendeant adhuc à ſuperiori: *ſupplicem primus vides.* Sic & Troade Andromache: *-quamque nullius pedes*
Novére dextram, pedibus admoveo tuus.

521. *Hos innocentes.* ATR. *frater à* &c.] Ferè tranſpoſuiſſem, *Hos innocentes, frater.* ATR. &c.

362. *Pallide matres tenuere natos*] Reſtitui priſtinæ dignitati ſcripturam omnium m. s. Fabricius, alijq; eum ſecuti, invexerant, *timuere natis.* fatuè. *tenere* enim heîc eſt

aut

aut *complecti*, *adprimere ad pectus* infantes; aut *inhibere*, *ne ruerent ad bellum* adoleſcentes; vt pluribus oſtendi lib. VI. Suſpicionum cap. 16.

577. *Brutium ponto feriente Corum*;] Hæc eſt lectio omnium mſſ. etiam Scholiaſtis; niſi quòd reſtet in vno *Brutium ponto feriente Coro*, in altero *Brutium pontum feriente Coro*. & malui iſtâ figurâ, quomodo paſſim legitur, *Brutium Coro feriente pontum*, vt ſuâ linguâ loqueretur auctor, non ingenio noſtro.

579. *Ac mare in portu timuëre nautæ*.] Ne refugiamus hanc ſcripturam primitus ab elegantiſſimo Lipſio productam; facit quòd & eam offenderim in vno Palatino, in altero verò *in portum*, tertio præterea id repræſentante inter lineas. Vulgabatur priùs, *Ac mare intortum timuëre n.* quod quid mirum? timebatur etiam extra tempeſtatem. Si cui tamen magis arridet, *in totum:* ſciat ita extare in aliquot Pall.

580. *Quod rapax Auſter revomit Charybdis*;] Vox vltima eſt genitivi caſus: vocatque *Auſtrum Charybdis* violentiam illam Charybdis, maximè regnantem flante Auſtro. reſpexitque ad illa quæ ſcripſit ipſemet cap. XVII. ad Marciam: *Videbis illam fabuloſam Charybdim, quamdiu ab Auſtro vacat quietam; at ſi quis inde ventus ſpiravit, hiatu magno profundóque navigia ſorbentem.* Hactenus lectum fuit,

Quod rapax hauſtum revomit Charybdis:

Quod nullus agnoſcit mſſ. noſtrorum. in quibus extat quod invexi in contextum; aut adeo, *hauſter*. quod etiam alicui allubeſcere poterit; aut denique, *hauſit*.

584. *Ignis æternis reſonans cavernis*.] Nimis diu tulimus illud *Ignis Ætneis*, cùm proximè præceſſerit *reſidens in Ætna*. Noſtra lectio conſpicitur in maximâ membranarum parte.

597. *Ima permutat levis hora ſummis*.] Revocandum duxi quod aſſerebant mſſ. vno ore omnes. Illud *brevis*, minùs heîc quadrat, quòd viſatur verſu præcedente.

604. *-moventes Cuncta divitias*;] Stant ab hac lectione mei cuncti. Aliorum *divinat* heîc minùs convenit, quòd neſcio quomodo aures reſpuant *divinare rerum mobiles caſus*

cassus moventes. Tò moventes enim non solùm supervacuum est, sed turbat.

615. *Nemo desperet meliora lapsis.*] Mſ. in quo sententiæ insigniores, habet *lapsus.* non prorsus malè: adhæserim nihilominus alteri.

626. *Argos & Sparte impios.*] Inverti voces, auctoribus mſſ. Antea erat, *Sparte & Argos*; quod nescio an æquè benè applicari queat illi *Sortita*, quod sequitur.

631. *-conscius monstri locus?*] Ita plerique Pall. nam *nostri* Commelinianum, natum à veteri orthographiâ, *mostri*; quod adhuc comparet in vno Pal.

638. *Quid sit, quod horres, effer; auctorem iudica.*] Sic Pall. quinque,& Scholiastes. Vulgati antea: *horres ede; & auctorem indica.* non tam vividè.

667. *Hîc nocte totâ*] Sic mſſ. non, *cæcâ*; quod vulgò circumfertur.

684. *nobiles revocat manus,*] Mſſ. meliores induxerunt, vt eiicerem illud *religat*, quod occuparat locum vocis *revocat*; quæ heîc profectò aptior alterâ, vel ideo quòd sequeretur versu statim sequenti, *ligat.* Non valdè absimiliter noster Oedipo v. 416.

Spargere effusos sine lege crines,
Rursùs adducto revocare nodo.

Sed nec aliter Prudentius Hymno VI.

Nexus denique qui manus retrorsus
In tergum revocaverant revinctas,
Intactâ cute decidunt adusti.

701. *flevit in templis ebur,*] Ferè enim Dij ex ebore. Ovidiusque corrigendus libris de Arte Amandi: pro eo enim quod circumfertur,

At cùm pompa frequens certantibus ibit ephæbis,

legendum fuerat, si Poëtæ mentẽ exprimere amabamus, Ovidius insigni loco castigatus.

-frequens cœlestibus ibit eburnis.

Sic sanè erui è codice antiquo. de cuius scripturæ sinceritate nullus dubitarit Pyrrhonius.

740. *in tergo extitit.*] Non displicet quid ẽ quod revocarunt alij, retinentque aliquot mſſ. nostri, *extitit.* nescio tamen quomodo magis abblandiatur mihi, *exiit:*

752. *Pater inſepultos ſpectet.*] Libenter harum vocum trigam dederim Choro, vt interruperit ſermonem Nuncij; coniectante coactum patrem inſpectare hanc lanienam filiorum. ſubiiciatque ſtatim Nuncius: non, non; nemo coniecturis vllis aſſequetur ſcelus illud, adeò eſt inuſitatum, ſupraque omnem fidem. Hæc ita dicta ſunto, vt pedibus tamen minimè traham diſtinctionem accuratiſſimi Delrij:

Votum eſt ſub hoc, quod eſſe ſupplicium ſolet,
Pater inſepultos ſpectet.

767. *Tranſiliit ignis,*] Sic noſtrûm duo: & ita ſcribi debebat id verbi. nam *Tranſiluit*, à *ſileo* potiùs derivetur, quàm à *ſalio*. Virgilius, *vnctos ſaliere per vtres.*

783. *-verterit currus licet.*] Malui iſtud præ aliorum *curſus*, quòd id tuerentur mei mſſ.

808. *monte Typhoeus?*] Sic ſcribendum fuit. Perperam illi quibus eſt *Typhœus.*

874. *Nos è tanto*] Non malè animentur aut interrogationis aut aliâ notulâ, quâ vtantur attoniti.

884. *vertice attingens polum.*] Haud placet verſus. neque tamen remedium ei à manuſcriptis, quibus omnibus loco *polum*, inolevit *cælum*. Editio vetus eius vicem obtruſit nobis *Iovem.*

906. *collucent face.*] Duo codd. *colluceant*, imperantis. haud peſſimè quidem, ſed neſcio an optimè.

914. *veteris hunc Bacchi color Abſcondet. hoc hoc menſa claudatur ſcypho.*] Animam novam affudi huic loco. Antea moribundâ facie viſebatur, *hoc hæc.* Sed & *Abſcondit* erat in editis, pro quo ſuppoſui *Abſcondet*, volentibus mſſ. quinque: vt viſo fratre plus ſatis delectato poculis, novum capiat conſilium, conſummarique velit prandium poculo ſanguinis. Haud tamen damnem præfracte alterum.

962. *Vel ſine cauſâ, vel ſerò timens.*] Plerique editi *fera*; puto quòd putarent vltimam in *ſerò* produci. at corripuit alibi noſter, corripuerunt alij; ſtantque pro hac omnes ferè mſſ.

993. *noxque ſe in noctem abdidit.*] Sic egregiè noſtri conſenſu vno. Antea erat, *in nocte.*

1013. Et

1013. *Et hinc revulsis, huc tuam immani sinu Demitte vallem,*] Vnus è mss. nostris interserit ampliùs, *Et hinc revulsis, si quid infra Tartara est Avosque nostros, huc tuã.* neque minùs tamen agnoscit illa superiora: *-stare circà Tantalum Avosque nostros, si quis intra Tartara est, Vterque.* Quid dicam? an exciderunt ob similitudinem? rescribendumque:

-- Stare circa Tantalum
Avósque nostros, si quis intra Tantalum
Vterque iam debuimus, hinc compagibus
Et hinc revulsis. si quid infra Tartara est
Avósque nostros, huc tuam immani sinu
Demitte vallem, &c.

Exciderunt profectò. idque vocaliter clamant sequentia. Nec levem mereor gratiam, quòd hæc defossa reduxerim. Recepissem etiam in contextum, nisi vetarent leges acquiescere testi vnico, quamvis fidei incorruptissimæ. Paria istis sunt, quæ habuimus in Hercule Furente, v.

1223. *-- si quod exilium latet*
Vlterius Erebo, Cerbero ignotum & mihi,
Huc me abde tellus. Tartari &c.

1017. *arenas igneus totas agens,*] Sunt qui penè ausint iurare, scripsisse Senecam *tostas:* nec desunt qui mallent *tortas,* aut aliud quid. non necessariò. *totas* enim positum pro *cunctas, omnes.* nec quidquam auctoribus frequentius; etiã huic nostro. si *tostas* aut *torta*, recipimus, minus dixerit auctor quàm voluit.

1020. *Immota tellus pondus ignavum iaces?*
* *Fugere Superi.*] Recepi * hemistichium istum excluſis aliis quorum meminit Commelinus, quòd non viderentur genuina, adtexta ab iis qui consultum ibant versui. quasi non talia facinora sæpius patrarit noster. Imò, si mei esset res arbitrij, rescciderim adhuc. *Recipe hosce citius;* quæ mihi nihil sapiunt Senecæ; omniaque ad hanc coirent faciem:

Immota tellus, pondus ignavum iaces?
Fugere Superi. ART. *Liberis tandem tuis*
Diu expetitis (nulla per fratrem est mora) Fruere, &c.

Planè ita scribere debuit, si nõ scripsit Tragœdiographus.

1054. Diffundere ora debui, vt viventium] Est qui annotat nihil heîc elidendum. at nisi id fiat, non stabit versus: qui sic dividendus in pedes suos,

Diffun- - dere o ◡- ra de ◡- bui ut ◡- viven- - tium ◡-.

1083. Stabant pares Gigantes: hæc arma expedi,] Vix his acquiescit animus; legerim potiùs distinxerimque: *Gigantes; hâc arma e.* vt pendeat à *manu*, de quâ supra mentio.

IN THEBAIDEM.

Versu *12. -prærupta protendit iuga*] Sic mss. numero sex. tres reliqui, *prætendit*; quod amplexus is qui postremò Senecæ salutarem admovit dexterã. quo minùs & ipse probem, facit vox antecedens priore syllabâ eadem cum altero illo, *prætendit*.

22. -vertice immenso premit] Hæc est consors lectio omnium mss. nostrorũ. itaque abieci illud *immerso*: tantò quidem libentiùs, quòd displiceat interpretatio eorum qui intelligi putant iugũ adeo editum vt à fluctibus nunquã superetur. neque enim hâc solùm sui parte immersabilis Cythæron, sed & reliquis omnibus. Præterea non video cur suspicentur versum istum erroneum, ponendumque inter duodecimum & decimum tertium. alio enim loco montis periit Actæon, alio Ino. Sed & illepida sunt, si coniungantur *prærupta iuga*, &, *vertex immensus*.

38. -pestifero tenes Amore vinctum?] Cave quid mutemus. queritur enim ita custodiri tenerique à filiâ: vt sibi necem inferre nequeat. Vinctum scimus non esse sui iuris. pestiferum amorem gnatæ vocat, quia *Invitum qui servat, idem facit occidenti*, vt loquitur alibi Horatius.

44. -tandem spiritum inimicũ exue. Desertor anime &c] Priora Laidis vmbræ, sequẽtia sibi ipsi loquitur Oedipus. Malè qui repagulo puncti sublato isthæc continuarunt, *exue Desertor anime*. quod & animadvertit Delrius, quo nemo Criticorum auctórem hunc meliùs concoxit.

55. Pars magna patris optimo &c.] Est qui mallet *optima*. at quid tum fiet alteri epitheto? *magna*. præoptẽ ego, *optimi*. vnus mss. loco *magna* præfert, *summa*; quod haud spernam.

78. -magno

78. *-magno pectore ærumnas doma.*] Displicet & mihi repetitio vocis quæ modò præcessit. sed enim cùm non adminiculentur codd. absit vt *roboris*, merum coniectaneũ, statim etiam admittam in sedem huius. quis enim id præstabit germanum?

112 *Erectam adignes funebrem adscendam struem,*] Versus meo animo supervacuus, neque meminit eius vetus Scholiastes. & verò cùm supra se immiserit in rogos, quomodo nunc adhuc adscendat funebrem struem?

116. *Vbi torva rapidus ducat Ismenos vada:*] Ita mss. nostri, non *devehat*, quod primùm obtrusit editio Fabriciana. *durat* præfert ms. vnus. sicque legisse videtur Ascensius. Qui heîc contextui invehunt *torta*, priùs probare debebant alterum esse spurium. Per figurã tribuit auctor *vadis*, quod debebat *Ismeno*; eleganterque torvus Ismenus ducat rapida vada, cùm pingantur fluvij fronte taurinâ; quæ solenniter torva.

165. *Hàc extrahe animam,*] Nullâ ratione dubitari potest de sinceritate huius lectionis, quæ comparet in omnibus ferè mss. abiiciendũque *Hanc*, quod adhuc retinuit editio optima & vltima. vult enim, eruere animã per oculorũ cavitates Oedipus, quemadmodũ patet ex v. 181. *Hâc parte mortem perage, quâ cœpi mori.* Vbi tamen malim rescribi, *quâ cœpsti*, pro, *cœpisti*: vtique cùm varient libri; & alterum illud duriusculũ videri queat; quòd antecedat, *indue.*

177. *-audias verum, Oedipe:*] Omnes mss. *audies*, nihilo peius; etsi non repudiem vulgatum.

186. *-Peto; ast vt iras*] Secutus sum quò aurigabantur mss. nostri, in quibus ferè aut à primâ manu, aut certè à secundâ, *at*, cũ interpretatione, *sed*. Adversativam *aut* non subsistere animadvertêre alij; haud etiã eiecêre. ego feci.

213. *tibi hoc vita abstulit.*] Maxima pars mss. *hæc*. est, *quã nunc agis*. Haud tamen eliminaverim alteram.

256. *Avibus & avidis*] Concorditer mss. *Avibusque avidis*; nec improbatur aliis, vt scilicet nihil elidatur. sed enim si heîc eâ vsus licentiâ auctor, cur non & alibi vtitur? Suspicabar aliquando *Avibusque avitis*, vt ita vocentur quæ à patre ab avo & maioribus sanguine regio pastæ. sed vereor ne nimis sit remotum.

345. *-tota consîdat domus.*] Alij *concidat*. sed spernit versus eò loci syllabam brevem.

368. *Feci nocentes.*] Vnum quidem designat Oedipum: sed ponitur pluralis pro singulari; vt sæpè suprà, & infrà, Troade v. 982.

Quis tam impotens ac dirus, & iniquæ ferus
Sortitor vrnæ regibus reges dedit?

Loquitur Hecuba de se & Vlysse, solis.

402. *- arma matris oppositu impedi.*] Sic m. s. octo, sic editi avorum memoriâ; quibus non auscultare, religio fuit. Vulgatum deinde, *mater oppositæ*. non malè; si liceret præscribere auctori modum loquendi.

403. AN. *Perge, ô parens*, &c.] Ita etiam vno ore m. s. omnes; non vt publicati nuperè, *Perge, i parens*. Sed & iidem vett. novam heîc constituunt scenam, ac præmittunt Antigonæ nomen. posteriùs editi attribuunt Nuncio. quod nolim; sunt enim verba minùs decora, magisque pathetica quàm vt conveniant nuncio. Ne autem miremur filiam deseruisse patrem, vt succurreret fratribus; sic requirit pietas. & iam morti renunciarat Oedipus: vnde est supra v. 319. *Iubente te vel vivet.* Item v. 361. *Hinc aucupabor*, &c.

414. AN. *signa collatis micât Vicina signis. clamor hostilis* &c.] Et hæc iterùm Nuncio adscripsêre nuperæ edd. meâ sententiâ, minùs rectè.

417. *Et ecce motos fletibus credas* &c.] Ista & sequentia eædem edd. attribuunt Iocastæ. ineptè, ineptè. nec tale quid patitur votum sequens: ex quo patet matrem longiùs adhuc abfuisse ab exercitu. scilicet Antigona ab exercitu ad matrem cucurrit, eam è gynæceo produxit in publicum, hæcque appositissimè loquitur, sub conspectum armorum.

437. *- manum, Vibrata dextrâ tela suspensâ tenent.*] Obsecutus sum duobus m. s. in quibus hæc ad istam videbantur faciem, non vt passim, inolevêre: *manus Vibrata tela continent dextrâ suâ:* quæ insubida sunt & stercorea, meis quidem oculis.

439. *- omnium ferrum latet Cessatque telum vibrat in fra-*

trum

trum manu.] Ferè audax feciſſem facinus, motus duorum m. s. conſenſu : correxiſſem, inquam, hunc locum ad iſtam figuram, *omnium ferrum latet Ceſſatque : tectum vibrat* &c. vt diceret Nuncius, ferrum aliorum omnium latere & ceſſare, non etiam fratrum, qui id quidem tegerent, ſed manu tamen vibrarent. & hanc etiam lectionem agnovit Scholiaſtes vetus, ſed longè aliter explicat. cui tamẽ lectioni cur minùs acquieſcã faciunt illa v. 467. *clude vaginâ impium Enſem,* &c.

448. *- membra paſſim ſpargite*] Qui repoſuerunt, *membra ſparſim ſpargite*, non interrogarunt aures ſuas an & aptè ſonaret, imò an id admitteret lex carminis. *ſp* præcedentem ſyllabam ſemper producit.

453. *Peccantis in nos crimen.*] Ita malim ; minuſque habet invidiæ, ſi & ſe & maritum complectatur. Alijs placuit, *in vos:* nec repugno, dummodo norint alterum propugnari à pleriſque m. s. vix vnũ eſſe qui ſtet pro illo, *vos.*

456. *Donate matrem pace. ſi placuit ſcelus*,] Cohæſerit magis præcedentibus, ſi reponatur, *placet*; quomodo eſt in m. s. quatuor & Scholiaſte. ceterùm retinui priore parte verſûs, *Donate matrem pace*, verſûs cauſâ: exploſo illo, *Donate matri pacem*; quod tamen occupat omnes membranas, iniucundiore etiam vocum ſonitu.

463. *ergo iam nunquam duos Niſi ſic videbo ?*] Adpoſui interrogationem, quòd abſque eâ ſententia videretur minùs nervoſa, minùs ex voto matris, abominantis potiùs quàm deſperantis.

465. *Tu tot labores totque perpeſſus mala,*] Lectio in ſpeciem ſana ; ſed arguunt eam omnes m. s. in quibus, *Tu qui tot labores, totque.* & verò vix mihi dubium fit exterminandam potiùs voculam *tot*, quàm *qui*: quòd hanc deſideret filum ſermonis, illam includat enclytica mox ſequens *que*; adpoſita enim dictioni alicui notat inter alia & hoc, bis ἀπὸ τοῦ κοινοῦ repetendam. exempla vel mille vnus ſufficit Horatius: quæ niſi hoc modo accipiantur, omnia videbuntur hiſpida, omnia trunca Vt illud lib. II. Odâ VII. *- quis vdo Deproperare apio coronas, Curátve myrto?*

498. *veni, vt arcerem nefas, An vt viderem propiùs?*] Ita libuit

edere, distinctione illâ quam invenias in editt. proletarijs veterum. insulsè seqq. omnes cum Fabricianâ, *An vt viderem? propiùs* &c.

499. *& arma defixa incubant.*] Sic nostri octo; addítque Scholiastes, *gramini*. Non placet. Sed nec acquiescere possum illi *incubat*, quod alij nuperè editioni suæ intulêre, obsecuti nudæ coniecturæ. Quid quòd nec satisfacit interpretatio Cõmentatoris optimi? Haud tamen occurrit ferrum Criticum, quod spinam istam cõmodè extrahat.

560. *armis vertis infestis solum*] Plures m. s. *vestris*. quidam etiam *nostris*. est etiam qui vocem nullam de tribus agnoscat. Posset quibusdam arridere, *Vris*. Sed vulgatam lectionem probissimam arbitror: vertitur enim etiam solum, cùm non vertitur aratro.

593. *regiâ frater meâ Habitet superbus*;] Recentissima editio admisit *meus Habitet superbâ*, hoc ideo quòd offendisset in excusis, in scriptis omnibus, *meâ habitet superbâ*. Equidem, si aliquid mutandum, malim vltimum istud, quàm medium. magna enim emphasis in illo *meâ*. quippe haud ita dolebit pauperi videre fratrem divitem, quàm videre divitem de suo.

628. *Licet arma longè miles ac latè explicet: Fortuna belli* &c.] Interpunctio minùs apta est. Non abhorreat animus ab eâ quam reperi in vnico scripto:

Licet arma longè miles ac latè explicet
Fortuna belli; semper ancipiti in loco est
Quodcumque Mars decernit. exæquat duos,
Licet impares sint, gladius.

Etsi ne sic quidem his acquiescat. veniebat enim in mentem, literâ vnicâ detractâ legi posse, *loco est*; *Quocunque Mars decernit.*

648. *–Sceptra Thebarum fuit Impunè nulli gerere*] M. s. nostri vel *Thebana*, vel *Thebano*. Postremum haud improbem: nam & simili argumento Hippolyti v. 127: *nulla Minois levi Defuncta amore est* &c.

656. *–Regis & magni reor.*] Ita omnes m.s. nisi quòd vnus, *Regis hoc magni*. Non reiecerim aliorum, *at*. sed sine eo constat auctori sua Venus.

659. *Qui*

659. *Qui vult amari languidâ regnet manu*] Libri aliquot fateor, Iambum hunc tribuunt Polynici; quos ſequuntur editores neoterici. verùm cur ei minùs convenire putem, eſt quòd ſupra diſertè autumet, nullum omninò eſſe regem, qui non ſtatim etiam ſit odio.

661. *Præcepta meliùs*] Hæc conceſſi Iocaſtæ. at ſunt qui omnia transferunt in Polynicen; ſunt qui partem tantùm. Verùm non dubito quin qui excuſſerit ſingula attentiùs, probaturus ſit diſtinctionem noſtram, hoc eſt receptã aliquot ſæculis. Nam *Exilia tu diſpone*, non poteſt avelli à verſu antecedenti, *Præcepta meliùs imperij reges dabunt*, cùm Polynicen opponat mater cæteris regibus, dicatque: quænam hæ ſunt intemperiæ, quòd iam nunc tanquam ſine controverſiâ rex, quiſque diu regnaveris, ſpires præcepta imperij? imò hæc reges agant ſine: reges, inquam, re & nomine: tu miſer exilium tuum cura. Huic ſententiæ favent illa ſuperiora: *te turbæ exulum adſcribo*. Vbi cur verſu ſequenti Commentator optimus, putet legi poſſe, *regnas, dummodò* &c. nihil video cauſæ. nam vt hæc per iram non dixerit mater, non ideo ſequitur, velle eam vt filius regnet inviſus. non: ſed fieri non poſſe, quin fiat inviſus, ſi regnare velit, fratre per bellum ſuperato: eius enim belli incommoda odium ipſi creatura civium iuſtiſſimum.

IN HIPPOLYTVM.

Verſu 4. *Quæ ſaxa ſolo Carpeneito*] M.ſ. omnes *Carpeneto*; aut, vt nonnulli, *Carpanetho*.

6. *& quæ Thryaſis*] Noſtri codd. conſtanter *& quæ Thyaſis*, aut ſanè *Tiaſis*, vel *Tyaſis*, vt videatur gignendi caſus, applicandumque illi *animis*. Repoſuerunt nuperè noſtrates, *Quæq; Thryaſijs*. qui conſulantur.

13. *Vbi per glacies lenis Iliſſus*] Abeſt hic verſus membranis numero novem; eumque propter etiam deleviſſem, tamquam irreptitiũ, niſi aſſeveraſſet Delrius haberi in m.s. quos evolvit omnibus. retinui tamen eâ facie quâ paſſim vulgatur. nã cõiectura viri maximi textui deinde

illata à nonnullis, nondũ ſe mihi perprobat. Et ſi haud putem tamen *Glacies* legitimam auctoris prolem. Quæ enim alij producunt, vt oſtendant in Græciâ & Atticâ frigus aſperius; hoc tantùm evincunt, nivoſa eſſe iuga montium: quod facile conceſſerim vel ipſâ æſtate. Sed enim cùm flumina labantur per plana; probatum oportuit glaciem ibi reperiri ipſo Septembri, quo inſtituta iſthæc venatio; niſi nos decipiunt illa infrà v. 838.

Iam quarta Eleuſis dona Triptolemi ſecat,
Paremque toties libra compoſuit diem.

14. Vbi Meander ſuper æquales] Ita ſolùm vnicus codex: reliqui, *ſuper inæquales.* quod an admittat verſus, valdè dubito.

44. varas cervice gravi portare plagas] Diſpiciant venatores, an heîc exciderit ſcriptura quam conſtantiſſimè retinent & mſſ. ſeptem & Scholiaſtes vetus, *rotare plagas.*

81. En Diva fave.] Nihil opus coniectore. ſic iterùm loquitur v. 412.

Hecate triformis, en ades cœptis favens.

Ad quem locum, etiam fruſtra alius capillum promittit, occipitque hariolari.

109. Adiudicata præſidem terræ Deam.] Cùm indicârit elegantiſſimi ingenij Raphelengius, in quibuſdam extare *Adiudicare*, exque eo coniecerit *Adiudicatæ*, recepi id in contextum, cùm cõpareret in Pal. vno atque altero. Antea legebatur *Adiudicatam præſidem* &c. minùs, meo iudicio, vividè.

137. Quemcumque &c.] Expunxi perſonas & heîc & verſu tertio ſequenti; ſenſu volente, nec aliter item viſum ſolertiſſimo Delrio.

140. Obſtare primum eſt &c.] Arbitrantur alij duos hos verſus, non modò mentis non ſanæ, ſed & loci alterius; amovendos ſcilicet collocandoſque inferiùs, hâc poſiturâ:

Quòd eſſe temet autumas dignam nece:
Pars ſanitatis velle ſanari fuit.
Obſtare primum eſt, velle nec labi viâ:
Pudor eſt ſecundum, & noſſe peccati modum.

Quod

Quod & mihi ferè probaretur, niſi contrairent omnia exemplaria: neque videretur præpoſterè ita alloqui Phædram nutrix. Optimum quidem foret non amaſſe, eâque quaſi maculâ contaminaſſe pudoris purpuram, ſed tamen elui poterit illa nota, ſi pœnituerit facti, ſi redieris ad ſanam mentem, perpenſâ peccati magnitudine. Si quid mutandum, potiùs legerim:

Obſtare primum eſt, velle nec labi viâ.
Pudor eſt ſecundus, noſſe peccati modum:

Vt vocetur *pudor ſecundus*, notæ quidem non primariæ, verùm tamen haud poſtremæ. Quippe *Sanatibus idem ius, quod fortibus.* Sic Cato cap. 1. de Re Ruſt. vocat, *prædium primum*, quod bonitate eximium; & Terentius Eunucho, *puellam primam*, formæ excellentis; *panemque ſecundum* Horatius, bonitatis tranſlatitiæ. Penſitatè quoque Plautus Pœnulo Actu 1. Scenâ II.

-primùm prima ſalva ſis;
Et ſecunda tu ſecundo ſalve in pretio: tertia
Salve extra pretium.

Notæ quoque hiſtrionum *partes, primæ, ſecundæ, tertiæ.* Ceterùm ſciendum mſſ. omnes cuſtodire *peccandi modum*; ideoque haud id etiam auſum mutare in *peccati.*

162. *-conſciæ noctis pavor*;] Ita curavi ederetur contra aliorum mſſ. in quibus, *conſcius mentis pavor*; quod vt non damnem; arbitrer tamen hoc loco ſupervacuum, cùm mox ſequatur, *Animuſque culpâ plenus* &c. & alioqui ſcriptura noſtra prior, ſe tuetur trium minimùm mſſ. auctoritate; vt etiam Scholiaſtis antiqui. Reliquique tres nihilominùs ſervant olim vulgatum, *conſcius noctis pavor*; duo tantùm, *conſciæ mentis.* quod textui quidam intulerunt.

195. *-turpi ſervitio favens*] Sic librorum noſtrorum enneas. itaque id confidenter admiſi, cùm etiam haberem adſtipulatorem Delrium.

201. *Regnumque tantum minimus in ſuperos habet.*] Cũ reſtet in mſſ. noſtris omnibus *in ſuperis*, id maluerim, quàm aliorum, *è ſuperis.* Sed & neſcio, quomodò fortiore iſthæc dicerentur ſarcaſmo, animata interrogatione.

206. *Hunc*

206. *Hunc illa magnæ* &c.] Cùm & noſtræ membranæ & pleræque Delrij habeant *Tunc*, poſſet id ſcitè revocari, tali diſtinctione:

Vana iſta demens animus adſcivit ſibi:
Venerique numen finxit atque arcus Dei
Quiſquis ſecundis rebus exultat nimis,
Fluitque luxu, ſemper inſolita appetens.
Tunc illa magnæ &c.

207. *-non placent ſuetæ dapes; Non tectæ ſani moris, aut vilis cibus.*] Iudice me, latet heîc mendum grandius. nam cui bono iteretur de victu, cùm præceſſiſſet? *non placent ſuetæ dapes.* ſequi potiùs debuiſſet de veſtitu. Cogitent acutiores, excutiantque mſſ. quibus ij ad manus notæ vetuſtiſſimæ. nam noſtri nihil diſcrepant.

216. *Quid deceat alto præditam ſolio vides.*] Eſt qui verſum vnum concedendum putat Phædræ, vt cùm enumeraſſet nutrix quàm nullâ lege viverent divites potẽteſque, ſuggerat: Ergo quid mirum me quoque abripi à viâ rectæ rationis, quæ regina? Acutè quidem; ſed ac non nimis acutè? an non obſtat vox *deceat?* ita puto.

224. *Solus negatas invenit Theſeus vias.*] Scholiaſtes agnoſcit, *inveniet*, & ſic duo codd. noſtri; quod vt non omninò amplectar, ita etiam non exſibilem.

236. *Reſiſtet ille* &c.] Lineas has quatuor iterùm quaſi poſtliminio reddidi Nutrici, fide mſſ. & ex animi mei ſententiâ. neque enim videbam, quomodo venuſtè turpitudinem ſuam fateatur, pronuntiaretque Phædra: *Ritusque caſtos Venere non caſtâ exiget*; quæ tamen editio penultima ei attribuit. Vltima quidem reliquit Nutrici, ſed abſtulit verſum præcedentem, qui nihilo minùs ei conveniebat, ſublatâ interrogatione, prolatus per ironiam, aut veriùs ſarcaſmum.

239. *-precibus haud vinci poteſt?*] Non inconcinnè quis fecerit, *precibus at vinci poteſt.* quomodo legiſſe videtur Scholiaſtes vetus; nec abludunt Pall. duo, in quibus *aut.*

249. *Pars ſanitatis, velle ſanari fuit.*] Et hoc quidem loco comparet Iambus iſte in mſſ. omnibus: meo animo non malè; quamvis ſint qu iconiecturâ duce collocent inter ver-

versum 259. & 260, vnà cum duobus aliis qui leguntur supra 138. *Obstare primum*, &c.

261. Prô castitatis &c.] M. s. nostri omnes *Proh* disertè expressêre; eorumque quinque *sinat*, non *sinet*. Deinde oculis Commelini impositum est, scribentis versum illũ *Haud facilè* &c. abesse Palatinis libris. imò adest singulis: solum in quibusdam ponitur post versum *Prohibere* &c. & tali quidem verborum ordine Pal. sec.

Haud facilè quisquam revocari ad vitam potest.

Sunt etiam qui concepêre:

Haud quisquam ad vitam facilè revocari potest.

Editio penultima totum omisit. non etiam postrema. Cæterùm illud *Prô castitatis*, eædem Phædræ tribuunt, etiã Lipsius, qui emendat admodũ pensitatè, *Pro castitate* &c. cui acquiescerem, si tale quid reverâ dicere posset Phædra casta forsan corpote sed mente maximè incestâ, vt ipsa de se prodit infra. Et verò editio veterrima, vt & Fabriciana, Nutrici tribuit: nec refrager, dummodo interpũgatur,

NVT. *Proh castitatis vindicem! armemus manum.*
Sic te senectus nostra præcipiti sinat &c.

Vt anus simulatq. viderit Phædrã obstinatã mori, constituerit ei obviã ire argumentis persuasionũ. Dicatur autem *armare manũ*, quæ obfirmatæ congreditur obfirmata, non cessura vel datura manum. Lucretius lib. II. *-- acri*

Iudicio perpende, & si tibi vera videntur.
Dede manus; aut, si falsa est, accingere contra.

286. Quæque ad Hesperias iacet ora metas,] Ita Lipsij optimus codex, ita plures Delrij, ita duo Pall. alij *ad occasus iacet ora feros*; quemadmodum antè publicati. Mutassem & versum 288. *Si qua maioris glacialis*, admisso *Parrhasiæ*, quod revocarunt illi literariæ rei Duûmviri: sed nullus de novem m. s. eò alludebat.

305. Perque fraternos mala regna fluctus,] Sic nostri octo, & interpretatur Scholiastes, *propter tempestates*. vnus tantùm favet illi *nova*. quod etsi aliis arrideat, mihi tamen coactius videtur: neque enim tunc Iupiter mari dominabatur, cùm id tauri formâ tranaret: aut si, dominabatur plusquam precariò.

317. -po-

317. *-posuit pharetras*] Ita primæ edd. ita omnes Pall. m. s. præter vnum atque alterum, qui eius loco habent oræ additum *sagittas*. vulgati priùs *pharetram*: non malè, nisi maluisset figuratè loqui auctor.

339. *Venere instincti quàm magna gerunt Grege pro toto bella iuvenci!*] Sic nostri omnes, præter vnum, in quo:

Venere instinctus suscipit audax
Grege pro toto bella iuvencus.

Quod quamvis alij auctori nostro donarint, ceu genuinam prolem, mihi sputium erit, vtiáque omnibus quibus auris non omninò agrestis.

358. *Vincit sævas cura novercas. Altrix profare, quid feras*, &c.] Versum suo hoc loco habent m. s. omnes; & placet. ita tamen vt seorsim ab eis sentiam, qui putent dari Phædræ, propter v. 383. attribuerim enim Choro. ab eo enim compellari etiam Fabulæ personas docuit Herculis Oetæi versus 703. *Quæ te rursus fortuna rotat Miseranda refer* &c. & ibid. v. 715. *Quis tam impotens*. Verùm non appositè Chorus ipsam vocaverit *altricem*. imò eâdem prorsus ratione quâ infra Hippolytus v. 431. *Quid huc seniles fessa moliris gradus O fida nutrix?* At quis vnquam audivit Choris adnecti versus alterius generis? is nempè qui infra legit v. 989. *Sed quid citato nuncius portat gradu?* præcesserant enim Anapæsti: is qui Agamemnone v. 388. *Sed, ecce, vasto concitus miles gradu* &c. nam præmittuntur & ibi Anapæsti: denique qui Herculis Furentis v. 204. *Tardusque senio graditur Alcidæ parens*: vbi vnicus ille Iambus claudit Anapæstos.

363. *lapsæ genæ*] Non displicet, quod est in m. s. quatuor *lassæ genæ*, cùm mox sequatur infra tum *labitur*, tum *labante*; sed & ferre queam *laxæ*, quod extat in alijs, vno tantùm retinente illud *lapsæ*.

378. *Et qui tenebant signa Phœbæ facis*] Sic m. s. omnes. impressi aliquot *ferebant*, quod reduxit editio vltima. at prima nostrum tuetur.

388. *Quæ fila ramis vltimi Seres legunt*] Sic m. s. & antiquitus cusi: posteriores *vltimis*. minùs rectè.

416. *Innecte mentem.*] Sic m. s. & Scholiastes. vnus tan-

tantùm liber *Inverte* : vti extat etiam in aliquot edd. nec displiceret admodum, nisi & princeps editio propugnaret lectionem alteram, consignatéque eam explicaret Delrius.

423. *- iam favet votis Dea.*] Sic m. s. præter vnum, qui *faves* .vt etiam servant aliquot edd.neque valdè odiosum est.

440. *Quem fata cogunt, hic quidem vivat miser.*] Vnus nostrorum, consentit codici Delriano, adiectumque habet oræ:

Quem fata cogunt ille cum veniâ est miser.

Alter verò exhibet:

Quem fata cogunt hic est cum veniâ miser.

& næ meras mihi resipit Veneres, *ille cum veniâ est miser.* estque gemmeum præ vulgato, *hic quidem vivat miser*

477, *Sed fata credas deesse; sic atram,*&c.]Ita distinguendum. quod moneo, quia & priora turbata ab interpunctis, & postrema sic efferat editio postrema: *deesse? sic,* &c. immissâ interrogatione: quæ quid sibi velit,non video. Dicit enim auctor; nos, tanquam si per casus humanos ne liceret quidem mori, accersere mortem, imò in sedem eius irruere. Non dissimiliter Propertius:

Terra parum fuerat fatis. adiecimus vndas, &c.

Consulatur & Hercule Furente v. 183. & seqq.

504. *- neveo corpus Ilisso fovet.*] Sic m. s. omnes.& annoto sanè pro raro, epitheton *nivei* flumini datum. Suspicabar aliquando *vitreo.* sed suspicio erat febriculosa: cuique ideo nemo acquiesceret sanus.

506. *Nunc nemoris alti densa metatur loca,*]Sic primæ edd. sic m. s. nostrorum pars maior; non *metitur*, vt præferunt recentiùs editi, nullo lepore.

510. *Iuvit aut amnis vagi.* &c.] Locus non integer-nam m. s. vno ore omnes; *Iuvat aut amnis.* vetusta editio: *Iuvit hic aut amnis vagi* &c. quæ differentia arguit falsitatem lectionis receptæ. quam sanent qui possunt, ego propero.

522. *Non in recessu*] Nostri etiam m. s. aliquot iuvant

vant coniecturam, *feteſſit*; ſed eam impugnat ratio verſuum.

532. *cinxerant vrbes latus*] Sic & m. s. noſtri. decorè. *latera* enim vocabantur, tàm quæ honorabant, quàm quæ tuebantur, vt pluribus oſtendi lib. XVI. cap. XI. Suſpicionum, antequam conſtaret mihi huic lectioni favevere Lipſium & Delrium. Vulgabatur priùs *vrbes lacus*. cui & ſuus ſenſus; ſed non iſto loco. quòd ſi; non ceperim ſanè de foſſis vrbes cingentibus aquâ perpetuâ: verùm de oppidorum, vt ita loquar, populo cingentium lacus mediterraneos: quo nomine veniant & pontus Euxinus, & Larius Lacus, & alia loca numeroſis coronata civitatibus. de quibus conſulendi Hiſtorici.

564. *Medea reddit*] Bonum hoc, agnoſcitque Scholiaſtes vetus, & alter Palat. reliqui tamen, *reddet*, cui & ſuus vigor.

576. *illæ feroces*] Sic retinendum eſt; iecto illo *ferociũ*, quod irrepſit nuperæ editioni. eſt enim Amazonum, non Veneris, epitheton.

585. *Repentè terræ corpus exanimum cadit*,] Sic vett. edd. ſic omnes m. s. noſtri. deinceps cuſi *Terrâ repentè*. tanquam ſi ſimplex verbum non ferret caſum eundem quem compoſitum.

597. *Forſan iugali crimen abſcondam face*.] Quidam hæc ita interpretantur, ac ſi Phædra exiſtimaret ſe poſſe familiariùs aſſueſcere Hippolyto citra ſuſpicionem inceſti, quòd eſſet nupta; populuſque arbitraretur vterum ferre ex Theſeo. Non abſurdè, ſi aut mulieres elephantum more gravidarentur, nec poſt decem menſes depoſitum ſuum proferrent (nam Theſeum quadriennium abfuiſſe, teſtatur ipſemet verſu 838.) aut nexus orationis pateretur accipi de Theſeo reverſo. eo enim caſu ſucceſſus ille ſcelus non honeſtaſſet, ſed texiſſet. Putarim potiùs dicere novercam, tantò confidentiùs inſtandum fatendumque amorem privigno, quòd fortè mutuò amaturus ſit, ac ſolennibus nuptijs ipſam ſibi jugaturus; non redeunte ab inferis Theſeo. Si quis inferat, illicitum per leges ducere novercam, ei impingam, *Reges qua libet ire:*

ne di-

ne dicam illo sæculo omnia adhuc confusa fuisse, neque exactiùs ordinata circa nuptias.

604. hoc, quod volo] Nostri etiam libri ferè omnes adtexunt, *me nolle*. excluſi tamen, quòd quibusdam adderetur ad oram cum glossâ, *sic subintelligendum, ac supplendum esse*. & sic certè debet.

619. regna tutari patris.] Sic iterùm mss. ad vnum omnes. Expressêre nuperæ editiones: *regna tutari vrbium*; non malè, nisi plus roboris maneret in lectione aliâ. non est quidē muliebre tutari regna vrbiū, sed minùs adhuc muliebre, tutari regna patris, vbi patri filius supereſt adultus; adde ex aliâ matre; vt ne opus quidem habeat ei cedere ob reverentiam.

622. servam tege.] Ita duo Pall. ita vetus Scholiastes. quare fidenter acceſſi sententiæ Lipsianæ, abiecióque alterum *rege*, quod heîc subrusticum; neque ex personarum decoro, sive famulam respicias, sive supplicem.

628. & Pluto sedet.] Nihil muto. moneo tantùm scriptos aliquot habere additâ literâ, *Pluton*. quam terminationem non refugere Senecam, pluribus docuit Notis suis ad Senecam Philosophum, singularis & invidendæ prorsus curiositatis, F. Iuretus.

635. Satisne dixit] Sic nostri vniversi; vt mirer prodere Delrium, in suis omnibus fuisse *dixi*.

678. tu nefas stirpis &c.] Aliâ interpunctione reddideris auctori decus suum. ineptè enim iubeat Hippolytus Soli attendere flagitijs stirpis suæ. imò sequentia id ipsum impugnant. Distinguatur igitur: *tu nefas stirpis tuæ Specula-re? lucem merge. Speculare* ponitur pro *specularis*: indignatúrque quòd se Sol non perdat medio die, ne spectet ipsam Phædram.

682. me fige.] Sic vnus tantùm nostrorum. plerique *in me fige*. vnus, *in me fuge*. quod alicui fortè allubescet.

739. Stella cùm ventis agitata longos Corripit ignes.] Abſit sugillem *Porrigit*, quod ex vv.ll. introduxerunt nobis viri docti. testor tantùm, nusquam id comparere in nostris. nec facere pro eo quod adducunt ex Troade:

Et stella longâ semitam flammâ trahens.

744. *Cùm ſuos ignes coëunte* &c.] Autumant nonnulli, eius ſectæ Senecam, cuius ſunt qui Lunæ proprium lumen attribuunt. Haud aſſenſerim; cùm alterius ſe opinionis demonſtrarit *Medeæ* verſu 97.

Cùm Phœbe ſolitum lumine non ſuo
Orbem circuitis cornibus adligat.

Suus heîc ſimpliciter ponitur, vt aliàs ſæpè ſine notâ proprietatis aut dominij. ſi non; dicatur & eiuſdem ſententiæ Livius lib. XLIV. *Clamor vlulatusque in caſtris Macedonum fuit, donec Luna in ſuam lucem emerſit.*

758. *Nec vultus nimium* &c.] Quidam putant verſum hunc præponendum ſuperiori, *Non vinces* &c. ſequentem verò *Omnes per populos fabula diſtulit*, locant inter verſum 775 & 776. At enim cùm ibi, meo iudicio, minùs propriè conveniat (imò, ſi quid in poëſi ſapio, ne conveniat quidem vllo modo) eum heîc retinuerim; vt & alios duos, approbantibus mſſ. omnibus & vetuſtè impreſſis.

761. *Langueſcunt folio lilia pallido*] Viri ſummi inſerendam putarunt vocem *folio vt lilia* è mſ. vno, eiſque obſecuti ſtatim plures. vellem liceret & mihi. ſed prohibet membranarum fides: & alioqui non abſurdè ſubintelligatur, *non ſic.* ita & ſupra durius adhuc, ſubintelligitur *procul ſint*, verſu 387.

-procul ſit muricis Tyrij rubor;
Quæ fila ramis vltimi Seres legunt &c.

Cui cùm non attenderunt alij, itum eſt etiam ad coniectiones non neceſſarias.

774. *Tempus ſed tacitum ſubruit,*] Ita omnes mſſ. vno tantùm excepto, in quo reſtat *te*, quod editioni ſuæ intulerunt alij. Non culpo: ſi quid tamen mutandum; fecerim literâ detractâ, *ſe*. Tempus enim ipſum ſe ſubruit, ideoque aſſimulatur Serpenti caudam devoranti.

782. *Laſciuæ nemorum Deæ, Montivagi Panes.*] Sic vett. edd. ſic mſſ. ſex, imò ſeptem; niſi quòd is *Montivagique.* Neque adeo novum eſt interſpargi alterius generis verſus. Illud quod Lipſius profert è ſuo cod. in nullo comparet libro mſ. Delriano. præterquam fortè vnico; & videtur à gloſſâ. nam & noſtrorum vnus:

Laſciva

Lasciva nemorum Deæ,
Montivagive Panes,
Panasque, que Driades, montivagos petunt.

804. *tu licet asperos* &c.] Arbitrantur alii quiddam heîc corrupti. forsan frustra. nam non variant vv. ll. & illâ interpunctione, quam modò expressi, sensus subest luculentus: vtique si admittamus, *arces vincere* Latinè dictum, pro *arces ne vincant*. Vult enim, si Dei aut viribus aut vastitate corporis cum Hippolyto contenderint, inventuros vel parem vel superiorem.

807. *Aequas Herculeos nam iuvenis toros.*] Hæc consona mss. scriptura; ideoque præposui vulgatæ, *iam*.

826. *In scelere* &c.] Sic mss. omnes; nisi quòd vnus, *In scele* &c. Vix admiserim *Et scelere*; multò minùs *Et sceleri*. Nam & sequentibus versibus omisit coniunctionum particulas. Arrideat potiùs Lipsiani libri lectio, *In scelera*; sive adeò, *En secla*.

829. *regium in vultu decus.*] Duo Pall. omittunt præpositionem; & exulet per me licet.

831. *Vt ora iuveni paria Pirithoo gerit!*] Non vanè suspicatur Delrius legendum *Hippolyto*, cuius rationes petantur è Commentariis. Ego potiùs odorer vitium in voce *iuveni*, non heîc modò, sed & Medeâ v. 107.

Nunc primum soceris sponte volentibus
Concesso iuvenes ludite iurgio.

Videtur enim sub illo *iuveni* latere vox quæ notet sociũ, contubernalem, amicum, vel aliquid adhuc coniunctius. Certè illud *Pirithoo*, mutandum in *Pirithoi*; arguunt Pall. quatuor, in quibus, *Pirithoi*: quorum duo præterea servant *iuvenis*, non *iuveni*. Cur autem haud satisfaciat illud *Hippolyto*, facit quòd Theseus jam per ætatem senior erat, quàm vt accipi deberet pro filio, nisi palluisset comâ incultâ: quippe etsi ei Medea noverca fuerit, non ideo tamen aut recoxit, aut esse dedit stabili iuventâ. quod vel liqueat ex istis Phædræ supra, v. 646: *Thesei vultus amo Illos priores* &c.

842. *manşit extincto mihi Sensus. malorum finis* &c.] Ita mss. quatuor. reliqui, vt & editi ferè; *mihi Mersus malorũ finis*. &c.

Sunt qui distinguunt fide mss. suorum, *extincto mihi. Sensus malorum finis Alcides fuit*, coactissimâ sententiâ. Mallẽ ego, *mansit extincto mihi Sensus malorum finis. Alc.* &c. vt velit, nullâ re intellexi me vivere, quàm sensu malorum, quàm cruciatu: cui tamen malo finem attulit Hercules.

882. Mors optima est perire, dum lacrimant sui.] Mirè variant mss. nec quisquam fovet scripturam vulgatam. est in vno, *perire lacrimantibus suis*; in altero, *perire lacrimando suis*; in ceteris, *perire lacrimandum suis*, quomodo & vett. edd. nec ita mihi fatuum videtur.

892. vim tamen corpus tulit.] Minùs ità decorè loquatur Phædra. itaque malim, *vim tantùm corpus tulit.*] Sed verò spondeum vix reperias illo loco versûs.

895. eluet noster cruor.] Mss. *elavet:* non ferè malè. ab *elavere* tertiâ coniugatione.

958. Fluctusque ab ipso tumidus Oceano voca.] Mss. ferè *Fluctusque ab ipso tumidos Oceano voca.* vnus etiã *Fluctusque ab omni tumidos.* Quod *omni* aliquem titillare posset, nescio an & me.

990. Restatque mœstus lugubrem vultũ gerens.] Conspicitur & in Pall. binis versus ille Delrio memoratus, *Rigatque mœstis lugubrem vultum genis?* & ita me Charis amet, vt libens substituerim alteri, quem Morboniã ablegaverim.

992. Cur me ad nefandi nuntium casûs vocas?] Sic nostrûm codd. novem, placuitque Delrio, sed ita vt haud ausus admittere in contextum. Vulgg. *nefandos nuntium casus.*

997. flebili leto occubat.] Non abhorrent alii ab, *flebili voto.* Sed quò minùs id heîc locum habeat, obstat tota fabula. Aderat nuncius Hippolyto, ideoque nihil ei constare poterat de voto paterno. Præterea, dubito an dicatur Latinè *occumbere flebili voto.*

1020. - quæ novum tellus caput Ostendit astris.] Si licuisset esse licentioso, isthæc attribuissem Theseo; nunc secutus Delrium, & mss. aliquot nostros, animavi interrogatione. haud tamen etiam mutavi *Ostendit* in *Ostendet*, contra libros, quòd idem sensus eliceretur è priori.

1028. Spumat vomitque &c.] Qui heîc versus traiiciunt, efficiunt vt auctor haud satis exprimat quod voluit; nempe

nempe mare non ſecùs ſpumaſſe & alternis vicibus evomuiſſe vndas, quàm ſolet phyſeter.

1036. Cærulea taurus] Mſſ. ſeptem, nec non Scholiaſtes, *Herculea.* & interpretantur ; *ſimili collo quo erat taurus quem Hercules devicit.* Satis novè. Et tamen *Cærulea* cur heíc minùs feram, eſt quòd paulò pòſt ſequatur: *cærulâ inſignis notâ Opima cervix* &c.

1045. Longum rubenti ſpargitur ſucco latus.] Ita conſtanter noſtri; niſi quòd vnus *ſuco.* maluit Lipſius *fuco,* quod & Raphelengius & Delrius textui commendarunt. equidem ſi & mihi licet eſſe divino, fecerim *ſulco.* Pomponius Atellanus: *Gerens præterea ſulcatim conciſam faciem.* Sed & *cutis ſulcata rugis,* notiſſima Poëtis.

1060. ſeque prætentans ſatis Proluſit iræ.] Iſtud malui, quàm aliorum *Præluſit,* propter præcedens *prætentans,* quod ei ſonum facit inamœniorem. & alioqui prius illud ſervant mſſ. ferè omnes, excepto quòd nonnulli, *Proluxit.*

1085. Præceps in ora gnatus, implicuit cadens Laqueo tenaci corpus, &c.] Sic olim excuſi, ſic mſſ. omnes; à quibus abire religio ob rotunditatem ſenſus. Aliæ edd, *In lora præceps fuſus implicuit cadens Laqueo* &c.

1099. Medium per iuguen ſtipite eiecto tenet;] Sic mſſ. præter vnum, in quo *erecto;* quomodo coniecit Raphelengius. neque adeò diſplicet, vt ſurrexerit in contrariam partem ſtipes, detento & cadavere, & curſu equorum.

1105. Errat per agros funebris famuli manus,] Vngues abſtinete Harpyiæ. Eadẽ locutio in Medcâ v. 980. *Huc huc fortis armigeri cohors, Conferte tela.*

1118. Haud flere honeſtè quiſquam &c.] Non reprehendo qui edidêre inverſis vocibus, *Haud flere quiſquã honeſtè quod* &c. Sed tamen, ſi credendum Fabricio, lectio vulgata eſt ab Avantio, fuitq; priùs: *Haud flere honeſtè quisque quod* &c.. *Quiſque* pro *quiſquam.* Et verò ſic quoque Scholiaſtes. mſſ. tamen octo adhærent ſcripturæ primæ.

1124. Minor in parvis Fortuna.] Ita ſcripſi vrgentibus mſſ. cunctis. Vulgati hactenus, *Minus in parvis Fortuna.* haud malè; niſi aliter placuiſſet auctori.

1129. Duros excipiunt Notos] Vnus atq; alter mſ. *Euros excipiunt*

cipiunt; *excipiunt Notos*; quod, expulsâ priore ſcripturâ receperunt pro legitimo auctoris editores nuperi. & verò ſic quoque extat in vno Pal. Ceteri patrocinantur vulgatæ; quam iterum revocavi in lucem, quòd non viderem valdè magnum diſcrimen inter hunc Eurum ac Boream, cuius ſtatim verſu proximo meminit Poëta.

1239. plebeia domus. Circa regna tonat.*] *Verſum poſtremum interſerui motus & fide Delrij, & auctoritate mſſ. Palatinorum ferè omnium; vnus tamen eorum ipſum collocat altiùs ſic:

Metuens cælo Iupiter alto
Vicina petit, circa regna tonat.

Quod tantum abeſt vt frigere mihi videatur, vt vix me contineam quin ordinem illum occupem. Abſtineo tamen calorem, dum & ſuos codices alii excutiant.

1188. O Mors amoris vna ſedamen mali;] Quibuſdam noſtris abſunt hæc omnia: qui habent, nihil variant. Itaque non recipio aliorum *ſolamen*; multò minùs præpono iſthunc verſui ſequenti.

1197. Mucrone pectus impium iuſto patet, &c.] Ita noſtræ membranæ.& præponderat illi, *iuſtò pete*, quod ſubſtituerunt alij. Quid enim hortetur Theſeum ad cædes, cùm aſſeveret conſuetudine homicidam? Imò indicat Phædra, præbere ſe pectus,nec refugere ferrum. Qui propiùs attenderit, mecumfacilè ſentiet: vtique ſi fingat totum verſum circumcinctum parentheſi.

1205, Vltimo quodcumque Proteus æquorum abſcondit ſinu] Eſt è libris noſtris, qui ſic vno ore omnes. Vulgati antehac, *æquoris abſcondat*; quod verſus reſpuit.

1210. incidi in verum nefas.] Sic noſtri ad vnum omnes; indignorque eſſe qui pro egregio habeant quod in ſuis codd. invenêre, *verum ſcelus*. vox enim illa heîc ferri non debet, niſi auferamus omnem item loci huius elegantiam.

1224. Cælo remiſſa findat] Longè præſtat quod eſt conſtanter in noſtris, *remiſſum*; vt ſe exprimat Theſeus.

1241, Caſti venimus.] Sunt qui ſcribunt verſum & rem flagitare, *Caſti redimus:* ſed an etiam perſuadent? certò

verſus

versus benè omninò habet. nec rationem vllam excogito cur non heîc æquè conveniat quàm alterum nullo subnixum libro archetypo.

1258. -fortis heîc dextræ locus; *Heîc læva frenis* &c.] Pall. ad vnum omnes, *fortis heîc humeri locus*; *Heic dextra frenis*. Et verò cùm sic quoque offenderint alij in vv.ll. ferè est vt inferri debeat contextui. Etsi habenas hodiè sinistrâ ferè regamus, an ideò nostrum est præscribere Senecæ?

1266. Et turpe multo vulnere ambesum vndique,] Sic restitui suadentibus codd. Pall. ferè omnibus, cùm extaret in editis, *& turpe multo & vulnere* &c. Dubitant quidam præterea, vtrum meliùs habeant nescio qui libri scripti, *abruptum*: meâ opinione, peiùs. Nostri profectò novem tuentur *ambesum*; ita dictum, veluti Virgilio V. Æneid. *ambesa flammis robora*.

1273. En hæc suprema vota genitoris cape, &c.] Nostri favent vulgatæ scripturæ; nisi quòd vni locus vacet verbo, *vota*, alióve reponendo. Ex optimi Lipsii libro reposuerunt editores alii *suprema dona*. Mihi non libuit tantum maiestatis tribuere testi vnico.

IN OEDIPVM.

Versu 1. *Iam nocte pulsâ dubius effulsit dies*,] Viri nostrarum artium primi autumant germanius puriusque, quod eruerunt è scripto vno:

Iam nocte Titan dubius expulsâ redit.

Ambigo an dici possis *dubius Titan*, pro eo qui non videtur. *Dubia dies*, est aurorâ primâ, ipso crepesculo. Sed & aliud *lux*, aliud *Titan*. vnde versu 545 infra,

Tristis sub illâ lucis & Phœbi inscius Restagnat humor.

Mox quidem (fateor) repetitur parùm inamœnè vocula *dies*, verùm eodem item versu repetitur dictio *nox*, quæ & heîc vnà comparet.

4. Iam cernet avidâ peste solatas domos.] Nihil abeunt ab hac scripturâ nostri libri novem. alierum tamen exemplaria dicuntur repræsentare *Perspicit avidâ*, quod & ab

iis collatum in textum, mutatâ ſyllabâ; *proſpiciet.* Non auſim imitari.

5. *Stragemque quam nox* &c.] Non diſſimiliter in Agamemnone v. 579.

Et damna noctis triſtis oſtendit dies.

13. *Curis ſolutus exul, intrepidus vagans!*] Sic libuit interpungere. alij enim, *curis ſolutus, exul, intrepidus, vagans!* Languidè. *Exulem* ſe quidem fatetur, ſed extra curas; *vagantem* etiam, ſed qui nihil trepidet.

18. *Eſt maius aliud patre* &c.] Non abſurdè Delrius, qui verſum iſtum tribuit Iocaſtæ. Nobis tamen haud viſum interrumpere ſermonem ſenis, cùm nulli id ſuaderent libri. Si quid mutandum, detraxerim potiùs notam interrogatoriam, vt ſit magis ſtupentis ac horrentis, quàm quærentis.

23. *Non ego*] Sic omnes mſſ. noſtri, non *Nunc ego*. beneque hæc explicat Delrius.

34. *Incolumis adſto.*] Neſcio, an falſi arguant lectionem noſtram membranæ: duo enim tantùm ſtant pro iſtâ; in reliquis eſt, aut *Incolumis ergo*, aut *Incolumis ore*. Mediam ſecuti fuerunt editores, hac interpunctione:

-Cui reſervamur malo,
Inter ruinas vrbis, & ſemper novis
Deflenda lacrimis funera, ac populi ſtruem?
Incolumis ergo, ſcilicet Phœbi reus &c.

Meis auribus non potui perſuadere, vt probarent. Si quid mutandum, malim *populi ſtruem Incolumis erro. Scilicet* &c. Cùm nulla, inquit, fugiam loca contagioſa, haud tamen inficior à peſte. Scitur, reges alios tali morbo vigente, petere receſſus avios, aut includi regiæ; certè non errare per vicos & compita.

45. *Triſtiſque mundus nubilo pallet novo.*] Præferunt alij quod erat in vno exemplari, *pallet die:* non ego. neque enim mentio diei, ſed noctis, vt patet ex verſu qui præcedit, & qui ſequitur. *Mundus* autem heîc ſumendus pro ipſo *cælo*; quemadmodum ſæpius; & nominatim Hercule Furente v. 18.

Mundus puellæ ſerta Gnoſſiacæ gerit.

49. De-

49. *Denegat fructum Ceres; Adulta & altis* &c.] Diſpungunt alij, *Ceres Adulta, & altis*. vt *adulta* ſit epitheton Cereris. Quod ineptum eſt. Ipſa, inquit, Ceres omiſit curam ſegetum; atque ea quæ iam adolevêre, ſuffocantur ab æſtu. Video & iſtud placuiſſe Delrio. ideoque tantò magis amplector tali ſuſtentatus tibicine.

52. *Nec vlla pars* &c.] Antea non malè legebatur: *Pars nulla regni immunis exitio vacat; Et omnis* &c. Sed præter exemplaria manu exarata (quorum reverentiam cur temerè patiamur exoleſcere?) nata illa lectio, quòd in nonnullis codd. extaret; *Nulla pars immunis*. itaque ne rueret verſus, interiecêre, *regni*, correctores librarij.

57. *Quin ipſa tanti*] Sic meliùs Pall. quàm *iſta*, quod erat in alijs edd.

63. *Suæque circa funus exequiæ cadunt.*] Eſt ſmaragdus aliquis orationis; ſtabiliuntque ingenuitatem eius mſſ. Pall. omnes. Malè liber ille qui ingerit, *Duæque*. nec puto Latinè dici, eo quidem ſenſu quo nonnulli capiunt: *incidunt gemina vnius funeris exequiæ; cui ducebatur, & qui ducebat*. Neque enim hoc vult auctor vllo modo; ſed, ex ijs qui funus comitabantur, nonnullos ſubitò ibi cecidiſſe mortuos.

97. *Sævi leonis more, concuteret minas*,] Hoc malui cum mſſ. omnibus Pall. & pleriſque Delrii: etſi ipſe defendat priùs vulgatum *Conciperet*. Concuſſu enim caudæ minas ſibiipſi excitabat Sphinx, iam quaſi ſopitas; vt in ſilice flammæ.

105. *Sphingis hæc merces datur.*] Eraſi notam interrogatoriam, volentibus m. s.

119. *Terga fallacis metuenda Parthi.*] Quidam verſum iſtum ſcribendum ducunt antè priorem, *Vidit & verſas* &c. vt fiat ſententia expeditior. At nihil opus eſt. ſecundus enim eſt quaſi explicator primi. Cùm tamen m. s. omnes ad vnum ſervent, *Terga converſi metuenda*, ſuſpicio oboritur animo, reſtituendum, *Terga non verſi metuenda*. vt feſtivè opponantur ſagittæ verſæ equiti non verſo; velitque auctor ita tenuiſſe artem ſagittandi, vt à tergo tela emitterent, neque ipſi tamen obliquarent

corpus. Quæ coniectura, meâ quidem opinione, non inarguta; quam confirmavi pluribus in Suſpicionum libris.

152. Perbibit peſtem latebroſa ſerpens;] Non eſt abſurda coniectura *Perdidit*, ſed ſupervacua; cùm enim ſerpentes naturâ ſint frigidi, multóque magis ſi ſint in latebris, narrat pro miro & ipſas ita perbibiſſe peſtem illam vt morerentur. interim etiam innuit non potuiſſe nocere, quæ enim arent, amiſêre nocendi vim.

168. durus ſenior, Navita crudus,] Duplici appoſitione, vt placet Fabricio. Subſtituëre alij: *Navita Charon*: & ita eſt in aliquot m. s. ſed labat verſus, & meliores favent vulgatis. Si quid vitij eſt, putarim ortum ex voculâ remotiore. Forſan, *Navita Porthmeus*.

264. Per regna iuro, quæque nunc hoſpes gero,] Scripturam hanc repoſui in ſedem ſuam, poſcentibus m. s. eiectâ veteri, *hoſpes rego*; vt non tam reſpiciat materiam quàm qualitatem. Sic dicimus *imperium gerere*. Nec diverſo valdè modo Tacitus lib. III. Annalium: *Porrò ſi hi duxiſſent provincias, cur Dialibus id vetitum?*

270. ſummum diem Securus alto degat in ſolio pater,] Locus ſanè tortuoſus ob diverſitatem lectionum. Lipſij cod. *reddat*: cui proximè accedit Colonienſis, in quo, *rodat*. Neſcio, an dicatur Latinè, *reddere ſummum diem*. Noſtri novem, *regat*. quod ineptum eſt. Sed nec animo ſatisfacit vulgatum, quamvis id non imperitè propugnent Commentatores recentes. Certè *ſummus dies* heîc eſt dies mortis, quemadmodum & Martiali: *Summum nec metuas diem, nec optes*. Inclino ſuſpicari turbellas huic loco, ob vocem paulò remotiorem ab vſu vulgari; *cludat*. Et ſi non ità ſcripſit Tragœdiographus, at debuit ſcribere.

280. Vnde altus ima deſerit,] Tò *arva* aliorum, minùs gratum habeo. quòd eadem vox paulò pòſt iteretur: neque eam agnoſcant m. s. noſtri novem.

310. Rectuſque purum verticem &c.] Haud nauci eſt aliorum *Recensque*, neque eis quiſquam accedit exemplarium noſtrorum. Optimi erat auſpicii, rectà in cælum evolans flamma cum fumo.

330. ſed

330. *ſed in alto mala.*] Abſcondita, nec facilè eruenda. Dixi plura in Suſpicionibus, ad illud Senecæ Epiſt. LXXX. *Nulla ſollicitudo in alto eſt.*

341. *Iuvenca ferro ſemet oppoſito induit*,] Nihil mutandum eſſe, pluribus oſtendi in libro peculiari, qui eſt *de Expoſitionibus infantum.* Nam quòd ſint quibus non diſpliceat *impoſito*, non video quomodo iuvenca ſe induat cultro impoſito.

347. *Vnîus per ipſam* &c.] Lectionem hanc ſelegi de multis, extabátque in duobus m. s. noſtris. In alijs erat, aut *Vivus*, aut *Vnus*, aut *Huius* quod vltimum & ſuffragatores invenit; neque nimis etiam ab eo abhorreo.

372. *Scrutemur vnde tantus hic extis rigor*,] Abieci perſonam Tireſiæ, vt ipſa adhuc loquatur Manto, accingatque ſe vt exploret cauſam rigoris. Porro m. s. omnes, loco *rigor*, præferunt *livor*, quod reſpuit Lex Pedia.

377. *Infecit arctas lividus fibras cruor.*] Admiſerunt alij *atras*, quibus non adiicio calculum. nam ſi *fibræ atræ*, non vtique potuit apparere in iis livor.

380. *viſcera effugiunt manum.*] Sic tres m. s. vnus præterea, *manus*. Vulgabatur, *manu.*

382. *territi fugiunt greges.*] Hæc eſt conſona lectio m. s. Pall. nam *territi reſonant greges*, quod ſuaſu librorum ſuorum textui communicarunt nuperi, metuo ne impleat mentem auctoris, requirentis vocem qualem edunt boves fugatæ præ terrore.

398. *Nam te, penes quem ſumma regnorum eſt, nefas Inviſere umbras.*] Commentatores quærunt cauſas, nec explicant. Ego puto ſimpliciter, quia haud licitum regibus videre aut tractare feralia, non magis quàm Imperatoribus *auguratu vetuſtiſſimiſve cæremoniis præditis*, vt loquitur Tacitus lib. I I. Annalium. De quo more ego plura in libellis Suſpicionum.

414. *Ederave mollem bacciferâ* &c.] Sic omnino legendum. Haud rectè qui ſubſtituëre *Bacchiferâ*, atque interpretantur, quæ fertur à Baccho & Bacchis. Requiro enim exemplum ſimilis compoſitionis. quippe compoſita huiuſmodi activa ſunt, non paſſiva.

455. *Vi-*

455. *Vivaces ederas ramus tenet.*] Cùm proximè præcesserit *ramos*, odioſè heîc repetatur *ramus*. quare applaudo coniecturæ Raphelengianæ, *remus tenet*.

502. *Oditque Baccho veniente fulmen.*] Insignis emendatio. Vt scilicet adventu Bacchi, non solùm depoſuerit fulmen. sed depoſuerit cum affectu, ita vt etiam oderit recordatus Semeles, & infausti concubitus. Vulgabatur antea, *Condidit Baccho*, elumbi sententiâ. Dicitur idem quod priùs. *Fulmen* enim *Iovis telum*. Sed & præter duos m. s. qui noſtram hanc tuentur, reliqui ferè omnes eidem alludunt, habentque *Quodque Baccho*.

551. *- ipſe funeſto integit Vates* &c.] Mirum, nihil his offenſos Criticos. Mihi sanè omnia laborare videntur battologiâ. Si enim Tireſias integitur corpus amictu funeſto, ſi ei palla lugubris perfundit pedes, cur sequitur? *Squallente cultu mœstus ingreditur ſenex*. Dum omnia penitiùs rimor, sensi auctorem non de vno homine loqui sed duobus, Manto nempe ac Tireſiâ. Itaque audacter edico reſcribendum, *ipſa funeſto integit Vates* &c. Et verò *Palla* propriè veſtimentum muliebre.

552. *& frondem quatit*,] Hæc eſt lectio codd. meliorum. Qui heîc invehunt *frontem*, nondum oſtenderunt, quomodò *quati queat frons*. At frondem quatiit, quam tenebat manu, inſigne tantùm non vatum peculiare,

563. *irrigat ſanguis focos.*] Sic etiam omnes noſtri. Nam abſque eis, secutus fuiſſem Regiomontanum codicem Fabricio laudatum, in quo, *ſanguinem libat focis*. Interim miror nuſquam mentionem filiæ fieri. nam vt hæc omnia Tireſias fecerit, haud animo iſti perſuadeo.

606. *Tepente Nilo penſat Arctoas nives:*] Cùm reſtet in tribus m. s. & Scholiaſte, *Torpente Nilo*, id commodè quis defenderit, vt notet tempus hyemale quo torpet Nilus, cùm tamen fluvii alij ferè tunc maximè tumeſcant: nam sub Brumam Ægyptum peti à gruibus, certum eſt. vt & hoc, Nilum demùm augeri ipſis Eteſiis.

619. *pudibundum extulit Caput* &c.] Sunt qui putant *extulit vix* heîc habere locum ob ſequentia; itaque tentant,

tant, *occulit.* Non erat neceſſe. Nam hæc elatio capitis referenda ad productionem Laii ab inferis, vi carminum factam. At verò vbi dicitur, *celare ſemet.* ſpectat conſcientiam iam emerſi, minimè ſuſtinentis erigere caput præ pudore.

629. *Maximum Thebis ſcelus Maternus amor eſt.*] Acumen eſt ab Ovidio lib: X. Metamorphoſ.

– Scelus eſt odiſſe parentem.
Hic amor eſt odio maius ſcelus.

Quod obiter moneo, cùm heîc ſileant tam prolixi aliàs Commentatores.

639. *-quique nec mos eſt feris, Fratres ſibi ipſe genuit:*] Sic ferè m.s. omnes. certè vnus tantùm præfert vulgatum, *quique (vix mos eſt feris) Fratres* &c. quod intricatum eſt præ altero, quo nihil evolutius. Qui, inquit, neque feris mos eſt, matrem amavit amore inceſto. Nec obſtat, quòd feræ quædã coeant cum parentibus; dicuntur enim hæc exaggerando ſceleri. vt & illud Hippolyto v. 918.

Feræ quoque ipſæ Veneris evitant nefas,
Generisque leges inſcius ſervat pudor.

650. *-Spiritus puros dabit Vitalis aura; veniet*, &c.] Lectio admodùm languida, & tamen coacta. Quam diſplicuiſſe etiam Delrio, inde colligamus, quòd diſtinxerit:

Reparabit herbas, ſpiritus puros dabit,
Vitalis aura veniet, & ſilvis decor.

Sed eo modo, meâ opinione, magis adhuc enervatur. Quare cùm repererim in m.s. Colonienſi, *puras auras*; capior reſcribere & interpungere:

– quacunque funeſto gradu
Solum relinquet; vere florifero virens
Reparabitur herba, ſpiritus puras dabit
Vitalis auras, veniet & ſilvis decor.

Nec refugio quò minùs hæc ad Lydium ſuum lapidem exigant Criticorum primi. nam vt à puero ſemper, ita etiamnum, *odi profanum vulgus & arceo.*

683. *-otium ac ſomnum ſequi.*] Sic Pall. omnes, reſtatque ſolùm *loqui* in Colonienſibus membranis. quod tamen non ſequor: cùm proximè ſequatur, *Ab inquieto ſæpe ſimu-*

ſimulatur quies. Illa enim ſimulatio non ſolùm in voce nudâ, ſed in vitâ totâ; & tanto quidem intentior, quanto plura fingunt qui ſimulant, quàm qui non. Adeatur Seneca Epiſt. XLV.

685. *- tam longa defendit dies?*] Lipſii liber, heîc & verſu ſequenti ſupponit *fides*, cui fere auſcultat natio doctorum. At enim, cùm dies æquè experimentum ſit hominis quàm fides; imò dies & ipſam exploret fidem; haud auſim ſollicitare vulgatum, contra m. s. noſtros: præſertim cùm nemo facilè probaverit Creontem ſæpè antea inſignia neſcio quæ fidei exhibuiſſe documenta. Sequentia profectò, tantùm volunt, hominem vixiſſe ſemper in otio; vbi rarior producendæ fidei occaſio: exeritur magis in negotio, cùm quis provinciis præficitur, cùm exercitibus, cùm. ſed taceo. neque enim loquor cum Davis, ſed cum Oedipis, quibus vel verbum ſatis erat.

702. *- Quiſquis in culpâ fuit; Dimiſſus, odit omne quod dubium putat.*] Locus vexatiſſimus: quare non vltrà rapiam ſublimem. tantùm dicam videri ſanum integrumque, ſed alio ſenſu quàm voluëre Interpretes. Quippe negat Oedipus eum qui vanos metus pavet, fateri veros: ſed obtinet, inquit, more; vt quicunque inſimulatus fuerit alicuius criminis, approbatâ deinde innocentiâ ſuâ omnes eos oderit qui ipſum pro nocente aut accuſarunt, aut accuſatum non propugnarunt; dubii ſcilicet nocens ne eſſet, an ſecus. Sententia veriſſima; quamque pluribus excutio in Diſſertatiunculis ad Tacitum.

769. *ſtipitis pulſu*] Ita omnes m. s. niſi ſi quibus verſus iſte abeſt, quorum vnus & Palatinus, alter Colonienſis. Vulgg. *impulſu.*

776. *Inter ſenem iuvenemque*] Ita mſſ. modulatè magis quàm, quod alii editi, *Inter iuvenem ſenemque.*

787. *quo cadat fato parens.*] Vnus liber, *cadit.* Nec hoc, nec illud placet. malim tamen vltimum.

797. *Tangis heu ipſos metus,*] Viſum iſtud convenientiſſimum huic loco, eratque in vno m. s. In aliis ferè eſt, *an*; in paucis *en*: quod etiam ferri queat. Niſi tamen fortè fuerit, *tangis ab ipſos metus.*

800. *Del-*

800. *Delphico monitu*] Sic mſſ. Pall. non, *admonitu*, quod occupat editiones alias.

804. *Regnum: ſuperbam liberi adſtringunt fidem*]. Ita mſſ. octo & antiquitus editi; nam recentiores, *Regum ſuperbam liberi adſtingunt fidem*. Quod vellem Commentatores eorũ interpretatione aliquâ apertè nobis evolviſſent. Meâ enim ſententiâ *fides ſuperba* dicuntur ipſi ſubditi ſuperbi, quorum fides adſtringitur prole regiâ. Præmium ergo nati ſubditivi, regnum fuit.

805. *-quo excipias modo.*] Malim *excipis*.

864. *Ignoſce quæſo* &c.] Novam invexi interpunctionẽ, novum poſitum perſonarum, ſecutus iudicium meum & Delrij. Id cui diſplicet, per me licet receptam editionum faciem revocet, quæ talis:

OED. *Huc aliquis ignem: flamma iam excutiet fidem,*
Per tam cruentas vera quærenti vias.
PH. *Ignoſce quæſo. ſi ferus videor tibi,*
Et impotens: iam parta vindicta in manu eſt.

Quæ, vt cui ſe approbet, valdè metuo. At noſtra diſpunctio præfert orationem Oedipi imperfectam, volentis addere; minas has ſuas non proficiſci ab mente tyrannicâ; non: ſed agi hac quæſtione ſalutẽ ſuã pariter ac regni.

871. *-in infeſtum caput.*] Ita de compacto Pall. omnes. Vulgati ferè, *infauſtum*. Delrius, *inceſtum*; neque improbo.

887. *Lenis, at modicũ fluens, Aura* &c.] Secutus ſum conſenſum plurium librorum, quos produxit Delrius. qui tamen malebat, *Lenis ac*, vel *aut*. Antea fuerat: *Lene ſed modicum fl.*

890. *Tuta me mediâ* &c.] Etiã & heîc aſſenſum præbui Delrio, & verſûs & ſententiæ cauſâ. Priùs legebatur: *Vitâ decurrente viâ*. Quomodo cuſtodiunt Pall. omnes; niſi quòd vnus, *decurre*, alter *Vita currentem viâ:* haud abſurdè, ſed minùs verè. Erat etiam codex qui duos hosverſus haberet ad oram, cum notâ: *Aliqui ſic: aliqui non habent.* & verò non agnoſcit Scholiaſtes.

892. *viâ; Gnoſsium regem timens:*] Sic diſtinguendũ duxi. nam ſi periodi nota collocetur ante *Gnoſſium*, omnia coactè procedent, & intricatè.

911. *poſtes*

911. *postes sonat Regios famulus manu; Mœstus, & quassans caput.*] Rèduxi lectionem editionum exoletarum, aplaudente Delrio. Priùs erat, *postis sonat. Mœstus & famulus manu Regius quassat caput.* Quod nunquam potui concoquere: nam *quassare manu caput*, insubidum semper duxi; quatitur enim caput motu nervorum. Sic Plautus Asinar. Sc: Vt demonstr. *quassanti capite incedit.* item Bacchidibus Sc. Ibo in Pyræum:

Subducunt lembum capitibus quassantibus.

Ita enim ibi planè m. s. nostri; ne quis malit cum Lambino *cassanti* & *cassantibus*, id est, inquit, *demissis dejectisq́.* Nam falsissimum est, quod idem ait, *quassare caput* esse tantùm minantis: imò & indignantis est, & tacitè intra se irascentis ac mœrentis. Nam, quod adhuc addit, non dici posse Latinè, *quassanti capite*; cùm *quasso, as* sit verbum activum, & Latini dicant, *aliquem quassare caput*, activè; rideo herclè, rideo.

917. *Damnavit ipse; regiam infestus* &c.] Robustiora hæc feci transpositu distinctionis; vt nimirum haud expectarit alorum sententiam, sed ipse se damnarit. Sine nervis, ante legebamus, *Damnavit: ipse regiam* &c.

922, *-gelidus fluit Sudor per artus*] Audaciore figurâ Pall. omnes; præter vnum, *volat Sudor p. a.* quod & in Scholiaste reperias; neque valdè damnem.

945. *-iterum mori Liceat, renasci semper.*] Vim & mucronem sententiæ auferas, si substituatur, quod nonnulli coniiciunt, *Licet ac renasci.* Imò ἀπὸ τοῦ κοινοῦ repetitur, *liceat renasci semper.* Quid, quòd præcessit *novetur*; qui modus non admittit indicativum.

953. *-vultus gravat Profusus imber,*] Ita m. s. penè omnes, non vt est in hactenus vulgg. *Perfusus.* Non multum refert, hoc an illud substituatur: sed detur hoc antiquitati, vt vincat lectio, quæ mentis sanæ pluribus suffulcitur destinis.

987. *Omnia certo tramite vadunt.*] Non displicet, *septo*, quod est in nonnullis codd. citaturque à Bocacio. Hoc est, quem transilire, quem declinare nequeas ob sepimentũ. Sed nec abhorreo ab eo quod servant Pall. *secto tramite.*

1007. *Sen-*

1007. *Senſimve raptũ traxit afflictũ* &c.] Lipſius egregiè *Senſitque raptum. dubitat, afflictũ*, è mſ. ſuo ſcilicet; niſi quòd is, *ſenſitve*. Cupidè admodùm ſequerer; ſed cùm rarò diſcrepent membranæ in vocibus notis; neque Pall. noſtri varient ab eis quos excuſſit Delrius; præter quam quòd in vno *Senſumque raptum*, in alio, *Senſumve raptum*: haud temerè ſuſpicer remotius adhuc latere vlcus. Certè illud *traxit* ex hiſtoriâ eſt: nam in Thebaide v. 363. clarè extat,

Felix Agaue, facinus horrendum manu
Quâ fecerat, geſtavit, & ſpolium tulit &c.

Veniebat quidem in mentem, *Surſumque raptum traxit*, ſed remotius aliquid ſubeſt. Nam meâ opinione Iocaſta in eo tantùm repræſentavit Agauen, quòd ſupervenerit Oedipo, paſſo capillo, vultu attonito, corde anhelo, curſu effreni, ideoque prorſus ſimilis furenti.

1012. *Quis frui & tenebris*] Ita mſſ. omnes. Aberat antea libris vocula *&*; quæ per me poterit commutari vel in *hei*.

1039. *qui virum & gnatos tulit*.] Sic vnâ quaſi conſpiratione mſſ. novem. & rubor fuit excludere, vel pudoris ipſius cauſâ. Nam alterum illud vulgatum, *quî virum & gnatum tulit*, tam eſt obſcœnum, ob ambiguitatem vocis *tulit*: vt ne putem quidem ferendum in Tragœdo.

1059. *& horridus mortis tremor*] Blanditur admodum auribus quod reſtat in quinque ſcriptis noſtris & Scholiaſte, *horridus morbi tremor*; quo ſignaret *febrim querqueram*, Eumenidum quartam.

IN TROADA.

Verſu. 13. *Ripam catervis Ponticam viduis ferit, Exciſa ferro eſt Pergamum* &c.] Ita ſcripſi, ita interpunxi, ſententiâ iubente. *Pergamos* ſubſtituerant recentiores. neſcio, an volente verſu: certe contra Pal. omnes & aliquot Delrianos.

31. *-quo ſtetit ſtante Ilion*;] Bella iſta, imò belliſſima emendatio è m. s. Lipſij, quare digna & mihi lucè; etſi non addicerent auſpicia librorum amicorum: præcipuè cùm vulgatum priùs, *quodque ſtetit ante Ilion*, ſenſu careat, nedum venuſtate.

46. *Æacidæ armis:*] Sic m. s. ſed an recte? vitium eſt in verſu, niſi producitur ſecunda in *Æacidæ*. quod an liceat, miror nondum monuiſſe Criticos.

50. *Enſis ſenili tinctus è iugulo redit.*] Parcite ferro. omnia pura puta. Exaggerat auctor facinus quòd ſenem occiderit, & eum quidem cui vix tantum ſanguinis vt enſem tingeret cruore, nedum qui ſanguineam vndam evomeret, aut adeò ferrum vnà expelleret, quod ſolent alii. Sic & infra Agamemnone, de eodem Priamo:

Vidi, vidi ſenis in iugulo
Telum Pyrrhi vix exiguo
Sanguine tingi.

Hucque etiam reſpexit Lucanus lib. II. Pharſaliæ v. 126.

Te quoque neglectum violatæ Scævola dextræ
Ante ipſum penetrale Deæ ſemperque calentes
Maculavêre focos, parvum ſed feſſa ſenectus
Sanguinis effudit iugulo, flammisque pepercit.

57. *Dominum ecce Priami nuribus* &c.] Ita noſtri ſcripti omnes vno conſenſu; non *Domum*, aut *Donum*, vt placuit aliis.

100. *Coma dimiſſa eſt libera nodo.*] Hoc malui, præeuntibus m. s. quàm *demiſſo*.

172. *cæcos traxit ex imo ſonos.*] Sic m. s. Pall. nullo diſſentiente. Quibus addatur ſtabilimenti loco iſtud Suetonii, Galbæ cap. XVIII. *Vrbem quoque & deinde Palatium ingreſſum excepit terra tremore, & aſſimilis quidam mugitui ſonus.*

191. *- debitos manibus meis Auferte honores,*] Nullum vitium in verſu: nedum vt emendari debeat, *debitosque manibus Auferte*. *Manus* enim heîc prorſus, victoriæ manu partæ, quomodò vox illa millies ſumitur & auctori noſtro, & aliis.

197. *- altâ nocte diviſit diem,*] Sic Pall. ferè omnes, nam duo, *dimiſit*. Vulgati ferè, *altâ voce dimiſit*. malè. nam

præ-

præceſſit, *Implevit omne littus irati ſonus.* dicitque eo loco exortas tenebras quò Achilles diſparuit: ipſasque, vt fit, diviſiſſe claram lucem.

202. *Triton ab alto cecinit Hymenæum choro.*] Sic m. s. niſi quòd vnus, *choro*: cui lectioni ſuus ſenſus: vt Triton cecinerit choro Hymenæum ab alto. Sed ne quid diſſimulem, magis egregia eſt ſcriptura cod. Lipſiani, *Tritonum ab alto cecinit Hymenæum chorus*; & aut ita ſcripſit Seneca, aut ſcribere debuit.

206. *-quicquid adiecit moræ*] Editi hactenus, *obiecit*, præter auctoritatem mſſ.

265. *-Troia nos tumidos facit Nimium ac feroces*, &c.] Audacter ſatis qui textui intulit, *timidos*, contra libros, ne dicam venuſtatem orationis, imò veritatem. Alterum profectò heîc propriè convenit; quod pateret magis, ſi diſtingueret quis mecum:

-Troia nos tumidos facit
Nimium & feroces? ſtamus hoc Danai loco
Vnde illa cecidit.

Pari argumento Florus lib. IV. *Sanè & ipſe ante aciem mœſtior, non ex more Cæſar, ſive reſpectu fragilitatis humanæ, ſive nimiam proſperorum ſuſpectam habens continuationem: vel eadem timens, poſtquam idem eſſe cœperat quod Pompeius.*

331. *At nunc miſericors virgines buſto petis.*] Sic omnes Pall. novem, & requirit ſententiæ nexus: cuius elegantiæ plurimum demunt qui ſuggeſſerunt, *An non miſericors.*

338. *His iſta iactas*] Ita omnino poſtulat & ipſa mens Pyrrhi, & ipſa ratio; quæ magis appareret additâ notâ interrogatoriâ. Non benè qui reciſâ literâ invehunt, *iacta.* ita omnis perit vis, omnis venuſtas, meâ quidem opinione. quam etiam firmant edd. vett. & m. s. noſtri.

393. *vt calidis fumus ab ignibus* &c.] Quibus ferè placuit, *calidus*, non attenderunt ſequi *fumi* epitheton verſu proximo, *ſordidus.*

428. *Exoritur aliquod maius è magno malum.*] Vulgati in hunc diem, *maius è malo malum*, contra mſſ. & verſum. nam auctor vix eâ ſede tolerat iambum.

449. *Non ille vultus flammeum intendens iubar,*] Antea legebatur

gebatur *incendens*, quod expunxi hortantibus mſſ. octo,& vetuſtiſſimâ editione.

465. Spes vna Phrygibus, vnica afflictæ domus,] Ita oportet legi : quod moneo , quia neſcio cuius culpâ, irrepſit in primas edd. *Spes vnica Phrygibus*

475. -Sed mei fati immemor Tam magna timeo vota, &c.] Minùs benè qui heîc textui inſeruerunt,*memor*. ſive enim reſpicias præcedentia, ſive ſequentia, firma manet vulgata. quam pluribus quaſi columnis munii in Suſpicionibus.

486. Opibuſque magnis ſtruxit ; in luctûs ſuos Rex non avarus.] Sic diſtinguendum erat monitu Commelini. *Rex non avarus in luctus ſuos* margaritam putem orationis, quæ neſcio quâ conchæ ſuæ nubeculâ latebat diſpunctione alterâ, *Opibuſque magnis ſtruxit in luctus ſuos, Rex non avarus.*

491. vix ſpei quidquam eſt ſuper &c.] Nuperi Correctores perſonas permutant: nec diſplicet, verùm haud quoque placet, vt digner ſequi.

548. - poſt hyemes decem Totidemque meſſes] Aureola & mihi correctio quam è libro ſuo depromſit Lipſius. cùm tamen eam non agnoſcant libri ceteri, ita contextui intuli, vt facilè paſſurus ſim iterùm indè eijci,admiſſâ priore,*poſt annos decem Totidemque menſes*, vbi quis probaverit,vndecim ferè annis obſeſſam Troiam.

583. Stulta eſt fides , celare quod prodas ſtatim.] Manuſcripti aliorum aliquot, ignorant hunc verſum : ſecùs noſtri novem, omnes enim agnoſcunt : duo tantùm infra locant antè verſum *589. Animoſa nullos* &c. quo poſitu etiam conſpicitur in edd. promiſcuis. minùs rectè : vt & prodidit Delrius.

589. VL. *Animoſa nullos mater admittis metus.*] Ita mſſ. omnes, non, *admittit* nuper-natum: quod improbem.improbabunt & alii, ſi hæc putarint pronuntiari per admirationem ſimul & indignationem.

698. Miſero datur quodcunque , Fortunæ datur.] Reformabat vir maximus, *Miſeræ datur quodcumque fortunæ,datur.* quod textui indidit Raphelengius ; non etiam Delrius, quam-

quamvis probet. Probarem etiam ego, nisi heîc supervacuũ esset meminisse beneficii, & docere quodnam verũ esset, quod non. Imò absterret Vlyssẽ, innuitque futurũ, vt si preces eius spernat, irritet Fortunam, Deam inquam Dearum, quæ tunc demùm habetur reverenter, cùm non sævitur in miseros.

760. *anchoras classis legit.*] Etiam vnus atque alter è nostris, *legat.* quod ferri quoque queat; sed magis tamen, *ligat*, vt est in vno Pall. etiam in altero, sed erasum scalpello.

799. *talis è nostro sinu Te rapiet hostis.*] Codex vnus Pal. *Te rapit.* alter, *Te raptat.* vt vero simile fiat, fuisse, *Te raptat.* certè mihi plenius est & vegetius.

871. *-ad auctores redit Sceleris coacti culpa.*] Editiones priores, *auctorem*, sed non adstipulantibus chirographis.

898. *Cùm dimicantes lenta prospiceres viros,*] Assensus sum libro Lipsiano & nostris septem. Vulgata lectio, *læta*, nauci non est; quicquid alii dicant. Vt ut feminæ forsan non attendant decoro inter conviciandum; at attendunt feminæ scenicæ; vtpote quas non sinit esse sui iuris Tragœdus: freno suo regit, hoc est rationis.

903. *-dignè planctus & gemitus sonent.*] Ita Pall. octo. Antea cusi, *digni planctus.* non malè, nisi obtemperandum esset vetustati: vtique vbi minimum peccat, aut peccare iubet.

923. *-iudicem iratum puta Habitura caussa est.*] Vnus Pal. accedit Lipsiano codici, habetque, *iratum mea Habitura.* quem sequerer, nisi vererer esse à glossâ. nam cur, quæso, abijssent à voce notissimâ & planâ tot libri, sine caussâ?

953. *Quàm tenuis anima vinculo pendet levi!*] Sic ll. m. s. Alij edd. *anime.*

964. *dura & infelix age Elabere anima: denique hoc vnum mihi*] Videbitur vividior sententia reformatâ interpunctione, *Elabere anima denique: hoc* &c.

983. *-regibus reges dedit?*] Sunt qui coniiciũt, *regibus haud re-*

ges dedit. ſed fruſtra, vt explicui pluribus lib XX. Suſpicionum cap. IV.

991. Hectoris ſpolium feret, Qui tulit Achillis?] Quia geſſit in vtero Hectorem, inquiunt alii. Ego ſimpliciùs, quia parens & filius reputantur vnum & idem, neque poſſit triumphari mater, niſi dehoneſtetur in matre etiam natus.

995. Me mea ſequantur fata:] Ita & noſtri Pall. aliquot, vt ſit optantis. Vulgò, *ſequentur*, minùs benè: neque enim id ipſa ſcire ac polliceri ſibi poterat Hecuba.

998. interim haec pœna in loco eſt. &c.] Non ſatis capio: neque admodum iuvant libri; niſi quatenus diſcrepent, habeantque nonnulli, *interim hoc pœna in loco eſt.*

1012. Lentius luctus &c.] Vulgg. *lenius*; ſed diſſentiente mſſ. cohorte noſtrorum totâ. itaque diſplicuit.

1014. Semper, ah, ſemper dolor ipſe magnus] Verſus merè adulterinus. membranæ enim pro his omnibus ſolùm habent, *Dolor & magnus.* Ita, inquam, noſtræ numero novem; niſi quòd vnus recentioris ſcripturæ ſervet item, *Semper, ah, ſemper Dolor & magnus:* hactenus, vt cândem manu exprimatur lectio altera ad oram, tanquam ſincerior.

1016. Seque non ſolum placuiſſe pœnæ.] Sic malui cum mſſ. omnibus noſtris, quàm *patuiſſe*, quod eſt in vulgatis.

1023. Pauperi ſurgent animi iacentes.] Nullæ ſunt membranæ Pall. in quibus hæreat illud aliorum, *recentes*; eſtque algâ vilius.

1041. Et nihil præter mare cùm viderent,] Alij nullum ſe dicunt vidiſſe mſ. in quo verſus iſte compareret. at ego eum invenio in Pall. quatuor à manu primâ, in alteroque adhuc à ſecundâ; agnoſcitque Scholiaſtes antiquus eiuſdem Bibliothecæ.

1043. Solvet hunc cœtum, &c.] Hactenus comparuit in editis, *hunc queſtum,* &c. nolentibus mſſ. qui omnes propugnant alterum; & meritò.

1047. fugietque littus.] Sic meliùs mſſ noſtri omnes, quàm vt hactenus vulgg. *fugientque littus,*

1077. Vndique affuſâ ducum, &c.] Ità & idem, non *effuſa*, rectè. nam *affuſum* cingit, *effuſum* adhuc in curſu eſt.

1083. hunc

1083. hunc fagus tegit,] Cùm in nullo varient Pall· quàm quòd exhibeat vnus, *regit*, haud eam ausus assumere audaciam, vt admitterem aliorum *gerit*, ob versum sequentem: tanquam heîc scilicet agat arbor, ibi patiatur.

1104. In media Priami regna.] Sic omnes mss. Editi dudùm adtexunt, *non trepidus puer*; quorum nec vola nec vestigium in plutearíis libris aut editionibus antiquissimis.

1116. silicis incursu caput Ruptum] Sic Pall. Vulgati, *incusſu*. Lipsij codex, *impulsu*. Prætuli consensum plurium.

1118. Hic quoque est similis patri.] Coniectaveram aliquando, *hoc quoque*. Nunc cùm videã rarò vsurpare iambum istâ sede, rescripserim, *sic quoque est*, &c.

1144. & ferè cuncti magis Peritura laudãt.] Sic egregiè restituit detractâ literâ Lipsius, cùm repræsentarent mss. *Perituram*. Ego aliâ adhuc literâ mutatâ, libenter legerim, *vt ferè cuncti magis Peritura laudant*: sic sanè rotundior exoriatur gnome, parentheſi includenda.

1164. abduxit statim &c.] Ita & mss. nostri; at Petrus Victorius lib. XV. Variarum Lectionum cap XVII. & M. Antonius Muretus, repositum ibant *obduxit*. Laudo; haud tamen ita vt digner sede istâ, altero eiecto.

1174. me solam times Vitasque gladios inter &c.] Mucronẽ isti loco addam interpunctione mutatâ: -*me solam times*
Vitasque. gladios inter ac tela ac faces
Quæsita totâ nocte cupientem fugis.
Distinctio vulgaris betâ est languidior.

IN MEDEAM.

Versu 19. *Mihi peius aliquid, quod precer sponso malum: Vivat.*] Ita reposui auctoritate mss. Pall. Antè vulgg. *aliquod*. Ceterùm alij hæc aliter intelligunt: mihi simpliciſſimum videtur, subintelligere voculam *est*, vt dicat, quod ad Iasonem spectat; non indigere operâ Furiarum: esse enim sibi ad manum quod ei imprecetur omni morte peius; vitam exulem atque inopem.

29. & spectator &c.] Ita quidem plebs mss. codicum: sed exoscules tamen divinationem Lipsij, *& spectatur*;

quamvis pro alio pugnet vir magnus. Ergo,inquit,Sol videtur?& videtur quidem ſine nube? videtur curſu ſolito? Alterum nervos non habuit: iſtud vel elephantum armatum perforet.

36. Cremata flammis maria committat duo.] Alij recepêre, *committet:* haud neſſariò; certè contra mſſ. & ſi attendamus, non tam miratur Medea, quàm imperat ac decernit,quaſi ſi dictatrix eſſet.

53. quo virum linquis modo?] Antè cuſi, *linques.* minùs rectè, meâ quidem ſententiâ; & invitis m. s. melioribus.

55. Quæ ſcelere pacta eſt; ſcelere linquetur domus.] Miror nemini arriſiſſe hanc ſcripturam, prolem libri Lipſiani. Lectio *parta eſt*, non placet; vtique cùm eam reſpuant etiã Pall. quatuor, item Scholiaſtes.

77. Et quæ Taygeti iugis Exercent iuvenum modo.] Retinui lectionem editionis Fabricij, propugnante eam totâ familiâ codicum Pall. Non malè quidem retrò vulgati, *Et quas Taygeti iugis Exercent*, niſi noſtram defenderet locus infra v. 214.

Armata peltis quicquid exercet cohors
Incluſa ripis vidua Thermodontijs.

Ita enim ibidem membranæ, non *exterret*, vt editur.

82. Cedent Aeſonis duci, Si formâ velit aſpici] Sunt qui verſus hos invertant; me non adſentiente. innuit enim non captare Iaſonem laudes à formâ; eſſe potiora quibus cenſeatur. Neque aliter autographi codd.quos excuſſi.

62. Vir longè ſuperet viros.] Lipſianus liber, *Vir longè vt ſuperat viros.* nec damnarem; niſi damnarent ad vnum omnes Pall. videreturque Chorus dicere, ſufficere ſi ita inter humanas nuptas excellat ſponſa, vt inter viros ipſe ſponſus,nuptas dico;non virgines;nam de eis mentio fiet ſtrophâ ſequenti.

106. Nunc primùm ſoceris ſponte volentibus] Quibus heîc potius videtur, *ſponſe*, non attendunt, odiosè tunc iterari verſu ſequenti, *iuvenes.*

111. -ſuccendite pinum.] Verè reprehenduntur à Delrio qui ſubſtitutum eunt *ſpinum:* cuius rationibus addatur licet, à voce tali abhorrere figuram verſus. neque enim

enim vſquam ferè Seneca ſyllabam corripit quæ præcedit *ſt. ſp. ſc.* &c. quod ſemel dictum, ſemper meminerit iuventus & imitetur.

113. Feſta dicax fundat convicia Feſcenninus.] Sic Pall. omnes. & cur id improbum alijs? imò illud *ſolennia* quod invenêre in cod. ſuo, ſpurium eſt; eius videlicet, qui in re lætâ non ferebat convicia. nam ſi eo nomine peculiariter vocati fuiſsent *ioci nuptiales*, extaret eius rei volâ vel veſtigium aliquod in hiſtoriâ Romanâ. at *convicia* etiam nominantur & Lucano lib. 11. Pharſaliæ, & deſcribuntur D. Ioh. Chryſoſtomo Homiliâ XII. in Epiſt. Pauli 1. ad Corinth. quæ, quia neq; ipſe Briſſonius produxit in opere illo abſolutiſſimo *De ritu nuptiarũ*, heîc oculis ſubicci: εἰδὲ τὰ ἐκτεῦθεν, λοιπόν. ὐκ ἐν ἡμέρᾳ μόνον, ἀλλὰ καὶ ἐν ἑσπέρᾳ μεθύοντας ἄνδρας, καὶ κεκραιπαλῶντας, καὶ πεπυρωμένους ὑπὸ τῆς τρυφῆς, οἱ καὶ θ' ὕψους ὁρᾶν παρασκευάζουσι παρθενικῆς· καὶ ὐδὲ ἐπὶ τῆς οἰκίας, ἀλλὰ διὰ τῆς ἀγορᾶς εἰς ἐπίδειξιν ἐκπομπεύουσι, μετὰ λαμπάδων αὐτὴν παραπέμποντες ἐν ἑσπέρᾳ βαθείᾳ, ὡς πᾶσιν αὐτὴν ἐπιδεικνυσθ'· διὰ ὧν ποιοῦσιν, οὐδὲν ἕτερον παραινοῦντες, ἢ ὅπι πᾶσαν ἀποδύσασθ χρὴ λοιπὸν τὴν αἰδῶ· καὶ οὐδὲ μέχρι τούτων ἵσανται, ἀλλὰ μετὰ αἰσχρῶν ῥημάτων αὐτὴν ἄγουσι. καὶ τοῦτο νόμος ἐστὶ παρὰ τοῖς πολλοῖς· καὶ θεοπέται, καὶ μαντεῖαι μυρίοι πᾶσι, καὶ ἐλέσθαι, μετὰ ἀδείας λοιπὸν ἅπαντα φθέγγονται ἅπερ ἂν βούλωνται, εἴς τε ἐκείνην, εἴς τε τὸν ἐκείνῃ συνοικεῖν μέλλοντα· καὶ σεμνὸν μὴ οὐδὲν, πάντα δὲ αἰσχρὰ καὶ ἀσχημοσύνης γέμοντα· καλὴ γὰρ οὐκ ἔξει διδασκαλίαν σωφροσύνης ἡ νύμφη, τοιαῦτα μὴ ὁρῶσα, τοιαῦτα ἢ ἀκούσασα. καὶ ἄμικτός τις ἐστὶ διαβολικὴ τῆς τοιαῦτα παραινούντων, ὑπερβάλλεσθ θατέρους τῇ τῆς ὀνείδων καὶ τῇ τῶν αἰσχρῶν ῥημάτων φιλοτιμίᾳ, δι' ὧν καταισχύνουσι τοὺς συνιόντας. καὶ κεῖνοι νικήσαντες ἀπῆλθον, ὅσοι πλείονα τὰ ὀνείδη, καὶ μείζονα τὰ αἰσχρὰ προσέρριψαν.

114. tacitis cæat illa tenebris,] Accommodant iſthæc alij *moritura:* ſed præter omnem rationem; cùm auctor intelligat per *tacitas tenebras*, nuptias vbi nullæ conſpiciantur faces, nulla exaudiantur cantica. nimirum mordet heîc nuptias Iaſonis priores cum Medeâ. Conſulatur Lucanus libro altero, vbi agit de nuptijs Marciæ ac Catonis.

126. – hoc meis ſat eſt malis.] Ita m. s. omnes; ideoque placuit. placeret magis, ſi accederet nota interroga-

tiva. Antè edebatur : *hæc meis ſatis eſt malis.*

132. -funus inceſtum patri.] Criticorum principes certatim probant, *funus incertum* : ſed ſi excutiatur vis vocis eius, fruſtrà. Mihi accommodatius videbatur quod aliquando conieci, *funus ingeſtum patri.* Quam dictionem etiam alibi in Suſpicionibus aſſerui Claudiano, apud quĕ antea legebatur :

Reſpuit inceſtum ; quod vi, quod poſcere ferro
Poſthabitâ pietate ſolent.

Sic enim minùs recedebatur à literis, quàm ſi admiſiſſemus, *Reſpuit hic ſceptrum* , quomodò alijs veniebat in mentem.

152. Patiente & æquo motus animo pertulit,] Ita Pall. præter vnum, in quo *Patienter & æquo motus.* Conieceram aliquando, *mutus*; neque adhuc diſplicet. quamvis non improbem etiam aliorum, *immotus.*

154. Profeſſa produnt odia vindicta locum.] Ita & Palatinorum vnus. quod cùm firmaretur m.s. aliorum fide, fidenter abieci vulgatum, *perdunt.* quod ineptum eſt.

160. Tunc eſt probanda, ſi locum virtus habet.] Pall novem vnâ quaſi linguâ, *Nunc eſt.* Nec hoc, nec illud arridet. certè *Tunc* incommodè applicatur ſequenti, *ſi.* & aut omnia me fallunt, aut vox *probanda* aut alia quæ ſincerior, nunc exul, reſpicit magis ad *fortunam* quàm ad *virtutĕ.*

197. CR. *I querere Colchis.* MED. *redeo: qui advexit, ferat.*] Sic quinque m. s. non *avexit*, vt erat in alijs : quod tamen haud reiicio.

198. Vox conſtituto ſera decreto venit.] Ita rectè Palatinorum vnus. perperam reliqui, *Nox*: etſi & eam lectionem interpretatione fovere nitatur doctiſſimus Commentator. Reſpicit enim ad P. Syri verſum,

Damnati lingua vocem habet, vim non habet.

De quo ego ibidem pluſcula.

204. -quamque regale hoc putet.] Si quid mutandum, finxerim: *quamque regale occupet* &c. nam m.s. aliquot noſtri, *hoc caput.*

296. - abſcindas licet: Et ipſa propero. CR. *capite* &c.] Reduxi lectionem diſtinctionemque aliquot Pall. vt & antea

tea quoque reponendum cenſuerat Raphelengius. quem miror haud etiam ſecutum eſſe alios: cùm præ iſtâ ſcripturâ altera enervis ſit & frigida, quæ habet, *abſcindas licet.* CR. *Et ipſa propera. capite* &c.

311. *-nondum Pleiadas Hyadasque poterant* &c.] Sic collegium m.s. noſtrorum. Priùs vulgatis deerat enclytica, *que.*

335. *Benè diſſepti fœdera mundi*] Edd. aliæ *diſſecti*; nec probo: vtique cùm pro noſtrâ ſtent item obſoletæ impreſſiones. Videantur Suſpiciones noſtræ.

344. *ſpargeret aſtra Nubesque ipſas mare deprenſum.*] Secutus ſum Delrium, eiuſque libros. Paulò excuſatiùs puto quàm homines illi qui vnius codicis tortuoſam admodum ſententiam libris ſuis invexerunt. Sanè in omnibus Pall. conſpicitur illud *ſpargeret*, in vno *deprehenſum*. nam reliqui, *depreſſum.*

388. *Proclamat : O ſuperi! oculos* &c.] Inſuavis lectio. quam tamẽ haud muto, quòd conſervent Pall. octo, vnuſque tantùm adhæreat Lipſianis membranis: *Proclamat, oculos vberi fletu rigat.* quam cur quidam habeant priore languidiorem, nihil exputo. nam, meo ſanè animo, nihil aliâ putidius: neque ſic loquuntur Poëtæ.

397. *Si quæris odio miſera quem ſtatuas modum, Imitare amorem.*] Non ſunt hæc extendenda ad alium *amorem* quàm vnius Medeæ. Itaque ſupervacuè illi, qui vim *Amoris* iſto loco pluribus nobis ſtabiliunt. Dicit enim: ita extremè odio habendum Iaſonem, quemadmodum extremè amarat: nam ibi divina & humana confudit monſtrum iſtud.

410. *-tantis Ætna fervebit minis.*] Neſcio, cur heîc alij ediderint, *ferveſcet:* cùm Lipſius potiùs iuſſiſſet recipi, *ferveſcit*, quod ei videlicet diſpliceret *futurum*, malletque *præſens.*

415. *-bella Theſſalici ducis?*] Introduxi interrogationem, tanquam Iaſonis purgationem & promat ſimul & refellat Medea.

423. *Multum patebit.*] Vim huius vocis, petas licet à Seneca cap. 1. De brevitate vitæ.

437. *-non timor vincit virũ,*] Alius maluit, *vicit.* ſed mihi iſtud

istud placet; vt ostendat se non tantùm eo animo dudum, sed etiam nunc.

452. *-quæque fraternus cruor Perfudit arva*] Carũ illud animo meo semper futurum caput, Ianus Dousa filius, putabat erigi sententiam, si rescriberetur, *quæve*. at ita, meâ opinione, deprimitur. pendet enim à priore, *Patriumá, regnũ*.

477. *Aliena sequens regna deserui mea.*] Sic pertinaciter omnes mss. Versui quidem medeamur transpositu vocis, *Sequẽs aliena regna deserui mea*. Vulgati, *Alienaque sequens*. Conabatur Lipsius, *Aliena sequeris regna*. non video qui sit nexus orationis.

496. *Medea amores obicis?*] Contumeliosius adhuc videtur, quod reperi in tribus Pall. *obicit?*

507. -MED. *abdico, eiuro, abnuo.*] Hæc est lectio omnium mss. & valde eâ capior, vt pluribus ostendi in Suspicionibus. Editi priùs, *abiuro*.

516. -MED. *est & hêic maior metus Medea:*] Ita aliquot mss. nec secùs suprà v. 166: *Medea supereſt. hêic mare & terras vides Ferrumque & ignes*. Publicatur passim, *& his*. Alij maluerunt, *hinc*. sed non quadrat.

517. *-nos confligere certemus. sine, Sit pretium Iason.*] Pall. vnus, *confugere*. ceteri, *confligere*. Multos medicos expertus iste locus, sive cadaver est. quocirca etiam ego adcurri, suspicatus: *nusquam est fugere? certemus sine. Sit pretium Iason.* sed iam tollo manum.

553. *Gratum est? & illud voce iam extremâ peto,*] Expressi lectionem codd. Pall. quibus adest illa interrogatio. Alij aliter. nec damno. sed sic nullæ membranæ.

576. *Sed antè diris illita & tincta artibus.*] Illud *tincta* videri queat à malâ manu. certè Scholiastes id adhibuit ceu interpretamentum alterius *illita*. Libri tamen non dissentiunt scripturâ; quàm quòd sit in vno, *& tracta*.

585. *Ister & iunctos vetat esse pontes,*] Arridet, *vinctos*, quod in nonnullis m. s. extare prodidit Delrius.

605. *Rumpe nec sancti violente mundi Fœdera sancta.*] Sic aliquot m. s. non *sacra*; quod eieci, quòd paulò post repeteretur, & videretur aliquid subesse venustatis in repetitu *sancti mundi* ac *fœderum sanctorum*.

608. *Nobi-*

608. *Nobiles remos, nemoriſque ſacri* &c.] Ita quinque Pall. etſi tamen eorum vnus, *ramos*, quomodò & alij quatuor; qui præterea habent *Nobiles ramos nemoris ſacrati*: nec aliter vulgg. niſi quòd ij *remos*.

647. *Morte quod crimen tener expiavit* &c.] Sunt qui tranſponunt verſus è veſtigiis, vt aiunt, codd. veterum. mihi non videtur neceſſe. vulgatis profectò adſentiuntur Pall. omnes. nec repugnat vis argumentationis, quæ auguratur à nemine audaciorum periculoſum illud mare ſuperatum iri ſine malo; cùm ne innocens quidem puer perniciem evaſerit; navigationis tantùm adſecla.

653. *Condidit ſerpens Libycis arenis.*] Interpunctio iſthæc mordicùs retinenda, contrà Cælium Rhodiginum, & traduces eius: ij enim; *Condidit ſerpens Libycis arenis, Omnibus* &c. vt *ſerpens* heîc accommodetur *Mopſo*, tanquam participium. quâ conſtructione admiſſâ, durius fuerit illud, *Sors condidit Idmonem*. Deinde plura heîc attribuerit cumulatim auctor noſter, quàm ſolet. Et non vacat quidem hoc puncto temporis inveſtigare, an vllus ſcriptor Senecâ antiquior literis mandarit à ſerpente occiſum Mopſum, morbo verò periiſſe Idmonem: ſed haud timidè tamen ſuſpicarim, Tragœdiographum ſeorſum ſentire ab aliis Hiſtoricis, ac Mopſi factum adſcribere Idmoni, vt contrà Idmonis Mopſo. neque novum diſſentire Poëtas in hiſce puſillis.

655. *-caruitque Thebis, Ille ſi verè cecinit* &c.] Nuperi ediderunt diſtinxeruntque: *caruitque Thebis Ille qui verè cecinit futura. Exſul* &c. contra fidem codd. Pall. omnium; contra mentem Poëtæ. nec enim quicquam mutandum præter diſtinctionem; ſcribendumque porro:

Idmonem quamvis benè fata noſſet,
Condidit Serpens Libycis arenis:
Omnibus verax, ſibi falſus vni,
Concidit Mopſus, caruitque Thebis.
Ille, ſi verè cecinit futura;
Exul errabit Thetidis maritus:
Igne fallaci nociturus Argis
Nauplius præceps cadet in profundum,

Patroi

Patrio pendet crimine pœnas
Fulmine & ponto moriens Oileus.
Coniugis fatum redimens Pherei,
Vxor impendet animam marito &c.

Permutavi præsens futuro, nudâ ductus coniecturâ, haud tamen, opinor, violentâ. At historiam si respiciamus, aliter scribi non potuit: nec enim vllus istorum, quos recenset versibus octo postremis, tunc perierat cùm Iason suas has celebraret nuptias. Et vt quis inferat; potuisse tamen loqui Chorum de futuris ac si iam præteriissent, ob divinationis scilicet certitudinem; ei planè obstat vox *nociturus*. Nimirũ fraudi fuit huic loco scriptura vetus, *erravit* pro *errabit*. eo verbo corrupto, lues similis invasit & *cadet*, & *pendet* & *impendet*. Atque de his ita antè plures annos sensi in Suspicionibus; neque nunc muto sententiã.

660. *Patrioque pendit crimine pœnas Fulmine* &c.] Hæc fuit scriptura mss. septem; nisi quòd vnus *Patrio pendit*, quod maluerim: tale autem quid reperisse etiam in membranis suis Fabricium, hinc coniicere est, quòd edi curaverit, *Nauplius præceps cadet, atque pendit Crimine pœnas Fulmine* &c.

669. *Parcite iusso.*] Non inhonesta neque adeò iniusta petitio, quandoquidem, vt alibi loquitur noster, *-ad auctorem redit Sceleris coacti culpa*; Troade v. 871. Itaque non est quod quicquam refingamus.

681. *ferventi creat Arena Libye*] Qui ediderunt *ferventi*, nihil peccarunt; sublevantque eos Palatinorum tres. Interim, meo iudicio, constat suus auctori & sensus & versus, retento vulgato: quod tamen iidem negant; persuasi fortè vocem *Arenâ* esse sexti casus, coniungendamque *ferventi:* quod secùs est. imò *ferventi* aptandum *Libye*.

746. *Gravior pœna sedeat coniugis socero mei :*] Vulgabatur priùs, *Longè gravior pœna* &c. sed à coniecturâ Fabricij. Versus quidem pedem aliquem requirebat, sed cùm eum nulli agnoscant manuscripti, cur istud potiùs substituamus quàm aliud quid? Sanè Pall. nihil variant, nisi quòd sit in vno, *Graiorum pœna sedeat*. Nuperæ edd. indicant librum aliquem referre: *Gravior pœna cedat*; & amplectuntur

tur ipſæ illud *cedat* ac ferè ſunt in eo vt verſum ſequentem iſti præponant : ſed ſine meo ſuffragio. quippe etſi non medear verſui; oſtendi tamen pluribus in Suſpicionum libellis, *ſedere* idem valere quod *quieſcere*. Longè etiam aliter interpretatus ſum verſum hunc, quàm vulgo viſum; qui putat pœnas graviores imprecari Medeam Creonti, quàm erat illa Tantali. At ego arbitror eam iubere, vt Siſyphus ſocer Iaſonis etiam ocyus accurrat ad nuptias ceſſetque ideo ſaxum iterùm, vt antea, propellere in montis verticem. Nempe duplex incumbebat labor Siſypho: devehendi lapidem in montem, item proſequendi de monte deſcendentem. prius autem poſteriore gravius. Primo verſu deſcribi Siſyphum, nominari vero demùm ſequenti, haud inuſitatum noſtro: nam & ſtatim v. 775.

Vectoris iſtic perfidi ſanguis ineſt,
Quem Neſſus expirans dedit.

Et ſic quidem adhuc ſentio de loco iſto.

748. *Vos quoque vrnis quas foratis*] Mſſ. ferè, *Voſque vrnis*. Quibuſdam ſuavius videtur, *Voſque quas vrnis f.* quomodò aliquot edd. Mihi perinde ſonat, & hoc & iſtud. At quòd id alii haud etiam probent, quaſi peccet in verſum, valdè miror. aut enim me & oculi & digiti & aures fallunt, aut iidem proveniunt pedes qui priùs.

755. *Egique ad imum maria*,] Ita malim cum mſſ. novem; niſi quòd vnus & alter affini errore, *ad vnum*. Hactenus vulgatum, *aquas, Egique ad ima maria & Oceanus* &c. acutum mihi quidem, ſed minùs appoſitum.

765. *Sonuere fluctus, tumuit inſanum mare Tacente vento.*] Ita turba mſſ. Pall. Alijs aptiùs viſum, *Iacente vento*. Vel *ſonuit* (aut adeò *tonuit*) *inſanum mare Tacente vento*. Mihi vulgatum ſatis clarum eſt. *Tacens ventus* opponitur *ſonantibus fluctibus*, & *mari intumeſcenti*; quod mirum, cùm alias tacente vento exiſtat malacia. Porro nihil vetat, quin *inſanùm* heîc ſit adverbiale : nam mſſ. vnus clarè præfert, *inſanè*.

775. *Vectoris iſtic perfidi ſanguis ineſt*] Etiam vltima in *ſanguis* producta; vt monuit me Meliſſus. Virgilius :

Vnâ

Vnâ eademque viâ ſanguis animuſque ſequuntur.

Tibullus:

Quicquid agit, ſanguis eſt tamen illa tuus.

861. Huc fert pedes & illuc &c.] Quidam coniecturâ ducti verſus traijciunt. ſed non eſt neceſſe. Ego potiùs vnicâ literâ detractâ legerim diſtinxerimque:

Huc fert pedes, & illuc;
Vt tigris orba natis
Curſu furente luſtrat
Gangeticum nemus. Sic
Frenare &c.

Sententia perſpicua & aperta. Interim moneo, voculam *ſic* exulare aliquot Pall.

886. vt iuſſus. ignis] Nec aliter mſſ. Pall. niſi quòd Pal. quartus, *vt miſſus*. Cuſi, *Emiſſus*.

897. Amas adhuc furioſa? ſic ſatis eſt tibi Cœlebs Iaſon?] Pal. primus, *furioſa? num ſatis* &c. reliqui ad vnum omnes, *Amas adhuc furioſa, ſi ſatis tibi Cœlebs Iaſon*. Hæreo vtram lectionem præferam: hæreo, adeò vtrinque cauſæ ſuæ ſunt. & tamen judicii lanx inclinat in antiquiorem.

899. -iamque ſic temet para.] Ita noſtri ſeptem. Delrii ferè, *ſicque iam temet p.*

924. Animo parandum eſt.] Nihilo deterius Colonienſis mſ. *properandum*. ſed fidem ei abnegant m. s. noſtri.

942. -haud aliter meum Cor fluctuatur] Pal. vnus non habet vocem *Cor*. reliqui omnes, *haud aliter metu Confluctuatur*; præterquàm quòd Pal. quintus, *Cor fluctuat*. Equidem illud *metu Cor fluctuatur*, habet quo ſe tueatur; nam in ſimili perturbatione Hercule Furente v. 1298: *Ecce quàm miſerum metu Cor palpitat.*

950. oſculis pereant patris:] Eſt à libro Lipſij. Antea, *ſed oculis:* non malè, niſi illud *ſed* excluderetur mſſ. omnibus, eſſetque alterum delciatius multò. nec multum abit vnus meorum, qui *occulis*.

951. Periëre matris.] Pall. quinque, *matri*. nec hoc malum. imò potius priore.

952. -repetit inviſam manum] Libri quidam Delrii, *inviſam domum*, quod non improbat. At mei omnes pugnant pro

pro vulgato, rectiuſque putarim. nam ira quæ in homine & pectore, minor eſt eâ, quæ iam opere exeritur, quæ manum invaſit, facinusque meditatur atque occupat. Reſpicit autem ad fratris cædem.

971. *Placamus iſtâ.*] Repoſuit quidam ex membranis ſuis, *Placemus.* at novem meæ prius fovent, videturque fortius multò.

474. *-perge tu mecum comes; Tuum quoque ipſe corpus hinc mecum avehe.*] Vellem heîc aliquid loquerentur Commentatores nuperi. nam aut omnia me fallunt, aut erraruntiidem, eo cùm poſuére argumento, *Medeam aſportatis ſecum in domus faſtigium filijs, vtrumque in Iaſonis conſpectu crudeliter necaſſe.* Imò vnum tantùm. alteri enim impreſſit enſem, cùm enunciaret, *victimâ manes tuos Placamus iſtâ.* quod magis pateret, ſi legeretur, *aveham*, quomodò habet vnus mſ. neque abit alter, niſi quòd ipſe *adveham.* Sanè verſus iſte dirigitur ad cadaver; finis autem præcedentis ad filium adhuc vivum. Quamvis tamen haud neceſſe ſenſu iſto manente, mutare illud *avehe*; ſi fingamus Medeam arte Magicâ inſpiraſſe aliquid cadaveri, quod ſponte aſcenderet tectum, nullo adminiculante. Vt ut eſt, non occiſum coràm Iaſone alterum filiorum, ſatis etiam evincunt illa quæ ſequuntur: *non in occulto tibi eſt Perdenda virtus.* item v. 1000. *-natus hic fatum tulit: Hic te videnteda bitur exitio pari.* quamvis neque ſecundum putarim coràm populo trucidatum, ſed intra ſiparium. Verùm non hæc iſtius loci.

988. *-quid dubitas? potes.*] Elegans emendatio, quam hauſi è Pal. Vulgabatur hactenus: *quid dubitas? potens Iã* &c. nimiùm quàm ruſticè.

991. *me inviſam ſubit:*] Maluiſsem ferè *invitam*, niſi enneas noſtra adverſata fuiſset; quomodò tamen legi in aliquot ſuorum, teſtati Commelinus & Delrius.

993. *Spectator ipſe.*] Ita mſſ. noſtri, vehementiùs multò quàm quòd in mſſ. aliorum, *iſte.*

1011. *Nimium eſt dolori numerus* &c.] Ingenioſè quidam è mſ. vno: *Minimum eſt dolori numerus* &c. ſed nimis coactè; vtique cùm fine verſus addi nequeat verbum *eſt.*

1015. Moramque saltem suppliciis dona meis, &c.] Ita & nostri; nisi quòd vnus *doma*. Posui meam loci huius interpretationem lib. 11. Suspicionum cap. x1. eamque mox pastoritiâ excepit fistulâ Delrius. sed, quod pace eius liceat, non cepit verborum meorum mentem. nempè cùm dicerem donatâ morâ suppliciis eadem maturari, volui illud jus, quod quis donatione in alterum transfert, non ampliùs hærere in donante. itaque si Iason impetraturus erat à Medeâ moram tanquam donum, ea mora iam non erat Medeæ, atque ita statim erat interfectura filium, non tractim, non antè mille ingestas contumelias. Haud absimiliter Val. Maximus, vbi agit de crudelitate lib. IX. cap. II. *Cui silentium donare, incrementum est adjcere.* Seneca I. de Clementia, cap. XX: *Pœnam si tutò potest, donet; sin minùs, temperet.* Lucanus lib. IX. *Parcimus annis, Donamusque nefas.* En, qui ibi donat silentiũ, pœnam, nefas, non silet, sed loquitur, non punit, sed ignoscit. Ità & heîc quæ donat moram, non moratur, ergo per consequens festinat. Verùm non pertendo in defensione huius significationis: quam tunc temporis ideò solùm produxeram, vt ostenderẽ si qualicunque interpretatione consuli posset Senecæ, haud etiam veniundũ ad transpositionem illam versuum, ab aliis introductã planè contra libros archetypos.

IN AGAMEMNONEM.

Versu 15. *Vbi ille celeri corpus evinctus rotæ* &c.] Mss. nostrorum vnus, *rotæ*. alter, *vbi ille celeri tortus & vinctus rotæ*. quod vltimum alicui salivam movere posset; non mihi.

25. Reputemus omnes,] Substitutum nuper *Repetamus*. & sic quoque Palatinorum vnus. reliqui tamen octo adjuvant vulgatum: Nec video, cur extrudi mereatur. reputat enim & ille qui sedet ad calculos, qui examinat, & quidem iam alterâ vice.

42. Post dena Phœbi lustra] Ita & omnes mss. Pall. non vt retrò vulgati, *Post bina*. quod planè falsum. Lustrum Phœbi potest tantùm vnius esse anni. Videatur heîc Delrius.

10. Felix,

103. *Felix, mediæ quisquis turbæ Parte quietus*] Etiam vnus è Pall. codd. agnoscit illud Lipsianum, *Sorte quietus.*

111. *Et sceptra casta viduâ tutari fide,*] Pall. novem & veterrimæ edd. vnâ quasi voce *iunctâ tutari fide.* cùm tamen alterum produxerit è mss. Fabricius, neque ei statûs controversiam moverint Critici qui antè me; maneat secura ab hac manu.

151. *Quod metuit auget, qui scelus scelere obruit.*] Sic mss. omnes, sic editio vetus. aliæ recentiores, *meruit.* non malè forsan.

197. *si aliud nequit*] Sic & Pall. nisi quòd duo, nõ ineptè, *nequis.* editi, *si aliter nequit*; cui adhæret vnus tantùm meorum.

202. *Mors misera non est, commori cũ quo velis*] Sic vetustiùs cusi, sic Pall. novem. & dum pars Criticorum heîc inter se luctantur, stabiliam lectionem loco Val. Maximi lib. VI. cap. VIII: *Levique vulnere à Thelesino, cũ quo commori destinaverat, perstrictum* &c. Fabricius nobis invexerat, *commori quî cum velis:* eleganter quidẽ, si ferrent codd. scripti.

233. *CL. Ægisthe, non est pœna sic nato mori.*] Hæreo etiam cum Delrio, annon & iste versus adscribi queat Aegistho. cùm tamen mss. nostri omnes tribuant Clytemnestræ, hæc loquetur pugnans quasi cum mente sanâ insanâque; & prævalente iam sanâ, vt liquet ex sequentibus; sed ad breve tantùm momentum.

241. *sed nunc casta repetatur fides.*] Non satisfacit nexus orationis. duo mss. de nostris oggerunt, *si nunc*; quod item displicet.

355. *Tenetque regnum famula veridici Dei.*] Scripti nostri adstruunt vulgatum, *regem:* sed pruriit manus reponere alterum illud è codice Lipsiano, quòd veniret in mentem carminis Tibulliani:

Crede mihi, regnum ipse tenet, quem sæpe coegit
Barbara gypsatos ferre catasta pedes.

Quem tamen locum ridiculè capit Muretus de aliquo, qui rex factus è servo. non, non. eminebat ille inter amatores, vt hæc inter pellices; sicut pluribus exemplis ostendi in Suspicionibus.

269. *Ignota tibi ſunt iura regnorum haud nova.*] Suſtuli interrogationem. neque patior heîc quorundam *aut*; miratur enim Clytæmneſtram familiæ regnatricis & prolem & nuptam, ignorare adhuc vetuſta illa & omni ævo vbique vſurpata regnorum jura.

298. *Surripere doctus fraude genitales toros.*] Puto eſſe à Fabricio. certè eo priores, *geniales*; nec aliter mſſ.

301. *hæc vacat regi ac viro*] Ita duo Pall. & Scholiaſtes vetus. reliqui, *hæc vacat regia viro.* malè.

307. *Quæ invita peccat, debet & culpæ fidem.*] Non hæc capio: nec juvant mſſ. Delrii vnus habebat, *iuncta*; quod ei placet, non mihi. Veniebat aliquando in mentem, *Quæ inulta peccat*; vt vellet: cùm quis peccavit cum alio, qui deprehenſus conſcium tamen non prodit, quo vel ſocium ſaltem habeat in pœnis, ei ſocio etiam fidem deberi mutuam. ſed & iſtud valdè coactum; imò nimis.

314. *Stirps Inachia. tu quoque noſtros*] Meliſſus hiatum volebat ſequi poſt illud *Stirps Inachia*, alteramque pauſam incipere ab *Tu quoque* &c. Idem quoque fieri cupiebat v. 323. poſt *Phœbe relaxa:* nec non v. 356. poſt *Nata Tonantis.* denique v. 377. poſt *Flebile ſaxum.* Et verò ſi attendamus nexui ſententiarum ac numerorum, alia illa verſuum diſpoſitio introducenda eſt.

378. *– & adhuc lacrimas Marmora fundunt antiqua novas*] Duo Pall. præter hæc, habent adhuc, *Lacrimas mœſta æternum marmora mittunt.* nec ſecùs alij tres, niſi quòd ij *marmora manant.* quæ vnde nata ſint, diſputent alij: vt & hoc, an non tolerari poſſet quod invenerat in cod. mſſ. Colonienſi Commelinus, *Marmora ſudant antiqua* &c.

428. *Et clara lentum remigem emovit tuba,*] Revocavi lectionem omnium mſ. & antiquitùs cuſorum; niſi quòd & ii ferè, *regimen emovit.* Recentiores obiecêre, *remigem monuit.* quod minùs efficax.

480. *Libycuſque arenas Auſter ac Syrtes agit,*] Receperunt alii lectionem codicis Lipſiani, *ad Syrtes.* & ſic quoque etiam duo Pall. ſed non video quid in eâ ſit leporis. Vulgata vult, Auſtrum agitaſſe arenas Syrtium. Sic Virgilius, *pateris libamus & auro.*

501. *Hæc*

501. *Hæc onere ſidit.*] Sunt qui aiunt eſſe in antiquiſſimis edd. *ſedit*;quod eis placet,vt ſit præteritum à *ſido*: cùm teſte Priſciano lib.X. id verbum cogatur præteritum ſumere à *ſedeo* ; vix Grammatico illi crediderim, *i* longum mutari in *e*. & alioqui cùm verba præcedentia & ſequentia ſint præſentis temporis, cur heîc intercurrat præteritum *ſedit?*

506. *Sed trunca toto puppis* &c.]Malim iſtud, quod habent vetuſtiſſimæ edd. ac membranæ Fabricij, ac vnus noſtrorum, quàm recentiorum,*Sed fracta.* etſi ſic quoque vnus è Pall. alij enim aut, *Sed ſtructa toto puppis*, aut, *Sed ſtructa toto turpis Ionio*; aut denique, *Sed truncta toto turpis Ionio.*

507. *Nil ratio & vſus audet: ars ceſſit malis.*] Præſtat iſtud longè illi, *Nil ratio & vſus audet in magnis malis*: quod liquet mihi fictum ab eis qui ſententiolam exire cupiebant. & ſic tamen Pall. omnes.alterum hauſit è mſ. Ioh. Regiomontani Fabricius.quem librum multis argumentis probare eſt fuiſſe notæ optimæ.

519. *Perdenda mors eſt.*] Sic mſſ.noſtrorum quinque,& multis millibus antiſtat vulgato, *Pudenda mors eſt.* Sic & noſter Thyeſte v. 1096 : - *Perdideram ſcelus Niſi ſic doleres.* item Medeâ v. 977. *-non in occulto tibi eſt Perdenda virtus.*

538. *Ratisque partem ſecum & Aiacis tulit.*] Ita mſſ. noſtri omnes. at enim quòd citaſset Pontanus, *& Aiacem tulit*, id textui invexerat Fabricius, manſitque in hunc vſque diem. neſcio quàm benè. nam ſi fulmen Aiacem tranſiit, quod clarè vult verſus ſuperior; non tantùm cutem vnâ abſtulerit oportet, ſed etiam alias corporis partes. At fortes natare poſse, quamvis truncos, nemo negaverit ; præcipuè vulneribus adhuc recentibus.

550. *- tandem horream Aliena inerti tela mitti dexterâ?*] Nihil variant membranæ noſtræ. & meo quidem ſenſu,fortiora iſta ſunt eis quæ ſubſtituunt viri clariſſimi.Egone, inquit Aiax, vt nunc demum mulieris horream tela aliena, qui victor Martis, victor Phœbi? imò ne tunc quidem metuam, ſi vel ipſe Iupiter ſua ſibi in me mittat fulmina.

576. *Voluntque maria.*] Pall. duo, *Volvuntque.* vnus etiam *Et maria malunt*, alter verò *Maluntque maria*, quomodò item erat in Lipſij codice; nec diſplicet.

576. *cedit in luctum furor. Poſtquam litatum eſt, Phœbus in lucem redit.*] Et omnes noſtri oſtentant, *cecidit in lucem furor*; niſi quòd vnicus *cecidit in luce furor.* Equidem, quò minùs heîc feram illud *lucem*, eſt quòd ſtatim repetatur verſu ſequenti; ac bis ferè idem dicatur. Videtur voluiſſe auctor, tandem & ipſum Nauplium miſertum Græcorum, vt vndique oculis eius patuit naufragium infame. itaque forſan ſcribendum, interpungendumque: *cecidit in luctum furor, Poſtquam litatum eſt. Phœbus in lucem redit*; &c. vt *litatum* referatur ad Palamedis patrem. Aut potiùs fuit; *cecidit in luctum furor, Poſtquam litatum, ac Phœbus in lucem redit*; *Et damna* &c. ſenſu planiſſimo, ſi modò interpolatio quævis permiſſa.

589. *Heu quam dulce malum mortalibus additum, Vitæ* &c.] Vox *additum* non eſt ſpuria, & patitur eam verſus, cùm Chorus iſte omni ferè carminum genere interſtinguatur, quare ne ſepiatur vncis.

596. *Pax alta* &c.] Putant alii laudari heîc pacem quæ cunctis careat belli incommodis. nihil minùs. adhuc tractat felicitatem mortuorum; dicitque, qui illâ eorum altâ pace fruuntur, nihil metuere. ſecùs viventes, iis in quavis etiam pace multa ſunt incommoda. & alioquin falſiſſimum eſt, pacem altam non metuere civium cœtus; imò eos timet potiſſimùm. ſi enim quidquam è tripode profectum, eſt & hoc: *Otium reges priùs & beatas perdidit vrbes.* Poſſet quoque interpungi, *Pax alta. nullos* &c. vt ſubintelligatur, *eſt in eo portu*, quod proceſſit.

603. *Non vrbe cum totâ*] Ita mſſ. & olim editi: neque feram heîc quenquam præſcribentem Senecæ numeros.

612. *Cùm Dardana tecta Dorici raperetis ignes.*] Sic vno conſenſu mſſ. editique vetuſtè. ſequentes, *raperent*; non neceſſariò.

625. *Vnius noctis peritura fato.*] Niſi cogerer ſequi concordem mſſ. librorum linguam, eiicerem planè dictionem

ctionem *fato* ; ſubſtituto in eius locum *furto*, quod erat in Lipſiano. & ſic ſanè ſcribere debuit Poëta.

622. *Danaumque fatale munus duximus noſtrâ* &c.] Ita conſona lingua omnium mſſ. & patrum ævo cuſi. Malè igitur vulgati recentiores, *Fatale munus Danâum traximus noſtrâ.* certè *ducere* heîc maximè proprium, vbi funium res eſt.

637. *Secura metus*] Expreſſi ſcripturam librorum calamo exaratorum, vt & avorum ſeculo excuſorum : nuperi literâ detractâ, *metu* ; quod heîc ferri nequit.

671. *Ramo cantat querula Edonis*] Eſt à Fabricii ſcriptis. mei enim novem, *triſtis Edonis.* lectio vetuſtior editorum, *querula aëdonis.* recentior, *triſtis aëdon.*

673. *Non quæ tectis Biſtonis ales Reſidens ſummis*] Mſſ. noſtri omnes, *Reſidens ſummis*; excepto vno, qui *altis.* Hoc dico, vt omnibus conſtet antè plures retrò annos, carnificinam paſſas Tragœdias has Senecæ.

727. *Obſcurat genas Nox alta*] Ita mſſ. noſtri, non *atra*, vt eſt in vulgg. Parùm refert, hoc ne an illo modo legatur; ſed exturbandum tamen, quod non ſignavit notâ ſuâ antiquitas.

758. - *Fata ſe vertunt retrò.*] Revocavi lectionem librorum plutearium, imò & patrum memoriâ editorum. nam irrepſit deinde, *ſe volvunt retrò.*

839. - *duxitque ad ortus*] Neotericæ edd. excluſerant enclyticam. admiſi ego, perſuaſus à libb. vett.

849. *Pectore è medio rapi ſpolium & ſagittas.*] Divertunt alij ad coniecturas; non ego. nam & zonam ablatam Amazonidi & ſagittas innuit noſter Herculis Oetæi v. 972. *Sarmatica & manus Intendere arcum tela miſſurum valet.* Poni autem Amazonas inter Scythas aut proximos, liquet ex Medeâ v. 214.

855. *Audivit ſonitum crepitante lammâ.*] Sic omnium primùm reſtituit Delrius: adiuvantque mſſ. eius membranæ Colonienſes quas contulit Commelinus: nam noſtri aut *trepidante flammâ*, aut *crepitante flammâ*; tanquam ſi Hercules incendiſſet ſilvam abituriens.

934. *Poſcunt fidem ſecunda: at adverſa exigunt.*] Sic proletarii

tarii codd. at membranæ noſtræ novem, *Fidem ſecunda poſcunt; adverſa exigunt.* non paulò nervoſius; ſed verſus laborat.

938. *Et iſta demum palma Piſæi Iovis*] Non malè alij ſecuti auctoritatem Lipſiani codicis, *Et iſta donum palma.* Retineo vulgatum, cùm nihil varient Pall. novem, ſubſitque ei ſenſus haud contemnendus.

957. *Modeſtiùs cum matre.* EL. *pietatem doces.*] Cùm reperierim in mſſ. omnibus, EL. *eia tandem doces*, certè nullus alluderet ad vocem *pietatem*: quæſo, vt id examinent Philologi. mihi enim per Sarcaſmum lepidè dici videtur à filiâ.

962. *Nobis? quis iſte* &c.] Nihil mutavi, vt repetat vocem maternam Electra. Subſtitutum ab alijs *Vobis?* non ineptè, modò iuvarent plures libri quàm vnus, & is què periculoſè ſæpè abducere a regiâ, vt ita loquar, veræ ſcripturæ viâ, ſæpè demonſtravit Delrius.

963. *Vt vidua loquere: vir caret* &c.] Sic conſtitui hunc locum conſilio ms. aliquot noſtrorum motus, qui & verba illa nullâ diſſentiente literâ agnoſcebant, vt & ſitum & interpunctionem; & quòd viderem ſic etiam placuiſſe Delrio.

979. *Ægiſthe, gaudes?*] Impurata lectio. nec purgant libri noſtri, nam duo, *Ægiſthe, gradere.* vnus, *gaude.* tertius, *gades.* reliqui ſtant pro vulgatâ. Coniiciebam, *Ægiſthe, adesdum: gnata* &c, certè tale aliquid requirunt ſequentia.

984. *Per ſcelera nactus nomen ambiguum* &c.] Mſſ. noſtri omnes, & olim publicati, *natus, nomen ambiguum*; non ita inſulsè, imò benè.

988. AEG. *Abſtruſa cæco*] Auſus ſum iſthæc, vt & alia partim v. 994. partim v. 996. accommodare Ægiſtho, quòd minimè convenirent Clytæmneſtræ: & præiret planè Palatinus vnus. Miror hæc non animadvertiſſe alios, ac conatos potiùs, neſcio quas, tranſpoſitiones.

997. *Abripite famuli*] Melius hoc, quàm quod vulgò, *Arripite.* nec aliter aliquot Pall.

1008. *Vt paria fata Troicis lueret malis,*] Ego ille durus hactenus & rigidus, flexus ſum ſplendore quaſi aureo,

quem

quem adflabat oculis animoque codex Lipſij Meliſſæus; eiecique illud vulgatum antè, *tulerit*; etſi id propugnarent mſſ. noſtri omnes. Et certè non ſuberat ei voci ſenſus tolerabilior; qui nunc tam limpidus eſt, vt radij meridionales Phœbi æſtivi.

IN HERCVLEM OETÆVM.

Verſu 14. *Omne conceſſit*] Sic ex veteri ſuo Lipſius, cui adſentiuntur duo è noſtris; niſi quòd in altero, *conceſſet*. Eſt etiam in quo reperi, *Omne cum eſſet*. Anteà legebamus ineptè, *Omne cùm ceſſet malum*.

30. *Sic negat mundus feras* &c.] Ingeniosè Lipſius, *ſi negat*: quod non minùs & ego admitterem quàm alij; niſi repugnarent omnes mſſ. & ſubeſſet tolerabilis adhuc ſententia lectioni priori.

36. *-nam quis invadet mala?*] Iſtud aliis eſt languidum, nec aptum ſententiæ: meis oculis contrà eſt. Si enim, inquit, abiero, non invenietur, aut qui vltrò tàm promptè ſe obiiciat periculis; aut quem dignetur odiſſe Iuno. *Invadit* ille, qui non exſpectat iuſſum mandatum. ſic dicitur *invadere negotia* quis l. v. ff. De oblig. & action.

39. *-in tutum meas Laudes recepi*] Sic enneas m.s. Pall. & vinilius paulò videtur, certè figuratius, quàm vulgatum, *laudes redegi*.

56. *-terra defecit gradum.*] Sic Pall. omnes. irrepſit autem ferè in editt. *terra deſeruit gradum*.

56. *-quanta nunc fregi mala,*] Nihil mutant codd. noſtri. nec debent; nam hinc orditur aliam partem orationis.

103. *Aſtro timendum ſpectat* &c.] Quidam *Auſtro* intulêre contextui; prohibentibus tamen membranis ſinceriorибus. itaque cur ſe quar?

108. *Et puppem poſuit liminis vltimi,*] Sic ſcripti aliquot. nam alii, *luminis*. quod video quidem textui inſeruiſſe auctores editionis poſtremæ; ſed non etiam cauſam, quare.

123. *Stamus; nec patriæ mœnibus, heu, locus Et ſilvis dabitur*] Mſſ.

non idem ſentiunt. quidam, *Stamus nunc patriæ* &c. alij, *Stamus nec patriæ mœnibus en locus Et ſilvis.* eſt etiam qui habet, *Sed ſilvis*, quomodò divinabat Delrius. Sed aut fallor, aut ſcribendum: *Stamus nos: patriæ mœnibus, heu, locus Et ſilvis dabitur.* Nos adhuc vivimus, inquiunt, iam everſâ patriâ, ac mox mutandâ in ſilvam.

144. *Num Titana ferunt?*] Pall ferè, *Non.* antiquitùs editi, *Num Titana ferum te Rhodope.* quod nonnulli iterùm revocatum cupiunt; à quibus diſſentio. hactenus tamen ut liberè profitear, hanc tragœdiam in Choris mirè interpolatam, neque valdè digladiandum ſuper varietate lectionum, cùm ne optima quidem magni ſint momenti.

151. *Nullis vulneribus pervia monſtra ſunt,*] Ita Pall. omnes. Lipſii ms. *membra*, quod jam editiones poſteriores occupat; non meam: veritus fidem habere vnico teſti, cùm ſuus ſit vtcunque ſenſus ſcripturæ receptæ. nam vt placet Scholiaſti veteri, vult verſus iſte Herculem eſſe monſtrum, quod vel Athos vel Rhodope protulerit: idque eo probat, quòd vt monſtra nullis ſunt vulneribus pervia; ſic nec ipſe ſit.

184. *-me vel Siſyphi flebile ſaxum figat: ſuperi vel in Eridani* &c.] Lipſij codex, *fingite*. ex quo fecit Delrius, *figite*. non carpo, ſed ſic nullus Pall.

190. *-vel in Edonas*] Pall. omnes, *Edonias*. forſan verè.

205. *Murmure queſtus*] Lipſij liber *caſus*. meliùs meo animo. idem etiam meliùs infrà tùm v. 206. *Fama ſequetur*, tùm v. 219. *ſæve decor:* ſi adſentirentur modò mſſ. codd. vulgatum mordicùs tuentes; niſi quòd Palatinorum vnus, *ſævè dolor*.

228. *Patiens, quiſquis* &c.] Si iſtud vocis heîc ſervamus, tùm aut mirè coacta aut planè ſupervacua ſunt illa inferiùs, *caſus animo Qui tulit æquo*. at ſi admiſerimus lectionem codicis vnius noſtri, *Felix quiſquis* &c. tunc omnia rectiùs habuerint. hoc videlicet vultu:

Felix quiſquis novit famulum
Regemque pati, vultusque ſuos.
Variare poteſt! vires pepulit

Pondus-

Pondusque mali, casus animo
Qui tulit æquo.

Editt. aliquot de suo attexuëre, *mali: nec servit inops casus animo.* sed spurium esse produnt mss. imò verò Pall. sex excludunt præterea ista, *vultusque suos variare potest.* vt vlcus subsit profundius, quàm primâ facie appareat.

264. *Converte in aliquid*] Sic meliùs Pall. mss. Hactenus editi, *aliquod.*

273. *Quod iubes fieri nefas?*] Ita Pall.novem. Editi, *fiat,* minùs robustè.

280. *Non flamma cursus pariter & torrens ferent,*] Ita mss. nisi quòd ii omnes, *Num*; vt non frustrà suspicer, restituendum, *Tum flamma* &c. scitur enim versuum primam literam haud etiam adponi solitam à scribis, dum miniatam cupiunt. itaque parùm docti vnam pro alterâ collocarunt.

284. *Est aliquid Hydrâ potius, iratæ dolor Nuptæ.*] Sic plerique mss. quidam etiam, *Hydrâ peius*; sed habuerim pro glossâ alterius.

286. *quicquid est victum tibi Hic vincet animus*] Scholiastes Palatinus disertè præfert, *invictum tibi.* & mirè blanditur auribus meis.

320. *saxa iam dudum ac faces In te feruntur. vindicem tellus suum Defendit omnis*] Ità planè noster codex vnus, nisi quòd ille, *ferentur*; cui minùs conveniebat illud *iamdudum.* Lectionis istius promus primus Lipsius noster. nam prior languidior erat loro pendente in aquâ.

334. *-nec vllus nocte discussâ dies Viduam notabit,*] Sic plerique Pall. vix vnus & alter *vocabit*; quod tamen recentioribus ita placuit, vt retulerint in contextum. at mihi omnino frigidum est. scio quidem diem *non tacere:* sed *vocare*, non puto, nisi figurâ admodum longinquâ.

352. *-quid casum times?*] Coniecit Lipsius *cassùm* adverbiale. & cùm ita repererit in binis codd. Delrius, cedat ei sanè alterum, licet fultum Pall. omnibus, idque capientibus de statu Deianiræ.

362. NVT. *Hoc vsitatum est Herculi* &c.] Sunt qui istum ver-

versum & seqq. multos tribuant Deianiræ. sunt qui primum solum; quibus accedo, sed ità vt addam quoque sequentem hoc modo:

Dilecta Priami nempe Dardanij soror.
NV. *Concessa famulo est.* DE. *Adice, quot nuptas priùs,*
Quot virgines dilexit. NV. *Erravit vagus.*
DE *Arcadia nempe virgo, Palladios choros*
Dum nectit, Auge. NV. *Vim stupri passa excidit,*
Nullamque amoris retinet Herculei notam.
DE. *Referam quid alias? méne Thespiades vocant?*
NV. *Brevique in illas arsit Alcides face.*
DE. *Hospes Timoli* &c. vsque ad versum 373.
NV. *Vbique caluit, sed levi caluit face.*
Hærere &c. vsque ad *Vt alta*, ibi enim redeat Deianira. & ita distinguendũ esse, qui non videt, nihil videt.

364. *Concessa famulo est.*] Sunt qui gestiant rescribere *Concessa famula*, quòd non videatur Iovis nepos dici posse famulus Herculis. malè prorsus. nam ille cuius auspiciis aliquid geritur in bello, omnes administros non absurdè vocarit famulos, quamvis alioquin pares, imò superiores. Sic famulos habuit Græcorum reges Agamemnon: sic Heroas tot, Iason; de quo opportunè Valerius Flaccus:

-tacitique sedent adiussa ministri.

Cæsar quoque de Pompeio lib. III. bell. civil. *Sed illũ delectari imperio, & Consulares Prætoriósque servorũ habere loco,* &c.

370. *Brevique in illas arsit Alcides face.*] Volunt quidam enclyticam additam, vt vitiaretur hiatus: quapropter, tanquam si aspergeret menti loquentis maculam, iusserunt deteri. quibus non obtempero. nam *que*, heîc valet *etiam*, & cuiusvis est momenti, nostrâ quidem interpunctione.

373. *Vnum feroci stamen*] Sic Pall. novem. Acquiescebam antea Canteriano, *Vdum feroci*: sed cùm asseveret Delrius. mss. suos servare, *Vtrumque feroci*, consuluerim libenter textores, an non esse queat auctoris geminum germanum: & *vtrumque stamen* ceperit; primum quidem pro illo quod ita propriè dicitur; alterum vero pro *tramâ*

ac sub-

ac *ſubtemine*.& quid ni ita liceat ſuſpicari? ſi non;coniecerim *vanũ*, hoc eſt,quod telæ ineptũ.neque enim vnâ horâ vno die diſcipulas ſuas hanc artem docet Ergana Pallas.

382. *At cùm ſolutos expulit Boreas Notos*, &c] Pall.quinque *extulit*. quod dubito an auſim probare, vt ſit metaphora rei funereæ. Interim tamen moneo lectorem, caveat ſibi à neotericis editionibus, quæ perperam heîc ſuppoſuerunt literam, & *At* mutarunt in *Aut*. neque enim id toleret filum orationis, non ſi omnes admittamus figuras.

390. *Ætas citato ſenior eripuit gradu*] Læduntur aures tali contextu ſermonis, neque eas tranquillant qui reponunt, *ſenior & rapuit*,imò magis adhuc radunt. Planè videtur altiore labe infectus locus,quàm qui literæ unius alteriuſq; reformatione ſanetur. nam noſtri novem nihil variant.

397. *Præclara totis gentibus coniux eram*] Offendit quoſdam *totis*, ſuppoſueruntque *notis*. at hoc me offendit; vt liqueat, quot homines tot eſſe ſententias. *totum* pro *omne* & *cunctum*, mille locis obvium eſt, etiam apud Senecam.

399. *Optabat omnis, quò nimis quisquis Deos Orabat vllos*] Mirè diſcrepant mſſ. Pall.Quatuor eorum,*quæ nimis quisquis* &c. vnus, *quæ nimis quisque*. alter, *qua nimis quisquis*. tertius, *quæve mens quicquam Deos*. quartus, *quæ nimis quisque Deus*. Ex ſcripturâ eâ quæ conſentit cum codice Lipſiano, facilè fuerit fingere, *Optabat omnis quæ vehemens quicquam Deos orabat vllos*. Sed nondum mihi potuit diſplicere hariolatio quam poſui in Suſpicionibus, *omnis, cominus quisquis Deos Orabat vllos:* vt velit,ſi quæ, metu ne audiretur ab aſtantibus, inſinuaret ſe propiùs Deorum ſtatuis, & eis veluti ſolis notum eſſe volebat votum ſuum, eam ſcires expetere tacito illo voto coniugiũ Herculis.

415. *Et quisquis alius orbe conſepto iacet*;] Editio recentior, *orbe concepto*, quomodò etiam mſſ. aliquot: ſed ſine idoneo ſenſu.

445. *-culpa par odium exigat.*] Pal. vnus *excitat*,alter *exigit*. quod vltimum ferri queat, vt ſit ſententia, quam applicet verſu ſequenti.

463. Ni-

463. *Nihilque leges ad meos cantus tenent.*] Mſ. vnus, *cantus tenet*. lucidiore ſenſu, forſan & veriore.

484. *En locus ab omni tutus arbitrio vacat.*] Sic reſtitui ex mſſ. tantò prõptiùs, quòd ſede quintâ rarò ponatur iambus. *Arbitrium* pro *arbitris*, ſicut *ſervitium* pro *ſervis*, *matrimonium* pro *coniuge*, &c.

503. *Tranſire Neſſo vorticem ſolitus vagum*] *Tò vadis*, quod alii libris invexerunt, minùs convenit. nam Neſſus ſanè tranſnatavit Euenũ. cùm enim fuerit equus ſimul & homo, etſi fingamus erectum ſuperaſſe quoſlibet gigantes, at invenietur tamen minor proceriore aliquo homine ſimulatque pedibus quatuor inſtiterit.

512. *Prohibetur vndis*;] Hercules, vt aliis placet, qui volunt iſthæc adhuc dici à Neſſo. neutrum crediderim; imò Neſſus prohibetur vndis fieri conjux Deianiræ. nam etſi ſuperarat flumen, tamen campi adiacentes latè adhuc inundabantur, itaque quòd ibi minùs commodè coire poſſet, fugâ tendit ad interiora. quare vbi ſuprà fuit, totus vndis Neſſus exierat; ita intelligendum, vt pedibus tantùm, aut adeo plantis, calcarit aquam.

537. *-& tactus ſinûs Intret medullas.*] Alij aliter. ego medicinam loco huic fecerim abiectu litteræ *& tactu ſinus*; vt quemadmodum ſuprà dixerat *virus per artus adire mentem*; ità heîc velit, ſola tactu ſinus intrare medullas.

545, *Non ex ſagittis levibus; è numero precor Graviore profer,*] Emendatio certa, quamque aſſerunt Pall. quatuor quinque. Prior lectio, *è nervo precor* &c. dura eſt, imò duriſſima. neque enim è nervo aut arcu propriè profertur ſagitta, ſed è pharetrâ.

552. *Cùm fronte ſubitâ tumuit*] Non placet illud *ſubita*. Mſ. vnus aliàs legi fatetur, *ſubditâ*. Veniebat in mentem *Cùm fronte ſubditivâ*. ità quidem vt etiam tolleretur aut *tumuit*, aut alterum epitheton poneretur loco *rapidum*: ſed nihil adiuvant libri, in quibus conſtanter *timuit*.

568. *Celanda vis eſt, illa ne pateant mala.*] Valdè languet verſus. vnus mſ. *illi ne*. neque diſplicet.

683. *Medium cæli dum ſulcat iter,*] Mſſ. ferè, *Medium cæli peregerat iter*; aut *Medium dum peregit iter*; ſive adeo, *Medium cæli*

celi dum purgat iter; vt videatur reponendum, *Medium celi dum pergit iter.*

684. *Tenuit Latias Dedalus oras,*] Ita Pall. omnes. nec tamen satisfacit.

713. *Semel profectò premere felices Deus*, &c.] Mſſ. *Simul profectò.* Hæreo, quid malim; & ferè est vt vltimũ, ob consensum antiquitatis.

727, *Abiectus horret sanguis,*] Pall. quidam, *Abiecta horret virus*; alii, *Abiectum horret virus*. An aliquid latet monstri? nam & mox iidem, *Tepefactum*. vnus præterea, *Abiectus horret sanguis, & Phœbi comam Tepefactus astris.*

739. *Tumensque tacita sequitur, & quassat caput.*] Deleviſsem isthæc tanquam plus quàm supervacanea, nisi adfuissent omnibus m. s. vnde exciderint, nescio. quidam locum eis dare nituntur inter versum 1003. & 1004. sed profectò non convenit.

745. *Regina triumphi templa Iunonis pete* &c.] Duos istos versus reducendos putavi, quòd extarent in codice Lipsiano, & Delriano, nec non vno nostrorum. emendatur quidem pulchrè: *Regna, triumpha; templa* &c. sed in re tam tristi nescio an habere debeant locum. videtur enim dicere filius toto orbe nullum patere matri asylum, nullum templum, nisi Iunonis solùm, quò se conferre queat supplex. Itaque illud *Regina* videtur mutandum in *Rectà*. vetustissima editio habuit *Regia*. De *triumphi* illo quid faciam, nescio.

751. *Vrit lues nescio quæ*] Exoletæ edd. *vrit lues quæ nescio*; ad versum benè. sed mss. unanimiter servant nostrum, quod etiam ferri queat, dummodo *nescio* contrahatur in duas syllabas. Istud *Vrit lues Nessea*, quod extat in aliquot editis, spurium est. ne per vmbram quidem suspicionis constare poterat Hyllo de cruore Nessi. Cogitabam aliquando fuisse, *Vrit lues ignota*, atque ei superiectum *nescio quæ*, quod deinde in textum irrepsisset eiecto altero.

772. *Præcedere tu illum dicis? an possim prior Mortem occupare?*] Fuit cùm suspicarer, *ah possim prior Mortem occupare.* Imò, inquit, non præcedet si non obiit: iam enim ei sttaim morte meâ satisfaciam. Posset etiam fuisse,

at pos-

at possim. Certè vulgata lectio valdè mihi ieiuna.

780. *Dum lassa Titan mergat Oceano iuga.*] Sic proletaria exemplaria. at mss. nostri ferè; *Dum lassa Titan mergat Oceano iubar.* aut etiam, *Dum lapsus*, sive *lassus.* vnus etiam, *lassum.* quod alij inventum item in mss. suis receperunt in contextum, gemente versu.

784. *Totumque tantis gemuit armentis nemus.*] Nihil hesc innovo. indicare tantùm libet, esse in vno ms.

Taurisque tauris gemuit auratis nemus.

An voluit?

Totumque tauris gemuit auratis nemus.

Ità ferè libet suspicari: adderem, opinari, si variarent ceteræ membranæ.

796. *hîc cœlum horrido Clamore complet.*] Idem liber, *hinc:* neque auri displicet.

797. *qualis impressâ fugax Taurus bipenni*] Apage illud nonnullorum *ferox.* Interim, non sumpta isthæc ab Ovidianis libro IX. Metamorphos.?

Haud aliter graditur, quàm si venabula taurus
Corpore fixa gerat, factique refugerit auctor.

Mutuatus est potius ab istis Virgilij lib. 11. Aeneid.

Clamores simul horrendos ad sidera tollit:
Quales mugitus fugit cùm saucius aras
Taurus, & insertam excussit cervice securim.

802. *Et vasta Calpe sonuit* &c.] Ita novena cohors membranarum nostrarum. Recentiores revocarunt, *vasta Calchis.* non audeo tantum tribuere vni libro: præsertim cùm haud videam quomodò ei conveniat epitheton *vasta.* absit tamen vt putem dici de *Calpe Hispanicâ.* fortè fuit eius tractus mons aliquis tali nomine.

Robertus Titius.

815. *-nubes vago Spargit cruore* &c] * Quidam libro VII. Assertionum producit locum istum, vt ostendat multa. Poëtas subticere, quæ tamen subintelligenda. *Quomodo enim,* inquit, *in nubibus cruorem spargit, nisi alicui rei solidæ impegit, aut eum Hercules pugno aut calce priùs percussit?* Imò nihil horum. rotatus ille violentus, corporis venas omnes rupit; vel etiam ipsa abrupit membra. Physicis hæc nova non sunt.

820. *in-*

820. *inferiùs tamen Fugiet arundo.*] Ita ſanandum putavi locum; nudâ ductus hariolatione. nam mſſ. & edd. vett. *inferius tamen Fugiente trunco*; quod natum expriore illâ ſcripturâ, facilè deprehendet qui nexus literarum penitiùs introſpexerit. Haud tamen reiicio Lipſiani codicis illud, *inferius tamen Et tela fugient.*

845. *tam levis pœnas manus Tantas repoſcit ?*] Recentiores repoſitum iverunt, *tam leves pœnas manus Tantis repoſcit*; ſed præter libb. mſſ. quibus ſuus ſubeſt ſenſus, & quidem acutus. negat enim Deianira manum ſuam imparem inferre pœnas quas meruit: itaque invocat manum Iovis fulminantis. Supra quoque quidam interrogatione corruperunt illud: *Sic ſic agendum eſt.* nam ſunt verba decreti Deianirani; quamvis id ſtatim evertat, vt fieri ſolet.

856. *-hæc erit votum, manus*] Sic aliquot Pall. admodum perſpicuè. Hæc manus me faciet voti potentem. Sic infrà, v. 1296.

-non tamen vultus meos
In aſtra torſi. ſemper hæc nobis manus
Votum ſpopondit.

Anteà legebatur, *hoc erit votum manus.*

858. *Cur deinde ferrum?*] Editi nuper, *Cur ? deme ferrum*, ſed minùs diſplicet, quod reperi in vetuſtè cuſis, *Quin deme ferrum:* magis tamen placuit quod poſui loco primo, quomodo erat in Lipſiano codice & aliquot Pall.

886. *Quicunque fato ignoſcit,*] Sit ſententia non pedaria, ſed linguaria, Pall. novem. Vulgati, *facto*, malè. nam & infrà 900: *Fata quis damnat ſua?* vbi perperam etiam in editis, *facta*; vt & monuit Delrius.

893. *Vinci Hercules cùm potuit, hinc cœpit mori.*] Ita Pall. omnes; niſi quòd vnus, *non potuit.* Non malè Lipſij membranæ, *cùm potuit, tunc cœpit mori.* Verùm, ne quid diſſimulem, magis adhuc mihi blanditur divinatiuncula mea; *cùm potuit, tunc cœpit mori.*

915. *Serpentis illi virus enecta* &c.] Sic ferè mſſ. Minùs perſpicuè vulgg. *illud.*

928. *Quicunque miſero fortè diſſuadet mori, Crudelis ille eſt: interim pœna eſt mori* &c.] Lipſius antè *interim* collocat

perſonam Nutricis. Dejaniræ verò, antè; *Sed ſæpè.* non malè. Sed & omnia benè procedent, ſi interpungamus:

Quicunque miſero fortè diſſuadet mori,
Crudelis ille eſt. Interim pœna eſt mori;
Sed ſæpè donum in pluribus veniæ fuit.
NV. *Defende ſaltem.*

Certè nihil hiulci in tali diſtinctione. *Interim* heſc notat *interdum*, vt & ſuprà v. 481 *interim ſcelus eſt fides.* Alij aliter interſtinguunt perſonis. ſed cuique homini ſua eſt ſententia.

949. *-peior hæc, peior tuâ Vtrâque dextra eſt, ſcelere ſeu* &c.] Lipſij liber, *tuo*; vnde quidam fecêre, *peior tuo Vtroque dextra eſt ſcelere, ſeu* &c. ſed contra omnem manum noſtrorum ſcriptorum: quibus cùm ſubſit ſenſus tolerabilis, obtineo antiquum: nihil muto.

967- *tuque, quæ blandâ tenes In luce miſeros, vitæ: caritura Hercule Lux vilis iſta eſt.*] Ita ferè maxima pars Pall. nam vulgg. intricatiùs, *tenes In luce miſeros, vita caritura Hercule. Lux vilis iſta eſt.*

972. *Virtús ne ſupereſt aliqua Sarmatica? & manu Intendent arcum tela miſſurum valet?*] Diſtinctio eſt ab ingenio, lectio verò à mſſ. omnibus & meis & alienis. Senſus eſt, Si adhuc viribus par es, non tibi ipſi nec virilioribus, ſed feminis Amazonibus, & arcum eis ereptum tendere potes in meam mortem; dextrâ meâ non vtar. Sarmatas fuiſſe Amazonas, vſasque arcu & ſagittis legamus alibi Hippolyto ſupra, item Agamemnone v. 844.

975. *-ſi poteſt letum dare Animoſa coniunx*] Ita Pall. vnus, reliqui *telum*. Lipſius malebat, *ſi potes letum dare*; æquè benè. Ceterùm cur minùs mox placeat *Animoſæ coniunx*, malimque librorum ſcripturã, eſt quòd non videam cur ita compellare debeat maritum, adeò viribus defectum, vt vix mortem feminæ inferat. at ſe *animoſam* jure dicat, quòd vltrò morti ipſi incurrat, nihil refugiens, vt ſolent mulieres. Sic & infra eadem v. 992. *mater intrepidum tibi Præbebit animum.*

1000. *-dextera parcunt tua Eumenides ipſæ.*] Vetus editio & mſſ. plerique, *parcant*. tres verò eorum, *parcam*. quod vltimum

timum si cui placet, tùm erit sensus, Non iam Hylle vltrò insto, vt me occidas; id scelus remittam, ac parcam tuæ dextræ: quandoquidem ecce Furias, quæ id peragant. Malim tamen vulgatum.

1003. Temporibus atras squallidis pinnas quatit &c.] Antè istum aliqui putant locandum versum 739. *Tumensque tacita sequitur & quassans caput*, sed contradicunt mss. nec solet cumulare tot participia Seneca. Prætereà, occurrere debebat Megæra, non sequi. Deinde, quid heîc est *tumens?* Denique quàm illepidè in vno versu visitur, *quassans caput*, in altero, *pinnas quatit*, in tertio verò, *torquens comam*. Nunquam ita scripserim. Porrò neminem adhuc vidi qui nobis explicaret, quid sibi heîc velint pennæ istæ Eumenidum, quas quatiunt squalidis temporibus. eas repræsentavi in Suspicionum libellis. indè petet, cui tanti sunt.

1015. tellus labat Et aula tectis crepuit excussis. minax Vnde iste cœtus?] Reduxi quod invenerat in suo Lipsius, neque secùs Palatinorum vnus. Vulgati hactenus, *crepuit. excessit minax Vnde* &c. quod nauci non est. posset tamen vtcunque ferri, si puncta sic mutes, *crepuit. excessit minax. Vnde* &c. vt illa *excessit minax*, dicantur de Megærâ.

1020. Mors sola portus. dabitur ærumnis locus.] Inclino ferè in scripturam Pall. vnius, *Mors sola portûs dabitur ærumnis loco*. Haud tamen variant alij; nisi quòd vnicus, *ærumnis latus*.

1037. oblitusque sequi fugas, Amisit &c.] Ita omnes nostri. amplector tamen coniecturam Lipsij, *fugax*; nam qui antè eum divinarat, *oblitusque stetit fugax*, peccat in legem versûs. *que* enim vltimam producit ob sequens *ste*.

1042. Advexit volucrem nemus,] Ita mss. omnes & edd. antiquæ. fœtus nuperioris libri, *volucres*, ineptè. nam sequitur *residens*.

1048. Abrupit scopulos Athos, Centauros obiter ferens;] Fatuissimam lectionem iam sæculum toleravimus, *Centauris obitum ferens*. conveniebat enim monti transitus innocens, non qui inquilinos opprimeret. nimirum ipse Athos stitit se Orpheo vnà cum Centauris, qui ei tunc fortè

inerrabant. nec aliter repræsentant aut veteres edd. aut membranæ Pall. meliores. invenit & idem in suo Delrius, sed improbat: quod miror. nam lepidissima est imago, & respexit auctor ad illa Hercule Furente, *saxa cum silvis feram, Rapiamque dextrâ plena Centauris iuga.* vt fortè capiamus Centauros pro hominibus improbis, quid tum? & serpentes & alia venenata ait auctor advenisse ad cantum Orphicum, tunc oblita nocendi.

1049. Et iuxta Rhodopen stetit Laxatâ nive cantibus.] An isthæc sit vera lectio, dispicient quibus ingenium in numerato. nam hoc quidem ictu temporis, non supereſt spatium examinandi. sunt autem è Pall. in quibus visitur *cautibus.* sunt, in quibus *candidus.*

1061. Manes cùm tacitos adijt,] Ita nullo apice minùs Pall. duo; quibus cùm adsentiretur alter Lipsij codex, eieci vulgatum, *Manes commonitos adit*; tantò quidem proclivius, quòd non loquerentur vno ore reliqui mss. in quibus *commotos*, item *commorantes*, etiam *comonitos.*

1096. Nulli non avidas polo Parcas stamina nectere.] Viris doctissimis placet, *avidas volo.* sed quàm magis excutio, tàm magis bliteum est. *Polus* heîc, quæcunque mundi pars: moxque meminit poli *Australis* & *Arctoi*; & v. 1119. habemus, *Stratis vt iaceat polis.* & v. 1361. *- quæ plaga inferni poli* &c.

1111. Cæli regia concidet, Certos atque obitus trahet.] Pal. vnus punctis subduxit vocem *certos.* & verò nihil hoc loco contaminatius, si fides alteri scripto, qui clarè præferat: *Cæli regia concidens Ortûs atque obitûs trahet.* Egregiè. Obruet, inquit, vna ruina omnia, & quà dies oritur & quà moritur.

1123. Quis tantum capiet nefas Fati?] Adhæserim libro Lipsij, scribenti *Fratrum?* nam Pal. vnus tantùm servat vulgatum, reliqui omnes *Fatum.*

1133. Obsta novercæ.] Reduxi quod hæsit in Pall. novem. & vividiora sic sunt, quàm si maneant illa hactenus publicata, *Obstet novercæ.*

1167. - non truci vultu Gigas Pindo cadaver &c.] Non absurdè heîc divinant aliqui, *Gyges*; nisi loqui eum de omni

omni Gigantum genere evincerent quæ repetuntur infrâ v. 1214. *Quod nulla fera est, nullusque Gigas.* Deinde cur Gyges heîc potissimùm requiratur? nec enim is Gigantum olim omnium erat formidolosissimus..

1171. -impendo malè In nulla vitam facta.] Præclarè ms. Lipsij, *impendo hei mihi In.* sed non addicunt aves mss. Palatinorum; vniqúe Codici, etsi omni auctoritate maiori, haud ego credulus; ne vel exemplo noceam.

1180. -cadere potuissem mihi Iunonis odio:] Optimè iterùm Lipsii scriptus, *hei mihi*; dolétque, quòd ob sacramentum meum veter sequi.

1182. si nimis Superis fuit,] Sic aliquot etiam mss. nostri. mallem adhuc literâ adsitâ, *Sin nimis.*

1189. Adhuc ferebas esse te Alcide imparem.] Parum abeunt à sono & à litteris qui divinant, *fremebas.* ego adhuc minùs, cui occurrebat, *furebas*, de quo latiùs Suspiciones nostræ lib. XIX. cap. XXI.

1197. -nunc ab infernâ Styge &c.] Sic mss. aut verò *non ab.* meliúsque id mihi quadrare visum, quàm quod in tritis edd. *tunc ab.*

1200. -ô feræ victæ, ô feræ!] Hæc consona scriptura Pall. novem. & præstat. nam durè vulgg. *proh feræ victæ* &c. Hiatum heîc eò feramus faciliùs, quòd suspiria plura interveniisse verisimile sit.

1211. Et montiferum Titana pati.] Sic præter antiquos codd. Delrij, Palatinorum tres. Antea fuerat, *Et monstriferum.*

1217. Eheu quis intus scorpius &c.] Cùm restet in meis *Heu quis intus*, probabile videtur excidisse voculam geminæ similitudinis, ac fuisse *Heu, heu, quis intus scorpius.* nam quod substituunt alii, *heu qualis intus*, non tam congruit repetitioni, *quis*, quæ sequitur.

1218. Plagâ reversus cancer] Sic Pall. omnes: blanditur tamen haud leviter Lipsiani cod. scriptura, *revulsus.*

1224. -abstulit costis latus.] Ita benè liber Lipsii; cui cùm & consentiat vnus meorum, reieci vulgatum, *abst. costis iecur.* vtique cùm non consentirent omnes alij,

essentque in quibus conspiceretur, *abstulit pestis iecur*,

1233. - *Herculem agnoscis pater?*] Ita desiderabat sententia. Vulgati dudum, *agnoscas pater*; contrà optimam partem mss. Pall. neque aliter Delrius.

1234. *Hisne ego lacertis* &c.] Sic Pall. omnes. Particula *ne*, hactenus defuit, cui suæ tamen vires.

1242. *Hæcné illa cervix?*] Sic iterùm Pall. nisi quòd quidam, *Hæc mea illa*. Vulgg. abest illud *ne*.

1245. - O *vires priùs In me sepultæ!*] Viri clarissimi, librum vnum secuti, legunt; *vbi vires priùs In me? sepultæ*. At sic nihil novum dicitur, id enim iam clamarunt versus plures qui præcesserunt. Vulgata autem lectio hoc vult; vt vires omnes advocat malo isti repellendo, exeruisse se non pauca antehac quasi sopita; quæ ne ipse quidem sibi inesse putaverat. & faciunt hæc exaggerandæ pesti, cui ne sic quidem par esse poterat.

1254. -*an aliquod est mihi ignotum malum?*] Edidêre alii, *es mihi*. Ego non dubito verum esse, *& mihi*, si modò quid mutandum de lectione receptâ. quæ vult; at ego putabam nullum esse malum, quod non etiam nosem.

1259. *Quæcunque pestis sæva, quæcunque effera es, Palàm timeres*] Videtur legendum, *quæcunque es fera*, vt habet vnus Pal. & coniecit Delrius; aut certè, *Quæcunque pestis, sive quæcunque es fera*, quomodò ferè liber Lipsij. Illud *Palàm timeres*, aliquando rapui in medicinam: sed frustrà. sanum erat: sanum.

1266. - *consuetus (pudet!) Iam flere didicit.*] Sic quidem nostri; sed prætulerim tamen quod restat in Delrianis, *pudor!*

1272. - *durior saxo horrido Et chalybe vultus* &c.] Valdè hæc mihi hiulca. sed nec suprà placet, *fletum abstulisti*. nihil tamen iuvant codd. scripti, quàm quòd Pall. vnus loco *vultus* servet *virtus*.

1274. *Summe protector poli,*] Ita mss. aut *prospector*. Lipsii liber, *prò rector*; quod iam occupat edd. recentiores. vellem & nostram! sed non audeo, quòd nullus adstipuletur liber alius.

1284. *Fletum virtus sæpè resolvit.*] Variant aliorum mem-

membranæ: etiam Principis mei. nam vnæ: *Fletus victus ſæpe reſolvit*. ceteræ tamen ſtant à vulgatâ. Quod eſt in Delrianis, *Fletum luctus ſepe reſolvit*, facilè mutari poſſet in *Fletus luctum ſepe reſolvit:* vt fieret illud Ovidij,

Expletur lacrimis egeriturque dolor.

Sed an ita expediat vinculo orationis, viderint alij. mihi contra videtur. Tempus fuit, cùm ſuſpicarer Lipſij ſecutus auſpicium, *Fletum virtus ecce reſorbet*; vt hæc dicat Chorus ſopito Hercule, ac ſic quoque in ſomnis devorante erumpentes præ dolore lacrimas.

1287. -vicitque faces Solis aduſti glaciale iubar.] Quicquid alij dicant aut non dicant de *iubare glaciali*, nunquam perſuadebunt mihi id Latinè dictum. In mſſ. noſtris ferè eſt, *vincitque nefas Solis aduſti glaciale iubar:* vnus autem præterea refert, *vincitque glaciale nefas Solis aduſti glaciale iubar.* Vnde fit, vt non ambigam fuiſſe primitùs: *vincitque iubar Solis aduſti glaciale nefas.*

1292. Non, cùm per artus Hydra fecundum meos Caput explicaret.] Ità rurſus poſtliminio ſcribendum putavi, auctoribus mſſ. noſtris, imò ratione ipſâ. Antea invectũ erat, *Caput implicaret*; placuitque viris harum artium primis. At capita Hydræ non ita exoſſa & iuncea, vt circumvolverent atque amplecterentur Herculem, vt ipſi interpretantur. non: Hydra ſeptem illis capitibus hinc inde erectis eum circumvallabat quaſi quâdam ſagenâ.

1301. Giganta crede. non minùs verum mihi] Sic mſs. noſtri; niſi quòd aliqui, *credo*. vnus etiam, *ferum*. Bella eſt correctio, quam protulit è mſs. ſuo meus Lipſius, eámque recentiores edd. iure ſunt amplexæ; *non minùs cœlum mihi*. ego cur non poſſim, iam centies dixi.

1312. Armetur in me dirus, eſt frater quidem; Sed ex novercâ.] Solidum robur acceſſit verſui à mſ. Pall. anteà enim legebatur flaccidè nimis, *dirus & frater quidem.*

1320. Et nulla tellus, nulla] Concinnius videbatur mihi, *Hei! nulla* &c.

1402. Excuſsit illi nimius impulſus dolor.] Extat in noſtro vno, *impulſans*, quomodò coniecit ex ancipiti ſcripturâ mſ. ſui Lipſius.

1408. Obire forti meminit Alcmene manu.] Ita Pall. septem; duo tantùm accedunt nuperè vulgato, *meruit*, quod videtur etiam damnasse vnà cum manuscriptis suis Delrius.

1413. Gravique anhelum pectus impulsu quatit.] Mss. nostri concorditer, *Gravique anhelo pectus impulsum quatit*, quod videtur revocandum; sæpiùs enim ita traiicit epitheta noster.

1418. Pro lux acerba! prò capax scelerum dolor!] Alij interpunxêre, *prò capax scelerum! dolor!* vt *dies* dicatur *capax scelerum*. quod non pacat meas aures. imò dolorem scelerum facit capacem; quòd eius impulsu Deianira duplex fecerit scelus; & occidendo maritum, & seipsam.

1440. - & ab ipsis pater Deucor. astris?] Pal. vno abest vox *ab:* & verò, si mei esset arbitrij aliquid innovare, fecerim; *ah ipsis pater Deucor astris!* sine particulâ &, aut sanè id mutarim in *hei*, abiecto priùs *ab*.

1442. -tàm propè à leto fui.] Sic mss. Pall. nisi quòd vnus & alter *à lecto*. Induxerunt alii *à cælo*; quos non ausim imitari, cùm & infra sequatur, *tàm benè excideras dolor*.

1459. - perdidit comitem Lycas] Interpretationes aliorum non faciunt ad meum stomachum. Puto Herculem innuere, se simile letum illaturum fuisse Dejaniræ, quale intulerat Lycæ, nisi ipsa præoccupasset fatum: Lycam igitur perdidisse comitem.

1463. - huic aliquid quoque Detrahere velles.] Potissima pars Pall. *hinc aliquid*. non malè.

1468. Ictus sagittis qui tuis vitam expulit.] Sic solùm vnus atque alter Pall. reliqui enim, *extulit*.

1471. -fata se nostra explicant. Lux ista summa est] Quoniam negant alij haberi isthæc in suis codd. ne alii deindè eiiciant ceu spuria, sciant extare in Pall. quinque; nisi quòd ibi alio ordine, *fata nostra se explicant*.

1482. - Oetæum nemus Suscipiat ignis.] Malim literâ interiectâ, *igneis*, vt habet Scholiastes. nam mss. sanè *ignem* diserte præferunt omnes.

1483. - Herculem accipiat rogus, Sed ante mortem, tu genus Peantium, &c.] Dignam Senecâ sententiam reduxi

in

in Suſpicionibus meis, aliâ diſtinctione; *Herculem accipiat rogus, Sed ante mortem. Tu genus* &c. Vult enim vivus adhuc comburi. Monſtro ſimile eſt, tot Lynceos heîc non fuiſſe Lynceos.

1508. Quid tale Iuno peperit,] Sic noſtri. Cùmque ſit liber in quo extet, *Quid tale peperit, genuit,* ſuſpicer primitus fuiſſe; *Quid tale Iuno genuit.* mutatumque ab eis, qui *gignere* volebant virorum tantùm.

1530. Vbi quóve, ſumme Herculem, &c.] Palàm melior eſt ſcriptura Lipſiani codicis, *vbi, quo ſub axe Herculem.* ſed propugnant tamen alterum mſſ. Pall. omnes.

1557. Æacúmque inter geminosque Cretas Fata diſcernes.] Alij aliter hæc rapuêre in medicinam. Quam heîc vides lectionem, eſt Pall. meliorum; niſi quòd ij prætereà *Æacosque inter.* Conſulantur Notæ noſtræ Hercule Furente v. 744.

1569. -quis erit recepti Tutus Alcide locus &c.] Sic plerique manuſcripti codices. Itaque exterminavi illud *recepto*; minùs erectum.

1583. Ante deſcendet glacialis Vrſæ Sidus-] Ruſticè nimis priùs viſebatur hoc loci, *Ante diſcedet.* & vel huius ſcripturæ reductæ causâ aliquid mihi debebit Senecæ cultor: quam ſciat eſſe ab aliquot Pall.

1600. & viſum Canis inferorum, &c.] Sic mſſ. noſtri; non, *an viſum,* vt habent excuſi tantùm noſtro ſæculo. anteriores enim agnoſcunt lectionem primo loco poſitam.

1595. Mœret Alcide pater,] Malim quod in pleriſque mſſ. *Alciden.*

1624. Vltraque totos porrigit ramos nemus.] Non admiſerim aliorum *totum,* vetantibus membranis. & alioquin *totum* ſæpè iam vſurpavit noſter locò *omne.* Sic Ovidius lib. XI. Metamorphos. v. 387 *nondum totos ornata capillos Diſicit hos ipſos.* & *totorum bonorum* meminerunt Pandectæ, tit. *Si quis à parente manumiſſ.* l. 3.

1631. Volucres pererrant nemore ſucciſo domûs.] Ità omnes mſſ. noſtræ Bibliothecæ; ita aliquot Delrianæ. quod cur non reciperem, eraſo illo nupero? *diem*: ne avorum quidem memoriâ natum, ſed heri. Vult

Poëta, primùm nidos avium perijſſe; deinde tantum nemoris exciſum, vt iam laſſæ ramum nullum invenirent, cui de more inſiderent.

1651. Victure felix : has enim &c.] Ita Pall. omnes. neque requiro heîc admodum illud, *Virtute felix iuvenis , has nunquam*, &c. vbi enim felicitas, ibi robur ſupervacaneũ eſt. *Victure* heîc eſt à *vincendo*, non à *vivendo*.

1661. Mecum per ignem flagret.] Mſs. duo tres, *ignes*. reliqui, *Mecum periacet, flagret*. quod non intelligo.

1720. Ignave, iners, inermis. en noſtros, &c.] Secutus ſum Lipſianum codicem , quòd Pall. expreſſiſſent vocem *en* literâ vnicâ cum virgulâ ſuperiacente, *ẽ*. vnde natus error, aliis id accipientibus pro *eſt*, cùm eſset *en*.

1648. Hinc inde traxit, nimia quas flamma occupat.] Coniecerunt viri ſummi, *minima* ; nec ſegniter occuparunt Critici: ego adhuc hæreo. Certè cùm novena noſtra cohors adiuvet priorem ſcripturam , puto tolerari poſse: vt Hercules trabes ignitas quidem maximè, ſed remotiores, traxerit in ſe ac membra ſua.

1807. Et hoc daretur ſcire &c.] Videtur vel contra libros legendum, *Vt hoc d.*

1825. Quæ tibi ſepulchra, gnate? quis tumulus ſat eſt?] Non leviter adblanditur quod eſt in vno mſ. noſtro , *quis titulus ſat eſt?*

1827. - Herculis cineres tene.] Aliquot Pall. *tenes.* & malim.

1860. -vt invidiam Deis Lugendo facias,] Verſus requirit voce tranſpoſitâ legatur , *invidiam vt Deis.*

1862. Advoca in planctum genus.] Sunt qui nuper edidêre, *genas*: ineptè. neque enim plangunt genæ. *Genus* heîc notat totum orbem, gentes omnes, vt dudum oſtendi in Suſpicionibus; diſerteque noſter ſupra, v. 759.

Non ſola mœres; Hercules toto iacet
Mundo gemendus. fata ne mater tua
Privata credas. iam genus totum obſtrepit, &c.

Ita enim mſs. Pall, niſi quòd aliqui contra rationem verſus, *gentes*. Sic etiam ſupra v. *1698. Scythiæ genus.* itemque v 1809. *omne iam ingratum eſt genus.* Et in Hippolyto v. 470.

Quæ ſupplet ac reſtituit exhauſtum genus.

1884. Et iuga Spartes Nemeæque ſonent] Convincunt hæc falſi codd. Pall. Quidam enim, *Spartem iuga Nemeæque ſonent*; alii verò, *Iuga Sparten Nemeénque ſonent*; nonnulli, *Iuga Spartes Nemeæque ſonent*, vnus etiam, *Iuga Partheni Nemeæque ſonent*. quod vltimum movebit alicui ſalivam; mihi ſanè ità movit, vt arbitrer auctoris germanum, compellatisque Arcadibus enumerare loca aliquot Arcadiæ. nam Parthenium montem eiuſdem regionis, teſtatur in Arcadicis Pauſanias ipſo fine, Strabo item lib. VIII. Geograph. & alij.

1888. Alesque ſequi iuſſa ſagittas, Totum pinnis velata diem.] Conijciunt magni Critici, *vallata*, miráſque adiiciunt interpretationes huius loci; tanquam videlicet *ales vallata pennis, iuſſa ſit ſequi ſagittas totum diem*, hoc eſt, Hercules illam coëgerit integro die fugere, continuè ſagittis inſecutus. & ſit ſynecdoche. Ignoſcant mihi, ſi in alia omnia deſcendam, putemque vulgatam dicere; Stymphalidas, alis ſuis expanſis diem ipſum obtenebrare ſolitas, decidiſſe in terram vnà cum Herculis telis. Planè Harpyias obſcuraſſe diem, habuimus Thebaide v. 422.

Quæ Sphinx, vel atrâ nube ſubtexens diem
Stymphalis avidis præpetem pennis feret?

Iterùm Hercule Furente v. 243.

Solitasque pinnis condere obductis diem
Petijt ab ipſis nubibus Stymphalidas.

Iam *ſequi ſagittas* ea, quæ cum ipſis vnà decidunt, res ipſa loquitur. Nec valdè abſimili figurâ noſter ſuprà, v. 1620. *pinum Aſtris minantem nube de mediâ vocat.* Quomodo & Tacitus lib. IV. Hiſtor. *Neque ipſe deerat arrogantiâ vocare offenſas, nimiùs commemorandis quæ meruiſſet.* Hæc enim ita ſumenda, vt ſecutus ſit ſtatim effectus. Sic dixit Silius lib. XIIII. v. 263. *cælo traxiſſe volucrem.* Plinius quoque lib. XXVIII. *detrahere ſupra volantem accipitrem ad ſe traditur.* Eodem imaginis lepore Statius lib. X. Thebaid. v. 742. *Nullaque tectorum ſubit ad faſtigia, quæ non*
Deferat haſta virum, perfuſaque cæde recurrat.

Etſi non negem ibi etiam ſervari poſſe vulgatum. *Deferat.*

1896. Quod

1896. Quod non ſtabulis naſcitur infans,] Cordata eſt emendatio Lipſij, *naſcitur infans*; confirmatque eam vnus è Palatinis; alluditque alter, in quo *neſcitur*; ſunt etiam qui habeant *veſcitur*. & verò cùm prodiderit Raphelengius primam illam ſcripturam reperiri item in codice Orteliano, ad Orcum relegandum duxi *veſcitur*, hactenus receptum.

1908. Vbi nunc veſtræ Iupiter arces?] Sic & plerique Pall. non *noſtræ*, quod heîc durum.

1921. Fata morantur?] Sic maxima pars Pall. non *Monſtra*. cui primitùs controverſiâ ſtatûs movit noſter Lipſius.

1968. Proinde planctus pone, quos gnato pater Genitrix inerti: luctus in turpes eas?] Nihil horum agnoſcit Scholiaſtes Palatinus, nihil membranæ duæ. in tertio habentur, ſed additum margini *Vacant*. quartus ſolùm agnoſcit, *Proinde planctus pone. Virtus in aſtra* &c. quod probarim. Reliquis adſunt eâ formâ quâ poſui. Habebat tamen tertius ille *eat*, pro *eas*. Editio Pariſina annorum nonaginta præfert:

Proinde planctus pone: quo gnate paris
Genitrix in ortu: luctus in turpes eat.

Coniiciebam puer;

-pro gnato patris,
Genitrix, inertis luctus in turpes eat.

1978. -miſera mens incredula eſt.] Sic noſtri omnes; præter vnum, qui habet *miſera mens incredula eſt*. quod nemini placere debet, cùm repugnet curſui orationis.

1979. Es numen, & te mundus æternus tenet] Pall. vnus, *æternum*. quod acceperim adverbialiter, *æternùm*.

1984. Nec Lethæos ſcæva per amnes Vos fata trahent.] Ita vnus Pall. Vulgati hactenus, *ſæva*; minùs concinnè.

1995. Fortiùs ipſo genitore tuo Fulmina mittes] Sic emendandum fuit, hortantibus Pall. omnibus; niſi quòd vnus *mittas*. nempè affirmat Chorus. Friget valdè præ iſto hactenus vſurpatum, *Fulmina mittens*. Scilicet veluti ſe omnes ad ſolem orientem convertunt, deſerunt occidentem: ita & Chorus lætitiâ novâ ebrius, Herculem Patri præponit; recens numen, antiquato.

IN

IN OCTAVIAM.

Versu 5. *Age tot annus*] Ita emendavi fide manuscriptorum Pall. quatuor. reliqui enim, *age tot tantis*; quod etiam non aspernor, vt neque fugientiũ editionum, *age tot tantisque*. nam musteæ magis nobis intulerant, *eia age tantis*. Ceterùm quòd heîc dicunt alij de hiatu; ita admittendum est, sicut suprà dixi: vt scilicet novus potiùs incipiat ab eo versus, distinguaturque:

Reddit clarum *Age tot annis* &c.

29. *Terga dedêre,*] Et heîc esto finis versûs, distinguente Melisso; aut potiùs antè, *cuique Britanni*; vt est in Pall. omnibus.

42. *En qui Britannis primus imposuit iugum,*] Restitutio huius loci debita Iosepho Scaligero. Anteà erat, *En qui ora Tanais primus imposuit iugo*; quã propugnant nostri omnes.

43. *Ignota tantis classibus* &c.] Probo coniecturam præceptoris mei Lipsij: *Ignota & antè classibus*. atque vtinam vel vnus codex ei fidem etiam adsterneret, ad Orcum mihi iret lectio vulgata.

71. *Magni resto nominis vmbra.*] Optimè. Huc facit illud Lucani lib. 1.

-stat magni nominis vmbra.

Nescio, an etiam alterum, quod adducunt, Propertij:

Non ego, sed tenuis vapulat vmbra mea.

Id enim ità sum interpretatus in Suspicionibus meis, tanquam loqueretur de se non vt vivo adhuc, sed iam defuncto; sicut & alibi canit: *cineri nunc medicina datur.*

74. *Cessat thalamis* &c.] Nostri omnes, præter vnum, *cesses*. aliorum *cessas*, non malum est.

89. *Spernit superbos, humilesque simul,*] Ità Pall. omnes; & constat quidem sensus, sed non etiam versus. Bella est divinatio Delrij, *Spernit superos hominesque simul*, eamque etiam invenit in ms. Colonienſi Commelinus; nisi me fallunt variæ eius lectiones, quas allevit ad oram libri sui.

100. *Toleranda quamvis patiar* &c.] Non videtur necesse vt dilabamur ad coniecturas. *quamvis* enim *toleranda*

randa ponitur, pro *quam libet*, hoc est extremis, & vltrà quæ nihil queat tolerari. Sic Cicero: *Quamvis parvis Italiæ latebris contentus essem.* Virgilius:

Vt quamvis avido parerent arva colono.

Noster Hercule Oetæo, v. 1860. *expedi in planctûs tamen Defessa quamquam brachia.*

134. Emergere vndis &c.] Non opus est vt quid immutetur. sic & alibi loquitur ipsemet Seneca.

141. Genitamque fratris coniugem] Ita Pall. omnes, & volunt *genitam* notare *natam*. quod si admittimus, omnia benè habent.

159. per gradum scelerum omnium] Suaviùs codex ille, in quo *gradus*. sed enim, cùm & vox ea repetatur versu sequenti, aliud adhuc aucuper.

195. Iam metuet eadem &c.] Forsan, *metuit*. Et nescio, an hos tres versus vllus vnquam intellexerit: certè nemo interpretatus est vt debuit. capiunt omnes de Poppæâ: sed falsò. Acten concubinam notant; de quâ Tacitus bis meminit lib. XIII. & Dio Cassius lib. XLI. affirmantque Neroni potiorem fuisse Octaviâ.

214. -Coniugis altæ, Pressusque dolor.] Sunt qui mallent è mss. *altè Pressusque* &c. at Poetæ enclyticam applicandam versui priori nunquam ponunt initio carminis sequentis.

249. Nero, insidivo Domitio genitus patre,] Sic Pall. omnes. quod, quamvis non arbitrer purum putum auctoris, malui heîc tamen conspici, quàm fictitium aliorum, *Nero ipse divo Domitio*. Feliciter divinavit quidem Lipsius, *Nero insitivus*; sed coniecturas quâ facie inferam textui?

269. Prodidit lapsam domum.] Longè meliùs sic legitur, quàm quod substitutum eunt alij, *perdidit*. sic & infra v. 289. *cuius stirpem Prodimus sævo suadente metu*. & alibi iteratur.

305. Hæc quoque nati videre &c.] Ità rescripsi suasu mss. Pall. & postulabat sententia; quæ vividior longè hoc modo, quàm si retineamus vulgatam: *Hoc quoque nostra videre &c.*

377. Quid me potens Fortuna fallaci mihi] Ego heîc maluissem, *fallaci nimis*. & ità fortè scripsit Poeta.

387. -Soli

387. *-Solis & currus sacros*; &c.] Ità Pall. non, *cursus*, vt ediderunt alii. Et tamen vix heîc tolero adhuc illud *Solis*, cùm repetatur versu statim sequenti.

391. *Qui se seneſcit*] Germana lectio. malè anteà dividebatur *Qui seſe neſcit.*

302. *-nunc adeſt mundo dies*] Qui heîc intrudere mallent, *nunc aſſit*, versum corrumpunt.

411. *Extrahere piſces rete*; *vel calamo levi Decipere volucres*; *premere* &c.] Ita Fabricius: & quàm magis omnia excutio, tàm magis lectio placet. nam editt. in quibus ampliùs erat;

Extrahere piſces rete vel calamo levi;
Decipere volucres crate, cervos aut leves
Tenere laqueo; premere &c. spuria tamen eſt. nã illud *cervos* abeſt omnibus mſſ. qui ferè concorditer præferunt:

Extrahere piſces rete vel calamo levi
Decipere volucres crate vel calamo aut levi
Tenere laqueo; premere.

Ex quibus nihil hauriamus, nisi variantes lectiones receptas temerè in contextum. nam sanè vnus Pall. solùm habet, *Extrahere piſces rete vel calamo aut levi Tenere laqueo, premere.* & verò, *rete* piscibus accommodandum; *calamus* volucribus. Nam quod de crate explicant alij, non fuit tertij sæculi sed quarti; vt etiam *cervos capere.* Et ita quidem de isto loco sentio, sine præiudicio alterius cuiuscunque. Nam quòd sint quibus priora illa suspecta, quòd non putent teneri posse cervos laqueis; ij velim sciant ita captam ab Hercule cervã Erymanthiã, si fides est Diodoro Siculo lib. v. Imò & apros & alia ferociora illaqueari ostendi pluribus in Suspicionum mearum libris posterioribus; quos tandem aliquando manu mittam, ne videar inter eos, qui pollicitis divites tantùm; semper gravidi, nunquam puerperi.

441. *Iuſto esse facilè est, cui vacat pectus metu.*] Sic malui cum melioris notæ Pall. quàm quod erat in aliis, vt etiam in vulgg. *Iuſtum esse*; quod pingue quid resipit.

449. *Stultè verebor*; *ipse cùm faciam, Deos*] Hæc vera est lectio, quam & inveni in mſ. vno, defenditque Scholiastes.

ſtes. nam illud vulgatum, *Stultè verebor eſſe, cùm faciam Deos,* oppugnatur à verſu ſequenti: nuperumque aliâ interpunctione, *Stultè verebor, eſſe cùm facio Deos,* non facit ad palatum meum.

461. *Deſpectus enſis faciet.*] Ille enſis quem nunc modò cives mei deſpiciunt. Ita omnes mſſ.

462. *An patiar vltrà,*] Sic repoſui è mſſ. Vulgg. *vltrè,* ineptè.

463. *Invictus & contemtus* &c.] Sic ferè Pall. non malè tamen, meo judicio, *Inultus,* quod & propiùs accedit ad mentem loquentis, vt & ad characteres mſſ. nam ſcribitur ferè in vett. libris *inulctus,* literâ *c.* immiſsâ.

486. *Ceſſit. Senatus equitis accenſus* &c.] Locus mirè mendoſus; cui tamen neque ipſe ſum Aeſculapius. nihil iuvant ſcripti; niſi quòd aliter atque aliter interpungant, neque quicquam diſcrepent ſcripturâ; niſi quòd ſit in vno tantùm *parum,* pro eo quod habemus *patrum eſt.*

489. *-orbem tu ſacrâ ſpecie regis*] Lectio etiam ſpuria. certè illud *tu* exulat Pall. novem; qui tamen omnes, *orbem ſpecie ſacra regis.* præterquàm quòd vnus *orbem ſpecie ſacratâ;* alter verò *ſapientia ſacra.* Vt ferè ſuſpicer corruptum locũ ob compendium ſcripturæ, ac fuiſſe, *orbem ſpiritu ſacro regis.* Planè de Pop. Romani imperio hoc inquit Seneca lib. 1. de Clementiâ cap. IV. *Hæc immenſa multitudo vnius animæ circundata, illius ſpiritu regitur, illius ratione flectitur* &c.

519. *Superatus acie,*] M. Antonius Triumvir. nam nullo pacto poteſt capi de Pompeio. cùm præcedens verſus innuat bellũ Auguſti cum Antonio & Cleopatrâ, idque ſatis evincit illud, *puppibus fuga paratis.* nam Pompeio nullæ eiuſmodi naves.

577. *An cedat animis temerè conceptus favor.*] Populi ſtantis pro Octaviâ. hæcque eſt ſcriptura Pall. novem, itaque exterminandum putavi vulgatum, *conceptus furor.* nam & infra, ipſamet Octavia, v. 646.

Parcite lacrimis vrbis feſto
Latoque die; ne tantus amor,
Noſtrique favor Principis acres
Suſcitet iras,

581. Expri-

581. *Exprimere ius est ferro, quod nequeunt preces*] Melissus, quòd vitium videret in versu, emendandum putabat, *Exprimere ius est, ferre quod nequeunt* non malè quidem.

582. *Negare durum est* &c.] Scio placere alijs, *necare*. sed cũ populus Octaviæ favens, vnam cervicem non habeat, quomodò necari totus queat, non video. itaque cùm sciã rarò Principes aliquid negasse populo agminatim petenti; putarim Senecam instillare Neroni, ne se heîc opponat multitudini. quam sententiam planè approbat versus sequens: *Remittat ipse* &c. Ita enim isthic mss. nostri. non, vt alij editi, *Permittat*.

587. *Aetasq; frangat coniugis*,] Sic consensu Pall. non *frangant*, vt est in aliis neq; necesse est, dummodò subaudiatur.

639. *Meus occidisses*:] Sic quinque mss. Pall. fidei conspectioris. reliqui, *Mecũ occidisses*: pro quo video pugnare alios; neque invideo. potior mihi lectio prior. *Meus* enim est, quẽ non puderet agnoscere vel apud Inferos: vbi *nunc* me *pudor luctúsque perpetuus manet Ex te nefande*, vt mox loquitur.

660. *Socerum diri miseranda viri* &c.] Inepti versus, nec iunctura bonâ; sive sic retineamus, sive legamus cum aliquot mss. etiam binis Pall. *Scelerum diri* &c. Vnus etiam è nostris habet *Soror diu miseranda*. Minùs disiectæ viderentur voces, si inverteretur carminum situs. ac *Potes* &c. præcederet *Socerûm*. Sed nec sic satisfaciunt. nam quorsus bina illa epitheta, *miseranda* ac *demens?*

685. *Affigat humo violenta manus*] Nolui deserere Palatinos meos, cùm sensum servent haud proletarium: tanquam velit pedibus conculcandas, donec non aliter humo teneantur, quàm arbor aliqua radice nixa. Sic infrà v. 798. de statuis ijsdem: *obruunt turpi diu Calcata cæno*. Interim non reiicio *Affligat* aliorum.

722. *Sparsam cruore coniugis* &c.] Ita etiam plerique Pall. non *Sparsa*, quod occupat libros vulgg. displicebatque etiam Delrio.

732. *Irrumpit intra tecta cùm trepidus mea* &c.] Ita optimæ fidei Pall. aliquot; quod malui, quàm *Irrupit intra tecta tum*, quia minùs acre. Ceterùm si vox vltima reformanda esset, mallem *meo*, quàm *mea*, quod repositum i-

verunt alij : imò potiùs ſcripſerim, *cùm trepidus Nero , Enſemque iugulo condidit ſævum meo.*

752. *Iugulo quòd enſem condidit Princeps tuus* &c.] Non malè qui poſtremam mutant in *tuo*. ſolùm miror, cur heîc illud *tuus* excludant,cùm tamen ambitiosè ſuprà intruſum voluerint, *meus Nero*. nam ita ſanè loquuntur mulieres, apud Plautum , apud Terentium.

780, *Quicunque tectis miles exultat ducis,*] Ingeniosè,quibus excogitatum *excubat*. ſed iambum rarò admittit eo loco verſus: quin tacitè taxat ſatellitum naturam , tumidam tunc & cornupetam, cùm admiſſionum res eſt: ſub periculum verò Principis ſui, meræ ſunt oviculæ.

795. *Aut ara fulgens*] Ita mſſ. noſtri. ſed malè. egregiè Lipſius,*Aut ære fulgens*; vtinam modò tam certæ correcturæ accederet membranarum aliqua maieſtas , quâ dedicari poſſet, reddiqúe iuris publici!

798. *Diducta laqueis.*] Non improbo quod conſpicitur in Pall. quatuor , *Deducta* : ſed cùm alteri ſua ſit ratio ac ſenſus, prætuli lectionem receptam longo ævo.

799. *- verba conveniunt feris Immiſta factis, quæ timor recipit meus.*] Sic mſſ. Pall. novem. Mutant alii voces , alij perſonas immittunt. ego neutrum: tantùm ſignifico , *recipere* heîc eſſe antiquum verbum iuris Romani , ac notare *ſibi reſervare,non etiam expromere vnà cum reliquis*,hoc eſt,*ſilere*.De quo videatur Gellius lib.V. cap.X. & Plauti Commentatores ad illa Trinummi Actu 1.Scenâ vltimâ:*poſticulum hoc recepit qui ædes vendidit.*

802. *Populi niſi iræ coniugem reddat novam,*] Eſt qui mallet *tradat novam*. vellem addidiſſet cauſam:clarè enim tit. De Verborum ſignif. Celſus: *Reddendi verbum , quanquam ſignificatũ habet retrodãdi,recipit tamẽ & per ſe dandi ſignificationẽ.*

827. *Et illa, cui me civium ſubicit furor,*] Ita mſſ. Pall. vt ſit præſentis temporis.nam vulgatum, *civium ſubiecit*, peccat in verſum;maluiſſemq;*civium obiecit*.Ità,inquã,maluiſſem,niſi exempla vetuſta genuinã reddidiſſent ſcripturã.

850. *Cecidêre motus impio ferro duces.*] Sic Pall. Benè divinant alii, *impij* : ſed res eodem loco redit, vſitatumque Poëtis traijcere epitheta.

867. Qui

867. *Qui concitare potuit.*] Sic allubescebat Delrio ex ms. Moguntinensi: cui cũ adstipuletur vnus nostrorũ, id admisi; hactenus, ne reditum præcludã lectioni priori, *Quis concitare potuit?* quæ cum stomacho pronunciata, idem ferè dicunt, sed non etiam exprimunt ac designant.

867. *-haud quenquam reor.* NER. *Mulier*] Exosculor coniecturam Lipsij, *haud quaquam reor Mulier*; sed exosculor tantùm, cùm nulli eam sublevent libri, quorum auctoritate invehatur in contextum.

872. *Vel pœna, quæ tam sera*] Non ambigo, quin cum Lipsio distinguendum sit: *Vel pœna.* NER. *quæ tam sera.* Vulgata vix culinâ meâ digner.

882. *Flevit Gracchos miseranda parens,*] Ità è Pall. tres, nempè *Gracos*, aut *Graccos.*

887. *Te quoque Livi* &c.] Ità ferè Pall. aliquot & Colonienses; nisi quòd literâ leni, *Levi.* Certè in reliquis omnibus hæret *levis*, non vulgatum *lenis.*

895. *Cernere possunt.*] Sic & Pall. duo, aliorumq; exẽplaria. reliqui adhærẽt vulgatis, *possis.* cui etiã adhuc sua venustas.

899. *Quodve tyrannus Aut exiliũ regina iubet*; &c.] Ità vetustè cusi, ità mss. nostri aliorúmq; omn. Ineptè priùs, *fortuna iubet.* Regina enim, heîc est ipsa Poppæa; tyrannus, Nero.

900. *iubet, Si mihi vitã fracta remittit, Tot iã nostris evicta malis?*] Interpunctione solvi nodum Gordiũ, quo antè intricabãtur versus. neq; enim *si* heîc bis ponitur, pro *sive.* sed queritur Octavia, se iniquè abripi, sive veniã invenerit, sive non. Interim pudet me tam elumborum versuum.

927. *Per quæ casus* &c.] Et nostri libri variant. quidam, *Per quem casus volvit varios semper mobilis* &c. quidam solùm, *Per quem casus* &c. nonnulli, *perque casus volvitur varios.* alij etiam, *perque casus* &c.

971. *Tandem Pharia littora terræ.*] Sic manus membrana, ceorum codicum; nisi quòd Pal. vnus, *Tandem funesta littora.* Nihil est verius emendatione Lipsij, *Pandataria littora* &c. qui item admodum probabiliter coniecit v. 979. *Et Taurorum barbara tellus*; cùm præter fidem Historicorum hæreret in libris, *Et Maurorum.*

FINIS.

DANIELIS HEINSII

IN L. & M.

ANNÆI SENECÆ

ac reliquorum quæ extant

TRAGOEDIAS

ANIMADVERSIONES

et

NOTÆ;

Emendatiores & auctiores denuo editæ.

CIↃ IↃ C. XX.

Amplissimo Nobilissimoque Viro

IOHANNI MILANDRO

Domino de Poederoeyen,

Illustrissimi Arausionum Principis

MAVRITII à NASSOV

à consilijs & secretis,

DANIEL HEINSIVS S. D.

TRagœdiam conscribere, *inter curas Reipublicæ principum olim erat, Vir Amplissime, aut Philosophorum. Quorum alteri sapientiam, alteri rerum experientiam, sæpe vtrique vtramque, ad eam adferebant. Sunt qui Iulium quoque Cæsarem in hoc numero ponant. Aiacẽ vero Augusti qui in spongiam incubuisse narrant, non conatum illi defuisse sed successum ostendunt. Cui tamen & Achillem tribuunt antiqui. Neronem vero, in quo nihil præter potentiam principis, cætera nec hominis fuerunt, non magis Tragicum fuisse quam citharœdum gloriamur. Ne honestis artibus exemplo suo noceat, qui fœdissimas coniunxit: aut virtutum omnium contemptor, inter professores eius numeretur. Cum hoc tamen &*

certasse

certasse Lucanum, & superiorem evasisse, constat. Græci vero, sicut alia, ita hanc potissimum illustrem effecere. Laude militari maximus vir Æschylus, liberatorem Græciæ totius animum, ad hoc institutum cum adferret, paria dixit ac fecit. Sane ad tubam etiam scripsisse credas: adeo sublimis in oratione ac grandis, verbisque quibus vtitur, ipsis prope par rebus, heroicam & audacem dictionem effundit. Qui castissimis Pythagoræ imbutus præceptis (hanc tum dignam suis moribus philosophiam antiquitas colebat) ad facundiam hanc animum appulit. In quo nihil requiras, nisi forte ætatem: quæ plerumque inventis addit, & paulatim omnia absolvit. Ne non serum esset id quod est perfectũ. aut ne nimia ingenij confidẽtia, securitatẽ ijs adderet, quibus sine industria aliena, omnia dedisset natura. Plane ab hoc diversus Euripides, diffusa eloquentia & magis parabili, primo Anaxagoram, deinde Socratem secutus, scholam ad theatrum transtulit: quem idcirco scenicum philosophum dixerunt. Qui tam ardens atque animosus virtutis fuit præco, vt cum solem sapientiæ Athenienses extinxissent Socratem; publice hoc illis in Tragœdia objecerit: & ingratam civitatem reliquis tacentibus coram orbe cadis postularit. omnium hominum sapientissimus, voce oraculi pronuntiatus: ipse humanæ vitæ oraculum; ad quod omnes actiones suas domi forisque Græci dirigebant. Rerum autem divinarum tam profundus indagator, vt ne ipsum quidem Sanctæ Trinitatis mysterium, ignotum fuisse illi, Christiani veteres tradiderint. Quibus sane optimis viris, cum assidua foris certamina essent, domi pietatem sedulo ac concordiam colerent, omni studio hoc age-

bant, vt quæ aliter ab adversarijs non poterant, judicio ipsorum obtinerent. Quod an semper illis vt optabant successerit, ignoro: voluntatem & institutum improbare non possum. Paulò autem hoc antiquior Sophocles, magni illius Periclis collega, illustri dignitate in ea vrbe, è qua omnes disciplinæ primum ac scientiæ fluxerunt, & ex ea ipse oriundus, tantam illi majestatem ac splendorem addidit, vt diu ante inchoato operi manum summam imposuerit: audacissimos autem quosque, vel ab imitatione deterruerit. Proximi ab isto inter Romanos Varius ac Naso putantur, quorum vtriusque, hujus quidem certe, parem veriùs quam similem fuisse laudem arbitramur. Nam Pacuvius, Ennius, & cui omnes principatum ævi sui tribuebant Accius, sæpius interpretes Græcorum quam novorum operum autores fuerunt. Quorum inaffectatam elegantiam, in paucissimis fragmentis vt magis admiremur, reliquorum desiderium facit. Digni sane viri, quorum numeros potius Grammatici culparent, quam sermonem sapientes reprehenderent. Claudij verò tempore illustrissimum L. Annæi Senecæ exstitit ingenium. Qui cum Stoicæ, Pythagoricæ, ac Cynicæ philosophiæ operam dedisset, neque parum è Zenonis, ac Cleanthis, Metrodori quoque scriptis profecisset, non modo eruditionem, sed & ex professione pondus ad tragœdiam attulit. Quod potissimum Neroni dedisse existimatur. Cui cum venisse carminum amorem, vt est apud Tacitum, vidisset, simul & occasionem istam occupavit, & austeritatem disciplinæ, qua vti non poterat, prudenter temperavit. Ne exulceratum lubidine animum, nec iuvaret, & remedijs præcluderet.

Hujus

Hujus tres extare hodie existimamus. Quæ sermonis castitate & sententiarum gravitate facile id evincunt: vitam autem tum civilem, tum privatam, prudentissimis præceptis informant. Reliquas summorum quoque autorum esse fœtus, apparet. Hos scriptores cum in gratiam typographorum recenseremus, paucas Scaligeri adjunximus Notas, & occasione hac nostras. Ea autem omnia nomini inscribimus tuo: cujus virtutem & eruditionem sæpe admirati, benevolentiam non raro experti sumus. Tot jam annos eo cum principe vixisti, cum quo comparandum antiquitas vix habuit. Qui victoriarum magnitudine, spatium terrarum à natura sibi datum excessit; numero autem, vitæ propè annos æquavit. Non vt multi ex antiquis, cum hominibus; sed cum ipsis vrbibus congressus. quas vt fulmen quoddam aut vis major vidit propè eodem tempore ac profligavit. Cujus impetum non saxa, non muri, non munitiones vllæ sistere hactenus aut inhibere potuerunt, quin votorum compos, teste Europa hac, evaderet. Cujus machinis non aer, non terra obstitit. quam paucissimis diebus sæpè effossam meminimus; pugnam exspectante frustra adversario. qui dum armis omnia muniret, jam ab hoste victus erat quem sub pedibus habebat. Horum tu omnium testis ac comes, sæpius militiæ quam domi, eas artes adjunxisti, quas in otiosis miramur. Negotijs vero non tam parem quam superiorem ostendisti. Testantur id faceti non minus quam eruditi sermones, quibus non tam animi intensionem remittis, quam majoribus reservas. Meliores autem literas & ipsam philosophiam quàm intelligas, aliud agendo ostendis. Accipe ergo hoc opusculum, summæ

meæ in te obſervantiæ teſtimonium: maxima ex parte ab eo conſcriptum, quo Romani paucos potentiores, neminem unquam ſapientiorem habuerunt. Qui in aula orbis terrarum omnem ætatem tranſegit, quamvis tam adverſo ſucceſſu cum deterrimo tyranno, quam tu hactenus feliciter cum fortiſſimo principe vixiſti. Vale. Lugduni Batavorum, CIↃ IↃ C. XI.

DAN.

DAN. HEINSII
DE
TRAGOEDIARVM
AVCTORIBVS,
Dissertatio.

DE Tragœdiarum ordine iam alij egerunt, & hoc literarum iudices iuris sibi semper vindicarunt, vt quod vellent in istis sequerentur. Proximum est de autore. Ac Senecæ quidem Medea à Fabio, Troades à Probo, Hercules Furens à Terentiano, Hippolytus à Prisciano, Thyestes à Luctatio (sive is est Lactantius) tribuitur. Nos auctores quinque hic videmus,& non dubie agnoscimus. Quarum tres istas, Troadas, Hippolytum, Medeam, Lucio Annæo tribuimus : quem Philosophum vocant, & vixisse cum Pomponio Secundo, satis constat. Fabius Instit. Orat. lib. VIII. cap. III. *Nostri autem iungendo aut dividendo paulum aliquid ausi, vix in hoc satis recipiuntur. Nam memini iuvenis admodum, inter Pomponium & Senecam, etiam Præfationibus esse tractatum, an gradus eliminat, apud Attium in Tragœdia dici oportuisset.* Duos ecce hos Tragicos coniungit. Et hinc orta de decoro λεκτικῷ in tragœdia velitatio. Latine enim dici, post Horatium quis dubitaret ? Scimus & Paccuviũ ea voce vsum fuisse. Et quod Euripides dixerat Medea,

Παλαιὸν οἴκων κτῆμα δεσπόινης ἐμῆς,
Τί πρὸς πύλαισι τήνδ' ἄγεσ' ἐρημίαν
Ἕστηκας;

Hoc Ennius verterat,

Antiqua herilis fida custos corporis,
Quid sic extra ædes te exanimata eliminas?

Sed hos in plerisq; impolitiæ censores literarij notabant. Accio plus tribuebant. imo principatum in tragœdia. Etiã Tiberii ævo nonnulli, vt Paterculus nos docet. Quare in summo operis autore, quid decore nec ne fieret,

præ-

præclari isti viri quærebant. Omnium antiquissima Hippolytus videtur. Character æqualis, tersus, pura dictio, rarissima acumina & sine vlla ambitione. Troades divina, nec Latina minus. In qua illud notes, quod in Menalippe Euripidis, quam Sapientem vocabant, antiqui obobservant; Pyrrhi & Agamemnonis colloquium, ἰσχηματισμένον esse. Nam vt ibi Menalippe, Euripidem: ita hic Pyrrhus repræsentat Neronem. cuius ingenium & in ista ætate ferociam occultè expressit & sub Agamemnonis persona castigat. Pyrrhus est πρόσωπον ὑποκείμενον: Nero τὸ δηλούμενον. Eo spectant illa,

Iuvenile vitium est, regere non posse impetum.

Et præclara illa,

Quo plura possis, plura patienter feras.

Et reliqua. Nam vt Græcus sub persona Menalippæ opiniones suas exponebat: ita Seneca sub Agamemnonis, tyrannorũ mores ostendit. Quare cũ partim Troades illius, partim etiam Hecubam exprimeret, locum istum non invenit, sed dedit. sicut & personam vtranque. Multum eo veteres delectabantur. Adducũtur verba à Grammaticis divina, quibus mortem Socratis in Palamede Euripides lugebat. Neque aliter ingratitudinem filij sui Iophontis traduxisse Sophoclem, fit verisimile. Ideoque διπλᾶν σῆχμα habere dicuntur. quia alius est repræsentans, alius qui repræsẽtatur. Hoc quoq; ad Homerũ referũt: quẽ de se nonnulla sub Demodoci persona innuisse, Platonici notarunt. Tertia est Medea: teste Fabio, & vt quivis videt, eiusdem authoris. Has tres miror extitisse quenquam, qui eiusdem esse cum reliquis existimaret. Quatuor, Herculem Furentem, Thyestem, Oedipum, & Agamemnonem, M. Senecæ asscribimus. Ideoque & Senecæ nomine ab antiquis laudantur. Et in libris manu exaratis, modo Lucij modo Marci invenias prænomen; in quibusdam vtrunque. Vt in optimo quo vsus est vir summus Iustus Lipsius. Cæterum accurati iudicis acumine est opus, qui suas cuique asscribat. Posteriorem hunc, Tragicum vocant. Paulus Diaconus Hist. Miscellan. lib. VIII. *Huius temporibus poëtæ pollebant Romæ, Lucanus, Iuvenalis, &*

lis, & Perſius, Senecaque Tragicus, Muſonius atque Plutarchus, Philoſophi. Sidonius:

Quorum vnus colit hiſpidum Platona,
Incaſſumque ſuum monet Neronem:
Orcheſtram quatit alter Euripidis.

Alterum autem etiam poemata ſcripſiſſe, & quidem crebro, vel Tacitus, vt alios omittam, nos docet. Cæterum cum duæ ſint tragœdiæ partes; altera vniformis & eiuſdem metri, quam, κατὰ στίχον ideo vocant, quæ excepto choro omnia complectitur & iambum non excedit; altera quæ varijs vtitur metris, pars nimirum chorica; hinc nonnunquam differentias Critici notabant. Ita Sophocles pericommatis, antiſtrophicis maxime delectatur Euripides. Latini cum has differentias ignorent, verſibus tamen differunt. quos aut eoſdem ponunt, aut cum aliis iungunt. In tribus iſtis Lucij, chori fere ex hendecaſyllabis ſapphicis, anapæſticis, choriambicis, glyconiis conſtant. quibus alii interdum extra ordinem inſeruntur. Pomponius Secundus, qui cum Lucio vixit, aut primus aut præ cæteris, dactylicos tetrametros iunxit in choris. Eius ſicut æmulus, &, vt Græci dicerent magiſtri, ἀντιδιδάσκαλος fuit Lucius, ita imitator in hac parte Marcus. Terentianus:

In Tragicis iunxere choris hunc ſæpe diſerti,
Anneus Seneca, & Pomponius ante Secundus.

Vbi illud *ante*, nota διαχριτικὴ eſt, vt conſtaret, vter vtrum ſit imitatus. Nam cum, vt prænomen Marci adderet non permitteret metrum, alium fuiſſe oſtendit quam qui cũ Pomponio vivebat. Lucius, quemadmodum in aliis, ita hic Pomponii iudicium neglexit. Saltem in his tribus nunquam eſt ſecutus. Plures verò nuſquam ei tribuuntur. Semel vero Marcus: in Oedipode nimirum. Vbi plurimi dactylici in choro qui ex metris conſtat ἀτάκτοις iunguntur. Id ita ſtudioſe Græcorum critici notabant; vt pleriſque verſibus non ab inventore, ſed ab eo qui frequenter iis vteretur, nomen poſuerint. Ita docent, Teium Anacreontem, cũ Athenis eſſet, ac amaret Critiam, neque parum lectione Æſchyli delectaretur, Anacreon-

creonticos eius exemplo feciſſe. qui hoc nomen poſtea obtinuerunt. Lucius vulgares Sapphicos,novo pede in ſecundo fregit. Idque propter temporum æqualitatem. Atque hoc illi fere eſt perpetuum.
Troadibus,

An ſub Oechalijs latebroſa ſylvis?

Sicut legitur in ſcriptis.

An ferax varij lapidis Caryſtos?
Troia qua iaceat regione monſtrans.

Hippolyto,

Quæque ad Heſperias iacet ora metas.

Quod a correctoribus mutatum eſt. Vt & illud,

Si qua Parrhaſiæ glacialis Vrſæ.

Medea,

Sumere innumeras ſolitum figuras.

Et fortaſſe non pauci, qui ſunt corrupti. Hoc in Marco non invenies magis, quam in Flacco. Vnus extat, quem corruptum eſſe eruditi oſtenderunt. quod & ipſum libri cum ratione evincunt. vt & conſuetudo poëtæ. At character vtriuſque, vt & ſermo, multum diſtant. Marci enim plus declamatorium habet. Quæ res ita plana eſt, vt ſi nihil præter Prologum Medeæ aut Troadum, & Herculis Furentis,extaret, non vnius eſſe autoris iudicaturi fuerimus.Marci ſæpe breves ac conciſas videas periodos: idque acuminis cauſa. Lucij pauciores ἀναπαύσεις habent, & antiquitatem magis ſapiunt. Aiunt virum nũquam ſatis laudatum Sophoclem,cum Antigonem ſuam legeret, & cum longa periodo ſpiritu contento paria feciſſet, ſubito expiraſſe. Hoc in Thebaide ei nunquam eveniſſet. quia plerunque non eunt ſed cadunt. Ideoque & numeris nocent,& tragœdiæ maieſtatem non minus enervant, quam Lucani ſententiæ heroicas leges & Virgilianã gravitatẽ.Magnæ enim res pares periodos deſiderant,vt recte Demetrius.In Lucio nõ raro tota oratio inſtruit:in Marco ſæpius gnomæ tantũ inſeruntur.Choros excipio. Nã qualis ille in Thyeſte,*Tande regia nobilis*, & alij nonnulli? Vide Hecubæ orationẽ in principio Troadũ: & Nutricis de amore præclarã. Iã locorum maior ſupellex

in

in Lucio. quæ res mire antiquitatẽ ſapit. Talis eſt commendatio vitæ agreſtis ſub perſona Hippolyti: quæque pro voluptate item,& conſervando genere humano,propagatione Veneris,a Nutrice dicuntur. Idem in exprimẽdis antiquorũ virtutibus,nõ minus felicior quã diligẽtior. Vt cum in Troadibus Hectorem e ſecundo Æneidos deſumpſit, in Andromaches ſomnio. Et nonnulla ex Ovidio in Hippolyto. Quæ ſunt mire florida. Certe quæ a Phædra dicuntur, cum amorem ſuum Hippolyto fatetur, nemo præter vnum Ovidiũ dixiſſet. Ita dupliciter de nobis eſt meritus:nã & frugi orationem dedit,& quo pacto exprimendæ veterũ virtutes eſſent,nos docuit. Neutrũ a declamatoribus expectes. Qui contenti ſuo acumine,nec ſolliciti vt æque bene dicant,ſatis habent aliter dixiſſe. In narrando autem,vbi maxime τῆς ἑρμηνείας vis elucet,vel Euripidẽ provocat. Sicut in pulcherrima iſta,quæ eſt de Hippolyti morte. Neq;enim cedit candore orationis,& ſublimitate vincit; ad ſermonem vſq; antiquorum ſtudioſus. Quos dũ Marcus propria virtute ſui temporis anteire conatur, ſæpe tantũ fit diſſimilis: civilem autem vix retinuit ſermonẽ: in quo Euripides excellit: quanquã ſæpe tragicus vix vltra affectus. Marcus luxuriam non ſemper vitavit:Lucius vero, etiã in alijs caſtigat. De Polyxena apud Naſonem dicebat Hecuba, *--cinis ipſe ſepulti*

In genus hoc ſævit.tumulo quoque ſenſimus hoſtem.
Æac de fœcunda fui.

Id ſecutus eſt ille, ſed vt caſtigaret:

Adhuc Achilles vivit in pœnas Phrygum?
Adhuc rebellat? O manum Paridis levem!
Cinis ipſe noſtrum ſanguinem ac tumulus ſitit.

Nã & variavit quod dixit,& ad vehementiam, orationis figuram addidit. Et ſervavit quod eminebat, & rejecit quod abundabat Aliud enim eſt rebellare, aliud adhuc vivere, aliud poſt. obitum ſanguinem ſitire. Duo priora etiam interrogando: quæ πολιτικώτερον efficiunt ſermonem, & formam immutant. In quo Marcũ patrem eſt ſecutus, qui in Controverſiis præiverat. Ibi enim de hoc loco ait: *Cum Polyxena eſſet abducta, vt ad tumulum Achillis immolaretur, Hecuba dixit,* *-cinis*

- cinis ipse sepulti
In genus hoc sævit.

Poterat hoc contentus esse, adiecit,

- tumulo quoque sensimus hostem.

Nec hoc contentus, adiecit,

Æacide fœcunda fui.

Aiebat autem Scaurus, rem veram: non minus magnam virtutem esse, bene desinere quam scite dicere. Marci quoque sermo, eo minus est moratus, quanto sæpius acute multa dicit. Quod vt recte fit ab eo, ita alienum est à natura. Non enim est singulorum. Nam cum qualitatem animi omnis indicet oratio, eaque vel mores complectatur vel affectus, nemo qui acutè loquitur, talem esse se significat, sed ociosum. Poëta autem imitatur. Vide Andromaches sermonem in Troadibus. Modo furit præ dolore & rabit: modo lamentatur, & commiserationem movet. Vt cum filio abeunti, æternum vale dicit. Plerunque autem est talis, qualem tum fuisse est æquum. In attribuendo quoque suos singulis, minor est Marcus. Nam Thyestæ quare optimos dedit? Aut, cur non eosdem? Primo enim ἄθεον vides. *Si sunt tamen Dij.* In eadem scena Stoicum. *Mihi crede, falsis magna nominibus placent.* Et quæ tum præceduni, tum sequuntur. In fine, etiam pium. Libat enim cum bibit. *Paternis vina libentur dijs, Tunc hauriantur.* Primum igitur dissimiles dedit. non enim talis Atreus. Deinde inæquales. Nam dissimilis & sui est. Alterum ἀνόμοιον, alterũ ἀνώμαλον, Aristoteles vocaret. Vlysses in Troadibus, etiam eum qui in Hecuba est antecedit. Vafritiem enim, quantum locus is ferebat, addidit. Græci δεινὸν melius & δόλιον id vocant. Quod in multis illi locis dederat Euripides. Æschylus ob innatam austeritatem, minus id assequebatur. Constitutionis quoque ratio, non eadem. Vna Marci Oedipus, est mirè artificiosa. Sola enim & agnitionem, & mutationem in contrarium habet. Sed ex Sophocle expressa est. Hoc perpetuum est Euripidi, vt Prologis suis nudam argumenti expositionem intexat. Qui quod vniformes sint, festive ab Aristophane vexantur. quales & nonnullos colle-

collegit. In vna, quod meminerim, Iphigenia in Aulide, ex ijs quæ extant, hoc non obſervavit. Sophocles occulte id agit: & non ſemper vni committit. Nonnunquã rẽ ſimpliciter ingreditur, vt Æſchylus. Marcus, more Euripidis, συνεκτικὸν τῆς ὑποθέσεως præmittit, id eſt, fabulæ ſubiectum prologo committit. Vide in Hercule Furente Iunonem: in Thyeſte Tantalum: in cognomine Oedipodem: in Agamemnone Thyeſten. Lucius ab actione ſemper inchoavit, & ſimpliciter εἰσβάλλει. Hecuba & Medea, vt in medio, calamitates ſuas ἐμπαθῶς deplorant. Hæc ex parte, illa prorſus quid futurum ſit ignorat. Hippolytus à venatione inchoavit & ſuorũ adhortatione; idque eodẽ metro, quo Rheſi autor. Qua tragœdia poſt Sophoclem nulla extat conſummatior. Eam nos cũ ſtudioſe legeremus, neque quicquam minus quam humilitatem & rhetoricã Euripidis ſubtilitatem, ſed nec ſimpliciſſimam Æſchyli auſteritatem, & tranſlationum audaciam, neque compoſitionem Sophocleam & orationis difficultates, œconomiam autẽ longe ab eo diverſam videremus, nunquam dubitavimus, quin quartus aliquis quærendus eſſet autor. Quem ex intima antiquitate tandem eruimus, & certiſſimis indicijs, quis eſſet, in grammaticorum libris invenimus. Qui error ita eſt antiquus, vt in priſcis Criticorum catalogis, Euripidi aſſcriberetur. Adeo refert, quo quis ad iſta iudicio accedat. Lucius, libenter oculos moratur, & in ſcena multa repræſentat. Medea, contra Flacci præceptum, liberos aperte, certe alterum, trucidat. Alterum autem ad minimum poſt cædem oſtendit. In Troadibus, matri coram populo eripitur Aſtyanax. In Hippolyto, manum ſibi infert Phædra: heros autem, iam divulſus, exhibetur. Marcus plurimum narratione defungitur. In Thyeſte, in Oedipo, in Agamemnone, id apparet. Vbi ne Caſſandram quidem neceſſe eſt populo ſpectante iugulari. In Furente autem Hercule, cum ſequi Euripidem poſſet, periculoſam nobis ὄψιν dedit. Megaræ enim & filiolo, in ſcena cerebrum elidit Hercules. Itaque hiſtrionem vix invenias, qui vim Alcidæ experiri, & ſine vllo fuco

repræsentare hoc vellet. Capitis enim eius intereſſet. Hæc eſt cauſa, cur propudium illud generis humani Nero, eas fabulas deligeret, quæ periculoſa θεωρήματα ὑποκριτικὰ haberent. vt ſe ſanguine hiſtrionum oblectaret. Qualis erat iſte Icarus, qui (verba ſunt Tranquilli) *primo ſtatim conatu iuxta cubiculum eius decidit, ipſumque cruore reſperſit.* Idem cum Inſanum Herculem cantaret, eveniſſe putamus. Marcus raro Stoicorum opiniones interſerit. Lucius, nec Epicuri ſui nec Metrodori diſſimulat, qui in eius philoſophicis paginam vtranque faciunt. In Troadibus vero, plena manu ſpargit eas & oſtentat. Sicut ſuas ſæpe Euripides. Quod iſtarum rerũ iudices πολυπραγμοσύνην dixerunt. Idq; ſine nota, vbi affectatio abeſt, adeſt modus, qui Euripidi non raro deeſt. Lucius autem nunquam excedit. Nihil eſſe poſt mortem Epicuri ſchola eſt, ait vir eruditiſſimus Tertullianus: & mox Lucij opinionem ſubiungit, qui hoc toto choro egit. In quo non tam poſuit opinionem ſuam quam confirmavit. Eadem enim in Epiſtolis ad Lucilium. Et ad verbum prope, in Conſolatione ad Marciam. Hic,

Quæris quo iaceas poſt obitum loco?
Quo non nata iacent.

Ibi: &c. *Mori omnium dolorum & ſolutio eſt & finis: vltra quam mala noſtra non exeunt. Quæ nos in illam tranquillitatem, in qua antequam naſceremur iacuimus, reponit. Si mortuorum aliquis miſeretur, & non natorum miſereatur.* Hic,

Poſt mortem nihil eſt, ipſaque mors nihil.

Ibi: &c. *Mors nec bonum nec malum eſt. Id enim poteſt aut bonum aut malum eſſe, quod aliquid eſt: quod vero ipſum nihil eſt, & omnia in nihilum redigit, nulli nos fortunæ tradit.* Hic,

--Tænara & aſpero
Regnum ſub domino, limen & obſidens
Cuſtos non facili Cerberus oſtio,
Rumores vacui verbaque inania,
Et par ſollicito fabula ſomnio.

Ibi: *Illa quæ nobis inferos faciunt terribiles, fabula eſt. Nullas ſcimus imminere mortuis tenebras, nec carcerem, nec flumina flagrantia igne, nec oblivioſis amnem, nec tribunalia, nec reos vllos in illa*

illa libertate tam laxa: nullos iterum tyrannos. Luserunt ista poeta & vanis nos agitavere terroribus. Tale apud Marcum nihil. Nam cum eius dramatis & argumentis hoc pugnat. In prima enim Hercules ac Theseus a defunctis redeunt. In Thyeste Tantali, in Agamemnone Thyestis vmbra in scenam venit. In Oedipode defuncti evocantur, & Homeri νεκυία exprimitur. Ibi enim habes antiquissimum pro animæ immortalitate, quod exceptis sacris extat, testimonium. Quæ opinio diu ante Pherecyden in Græcia extabat, & cum disciplinis est nata. Æschylus vero, Euripides, ac Sophocles, pro confesso id sumunt. Quorum non sententiæ modo, verum etiam œconomiæ atq; argumenta, opinione ista nituntur. Neque aliter loquuntur, ne evertant quod ponunt. Etiam in Troadibus Polyxena cui nubit? An non Achilli, cuius ipse idolum describit? Quod si animæ post obitum sunt nihil, ne idola quidem esse possunt. quæ κηνύγματα ab Æschylo, & quo notam meruit grammaticorum, ὄψανα dicuntur. Primum ab Homero, quo iam diximus loco, fabricatum est, & ingentem postea vsum habuit. Igitur vulgarem, quia dispositioni serviebat, prætermittere non voluit: suam, vbi maxima est poëtæ tragico libertas, in choro proposuit. Et de his quidem hactenus. Tres restant. Quarum de duabus, Hercule in Oeta & Thebaide, suo à nobis loco dicetur. Octaviæ autor triviali moneta percussit. Sunt in ea tamen quædam minus putida, nec minus Latina, quam in altera earum quæ vbique tumet. Huic vero ne sermone quidē cedit, ne quid amplius adiungam: luxuriam autem istam ac redundantiam non habet. Humi serpit tamen. Ordo sit talis:

L. Annei Senecæ.
- HIPPOLYTVS.
- TROADES.
- MEDEA.

M. Annei Senecæ.
- HERCVLES FVRENS.
- THYESTES.
- OEDIPVS.
- AGAMEMNON.

Diverſorum ſingula. { THEBAIS. HERCVLES IN OETA. OCTAVIA.

Quem nos expreſſuri in editione iſta fueramus, niſi prope ad finem perducta fuiſſet, cum hæc more familiari nobis effunderemus. Porro, cum in omnibus fere, multis certe, manu exaratis codicibus, id eveniſſe videamus, vt eiuſdem ſubiecti ſcriptores coniungantur, ſingulorum autem ſæpe omiſſa aut paulatim expuncta ſint nomina; ſola reſtat iudicatrix. quæ inſtructa eruditione, propria ac naturali quadam ſagacitate innixa, pedem in obliterata vetuſtate ponit, ſuum cuique reddit, id quod male poſſidetur eripit: ipſos quoque, cum neceſſe eſt, autores in ordinem cogit. Hæc eſt, quam nunc ſoli barbari oderunt: ſoli ſemidocti in contemptum adducunt, quia minimam illius partem tractant; idque fere ad oſtentationem.

AD HERCVLEM FVRENTEM.

Verſu 77. *Quid tanta mandas odia!*] Hæc ſunt ἀσύντατα. Iam enim ante dixit, *Perge ira, perge.* & ſequitur,

Titanas auſos rumpere imperium Iovis,
Emitte.

Quod maioris odij eſt: & mandantis tamen. Alij ſubſtituerunt, *tacita.* quod minus etiam expedit mentem. Vera lectio eſt,

Quid tarda mandas odia?

Et deinde,

-diſcedunt feræ,
Ipſe imperando feſſus Euryſtheus vacat.
Titanas auſos, &c.

Odia, quæ mãdas, inquit, tarda & lenta ſunt. Feræ cedunt. defatigatur Euryſtheus. Ille interea cœlum affectat. Ergo, Titanas oppone ei, qui idem fecerũt. Apparet, quare dicat, *Perge ira.* quia Titanas ei opponit; adverſarios Iovis.

110. Me me ſorores mente deiectam mea Verſate primam] Cui ſuſpectus fuit hactenus hic locus, aut cui non ſatisfecit? In libro manu exarato, quem clariſſimus & reverendus Villerius ad nos miſit, diſerte erat ſcriptum, *In me ſorores mente deiectam mea Verſate primam facem.* Hoc autem perpetuum in iſto erat, vt tranſpoſitæ eſſent voces; a librario videlicet, de ſyllabis ſecuro. Seneca ſcripſerat,

In me ſorores mente deiectam mea
Primam facem verſate, ſi quicquam apparo
Dignum noverca.

Optime. ad Furias tæda armatas. Ἐπιστείστε μοι τὴν πρώτην δᾷδα, diceret Græcorum tragœdia. Quis de lectione tam eleganti dubitet?

192. Alium multis gloria terris Tradat,] Non eſt vero abſimile, aliquot hic verſus deſiderari.

213. -ſequitur apprime ſtatim Infeſta Iuno.] Nihili eſt hæc lectio, & fortaſſe magis quam ſubſtituerunt eruditi, *ſequitur apprima ſtatim.* Scribe *a primo.* quod & Iuſto Lipſio, eruditiſſimo viro, placuiſſe nunc demum video. Sane non eſt dubitandum. *A primo,* ἀπ' ἀρχῆς. a principio. Iuno, inquit, a vitæ principio Herculem perſequitur. Ita Comicus:

Petam hinc vnde a primo inſtitui.

Et illa ne in ipſo quidem Tullio non ſæpe obvia, *à primo cogitare, a primo videre.* & ſimilia his, quæ tirones meminiſſe debent. *Statim a primo,* ἐυθὺς ἀπ' ἀρχῆς. Quid eſt ſimplicius?

232. Paſtor triformis littoris Tarteſſii Peremptus, acta eſt præda] Plane Atticum ἀναπόλυθον, aut Sophocleum. Vnde præcipua maieſtas cœleſti illi viro. quod non niſi magni viri capiunt, qualis fuit ipſe. Hoc enim volebat: *Paſtore peremto, acta præda.* Non enim diſtinctione hoc penitus tolles.

268. Cadmea proles, atque Ophionius cinis?] Quare hoc ſollicitarunt viri docti, cum vulgo legeretur, *cinis atque Ophionius?* Ea ſi non vera eſt lectio, ſane ad eam ingenioſos ducebat. quæ non eſt alia, quam, *civitasque Amphionis.* Ophionem enim ſyllabæ modulus excludit. Etiam codices quidam qui diſerte habent, *ciuis atque Amphionis.*

280. *nulla ſi vetito via, Iterque clauſum eſt.*] Hæc non ſunt nauci. Scribe,

-vlla ſi vetita eſt via,
Iterque clauſum eſt.

485. *Ipſius opus eſt vulnere & ferro obvius*] Non nunc primum nobis ſuſpectus eſſe cœpit hic locus. quo non eſt in toto Seneca qui magis correctorum acumen propitium habere ſibi merebatur. Nam quis iſte eſt, ſodes, ferro & vulneri obvius, qui tamen ante Geryonem mortem eſt coactus pati? Saltem ſuſpectum ſibi eſſe de mendo monuiſſent, quem intelligere non poterant. In clariſſimi Villerij libro manu exarato, quo vſi ſumus, librarius, qui textum deſcripſerat, gloſſas quaſdam margini addiderat, ſane eruditas ſubinde, ex antiquioribus libris: quod cum admiratione noſtra ſæpe deprehendimus. Sicut & ſcripturæ differentiæ plerunque adnotatæ erant. Ad hunc verſum autem qui diſerte hunc in modum ibi concipiebatur, ſcriptum erat,

Ipſius opus eſt vulneri & ferro obvius.

Canis biceps ſcilicet: idque ad poſtremam vocem. Paulo inferius ſcripta erant verba iſta, *ſcilicet quam ipſe.* Rurſus in margine, recentiori manu, *Canis.* E quibus apparet, quanto antiquior ſit gloſſa quam codex: eruditus literator, quam librarius. Philologus iſte ſine vllo dubio invenerat,

Ipſius Orthrus, vulnere & ferro ocyus
Mortem coactus ante Geryonem pati.

Orthrus, eſt biceps canis. quo notabat reliqua eſſe referenda. *Ocyus quam ipſe:* ſcilicet, Geryones. Quanquam enim *obvius* non ſit reijciendum, apparet quam lectionem invenerit. Orthrum Geryonis fuiſſe canem, & bicipitem, vt gloſſa monet, nemo eſt qui ignoret. Et Apollodorus ad verbum, vbi de Geryone, φύλαξ ὃν ὁ ῥθρος ὁ κύων, δικέφαλος. Alii, vt qui Herculis labores deſcripſit, ad verbum. Iã τὸ *opus* eſt ἀπὸ κοινῦ intelligendum. Quod & correctores decepit & ſummis viris impoſuit. Qui ne ſomniarũt quidẽ hic latere mendã. Proxime acceſſerat vir eruditiſſimus P. Scriverius; qui, quo acumine eſt in iſtis, tale aliquid

quid deesse nos monuerat. Memini cum ipse quoque existimarem scribendum,

vulnere & ferro Orthrius.

Sed nec vsquam extat hoc nomen, & quam vsque ad superstitionē τὰς διοσυλλαβίας in canum nominibus antiqui amarent, notū est præsertim ex Xenophonte; qui cū plurima commemoret, nunquam hoc excessit. Quanvis idē sit Gargittius Polluci. Sane tale quid latere, nobis quoque videbatur. Totus ergo locus ita in posterum legatur:

-non nosti omnia.
Ipsius opus est, cestibus fractus suis
Eryx, & Eryci iunctus Anteus Libys;
Et qui hospitali cæde manantes foci
Bibere iustum sanguinem Busiridis.
Ipsius Orthrus, vulnere & ferro obvius,
Mortem coactus ante Geryonem pati.
Nec vnus vna Geryon victus manu.

911. *A fonte discors manat hinc imo latex*] Scribe cum clarissimo Hugone Grotio,

A fonte discors manat hinc vno latex.
Alter quieto similis.

872. *-tibi Mors precamur.*] Si hæc lectio placet, distingue,

Parce venturis tibi, Mors, precamur.

Vulgo *paramur*.

1010. *Licet Tonantis*] Hæc in codice Villeriano cum superioribus continuabantur. Et quis non videt, melius Herculi tribui?

1167. *Ruat ira in omnes*] Suavissimum est quod in eodem legebatur,

Ruat ira in hostes. hostis est quisquis mihi
Non monstrat hostem.

Sane auribus iucundum. quibus iudicibus nemo absque iudicio litavit.

1251. *- vnum lumen afflicto malis Temet reserva*] Scribe,

- vnum columen afflicto malis
Temet reserva.

Glossarium, *columen*, ἐπίσυλον, κορυφῶνα. quemadmodum in Thyeste, & alibi. Hic vero translatione vsitata.

1291. Leve pondus humeris mœnia immissa incident.] In manu exarato codice, quo vsi sumus, diserte erat, *mœnia immersa.* Scribe totum locum hoc modo:

Atque vrbe versa condar. & si fortibus
Leve pondus humeris mœnia invversa incident,
Septemque opertus non satis portis premar,
Onus, &c.

1297. Hoc Iuno telum, &c. *Ecce quam miserum*, &c.] Omnia pessime corrumpendo occasionem dedit distinctio quæ intercidit. Scribe totum locum hoc modo:

-AM. *Vox est digna genitore Herculis.*
Hoc en peremptus spiculo cecidit puer,
Hoc Iuno telum manibus emisit tuis;
Hoc nunc ego vtar. TH. *Ecce iam (miserum metu*
Cor palpitat, corpusque sollicitum ferit)
Aptata arundo est. ecce, iam facies scelus.

Eccé, inquit Theseus, id quod sine horrore ipse videre non possum, iam Amphitryo parens tuus sagittam pectori aptavit, vt sibi inferat manum. Sed & qui personas aliter ponunt, errant.

1303. Natum potes servare tu solus mihi Theseu: ipse necdum] Nimium sibi permiserant, qui totum hunc locum mutatione personarum pessime interpolarunt. Vt omittam ineptissimam absumptionem in prima voce. Scribe omnia & distingue hoc modo:

Natum potes servare tu solus mihi.
THE. *Et ipse nondum maximum evasi metum.*
HER. *Miserum haud potes me facere, felicem potes.*

Nã postrema Herculi omnino tribuenda sunt. Nõ potes me, inquit, miserũ efficere, quia magis esse nõ possum: potes autem felicem, si mortem concedas. Præcessit enim

Nihil rogamus: noster in tuto est dolor.

quod eodem plane spectat.

AD THYESTEN.

Secunda M. Annæi Senecæ tragœdia, nulla cæterarum inferior. Et quis dubitat, quin Vario aliquid debuerit?

Vt

Vt omittam octo ad minimum apud Græcos in hoc argumento laudari. Chori sunt divini. Ἰωδικοὶ fere omnes: & qui non τῇ τῶν γνωμῶν παρενθήκῃ, sed perpetua oratione hoc agunt. Omnes fere ad hoc facti, vt emendent mores. Etiam quæ a Stoicis sumpsit, omnibus accommodavit. Qualia de vero Rege, qui idem sit sapiens, in illo divino, cuius est exordiū, *Tandem regia nobilis.* In ms. codice ATREVS inscribebatur. Sane Accij cognominis laudatur. Et ὁ πρωτολόγος histrio, est Atreus, non Thyestes. Cætera pro vulgari inscriptione sunto.

Versu 3. *Quis male Deorum Tantalo vivas domos Ostendit iterum?*] Apage voculam illam ineptissimam. Seneca nunquam aliter scripsit, quam,

Quisnam deorum Tantalo vivas domos.

Vnum absurdum manet. Nam quid est illud, *vivas domos?* Aut quis ita loquitur? Vide ergo an non genuinum sit, *antiquas domos?* vt vna syllaba fuerit extrita. Et hoc verum est.

Quisnam deorum Tantalo antiquas domos
Ostendit iterum?

32. *-regna excidant Repetantque profugos*] An regna repetunt profugos? Sane durum. Et quis ferat? In ms. legebatur,

-superbis fratribus regna excidant,
Repetatque profugos dubia violenta domus
Fortuna reges. inter incertos labet.

Fortuna repetat. Optime. quā Fortunā poëtæ σωματοποιοῦσι cum volunt. Quare ita mollius. Neque aliter autor.

157. *Hæc quamvis avidus* &c.] Non puto quenquam esse, qui hinc saltem tolerabilem sensum eruere se postulet. Itane vero Tantalus negligit tangere apposita poma? Quare ergo,

Illudit patulis arbor hiatibus?

quod præcessit. Non abutar patientia lectoris. Scribendum est:

Nec, quamvis avidus nec patiens moræ,
Deceptus toties tangere negligit.

Idem postea in ms. quo vsus sum, inveni.

275. *-animum filio inſpira parens Sororque*] Quantum quiſque eruditorum aut iudicio aut ingenij ſagacitate valet, tantum in hoc loco conſumpſit. Et vero maximus doctorum fateri non dubitat, inexplicabilem videri. Tota hac ſcena Atreus hoc egit, vt familia ſua dignum invenire aliquod flagitium poſſit. Eo ſpectabant illa:

-tandem incipe
Animoſque ſume: Tantalum & Pelopem aſpice.
Ad hæc manus exempla poſcuntur meæ.

Non eſt ovum ovo magis ſimile quam vterque locus. Tantalus enim Pelopem mactarat & Dijs appoſuerat. Quare poſtquam de flagitio in Terei familia commiſſo egiſſet, iterum hoc tanquam gravius proponit. Sicut Megæra ſupra,

-Thracium fiat nefas
Maiore numero.

Ergo lege:

-Maius hoc aliquid dolor
Inveniat. animum filio inſpira parens
Furorque.

Parens eſt Tantalus. qui tamen avus erat Atrei, à quo hæc dicuntur. Non ſine exemplo. Quid? an non Medea, Solem avum ſuum, patrem & genitorem vocat? quæ res fraudi Iuſto Lipſio fuit.

Da da per auras curribus patris vehi.
Committe habenas genitor, & flagrantibus
Ignifera loris tribue moderari iuga.

Certe Sol avus Medeæ: & tamen pater dicitur. Hecuba avia Aſtyanactis: & tamen mater. Euripides Troadibus,

Ὦ μῆτερ ὕυδας, ἦ πολύν σοι δοςύχων
Πλόκαμον κερῶμαι.

Cauſam flagitium dixit. ipſum nempe facinus, ſicutalias. Sophocles αἰτίαν, Æſchylus αἰτίαμα, eadem ratione. *Cauſa eſt ſimilis.* Alter enim Pelopem, alter fratris ſui liberos mactat; vterque ſanguinem ſuum. Vterque apponit. Hic Thyeſti, ille Dijs. Poſtquam hæc notavi, inveni in codice ms. gloſſam antiquiſſima manu ſcriptam, ad hanc vocem, *parens. id eſt, Tantale.* Quod omnia

con-

confirmat quæ hactenus notavi. Quam antiquæ enim ſint nonnullæ ex illis, ſupra oſtendi. Hoc quotidie vſu nobis venit, vt quæ ex ingenio notavimus, poſtea autoritate librorum confirmentur. Sane hic locus etiam prima ſæculi noſtri ingenia exercuit. Et apparet, veram eſſe emendationem noſtram.

442. TH. *cum poſſim mori.*] Nihil eſt mutandum, quod Lipſio videbatur. Quis eſt rex Stoicorum? Qui mori poteſt. Quæ nænia non minus vſitata eſt Senecæ philoſopho, nota quam illa Horatiana, pueris. Supra.

Occurritque ſuo libens Fato,

de vero rege. Pliſthenes ergo cum dixiſſet, *potes regnare*, reſpondet Thyeſtes; Recte, *cum poſſim mori.* Obſcurius autem & coactius: quia in illis ἀμοιβαίοις acumen quærunt. Simile eſt quod ſequitur, & ex eadem officina.

PL. *Summa eſt poteſtas.* TH. *nulla, ſi cupias nihil.* Reliqua vt in ms. tum noſtro tum alijs leguntur, ſunt perſonis diſtinguenda. Et ita edidimus. non vt vulgo.

454. *Malam bene præferre fortunam licet.*] Scribe, *libet.*

463. *Non thure colimur; nec mea excluſo Iove Ornantur aræ*] Lucanus,

Bella pares ſuperis facient civilia Divos.
Fulminibus manes, radijſque ornabit & aſtris,
Inque Deûm templis iurabit Roma per vmbras.

Atqui tum nondum erant Romani iſti Divi. Ergo prolepſis.

370. *Immane regnum eſt, poſſe ſine regno pati.*] Cui non ſuſpectus eſſet de barbariſmo hic locus? Et ſane vix eſt vt ſimilem alibi invenias. Nihil tamen mutandum. Idem in Lucano habes. *Nec poſſunt ſine rege pati.* Ergo *pati ſine aliqua re*, eſt, *non difficulter carere.* Et hoc cum Belgico idiomate plane convenit. Quod quidem Grotio noſtro, viro ſummi & incorruptiſſimi iudicij, acceptum fero. Τὸ *immane* autem, infra plane eodem modo vſurpavit.

523. *Vos quoque ſenum præſidia, tot iuvenes*] Scribe, *vos iuvenes.*

604. *Et Daca Parthis equitem minati.*] Merito hic hæret vir Illuſtris. Seneca non aliter ſcripſerat, quam

Et Daca,

Et Daca, Parthique equitem minati.

Minari equitem dicuntur Parthi, quia eorum equitatus maxime Romanis formidabilis; propter τὸ πολυθρύλλητον Parthici equitatus ſtratagema. qui cum terga daret, hoſtem invadebat. Oedipo,

Cinnamis ſyluas Arabum beatas
Vidit, & verſis equitum ſagittis
Terga fallacis metuenda Parthi.

Non eſt locus qui plus ad interpretationem huius faciat. Quare minantur equitatum? quia metuenda eorum terga, vbi equitatus fugam imitatur. Et hoc ad Romanos non ad Dacas: qui & ipſi hoſtes Romanorum non minus quam Parthi. Hæc enim omnia ἀναπεχρόνισαι.

1045. *-Suſtine infelix manum, Parcamus vmbris*] In libro ms. hæc Atreo tribuebantur. Hoc modo,

-AT. *ſuſtine infelix manum,*
Parcamus vmbris.

Optime ſupra fidem. Thyeſtes præ doloris impatientia, cum dari ſibi gladium à fratre petijſſet, quo ſuorum ſaltem funeri, qui in patre ſepulti erant, viam faceret ſimulque vitam eriperet ſibi, crudelis iſte ſarcaſtice, Miſer, inquit, cave id faxis. Parce liberorum vmbris. Ne tu manes eorum turbaveris; qui in iſto ſepulchro tam placide quieſcunt. Plane ἠθικεύεται. Neque quicquam magis pro Atreo in hoc dramate. Quid ad hæc vulgata? Pergit deinde iterum Thyeſtes.

AD THEBAIDEM.

Fabula Declamatoris, ideoque indigna prorſus iſta laude, quam nonnemo non e vulgo ei tribuit. Ac primo, quod ad inſcriptionem, cuiuscunque tandem ſit, inepta eſt, nec Argumento convenit, niſi omnes hactenus antiqui Critici nos fallunt. Nam, ſi Thebais dicenda erit, quia ibi eſt ſcena, & vt Critici loquuntur, ὅτι ἐν Θήβῃ ὑφέστηκε τὰ πράγματα, quare non & Hercules Furens, tum Euripidis tum Senecæ, Oedipus item Sophoclis alter, Thebais

bais dicetur? Idem de Euripidis Bacchabus, Pentheo item Æschyli, erit dicendum. Sed & Æschyli Septem ad Thebas, & Epigoni, tum Accij tum huius, Thebaides erunt. Ipse autem Accius, quare Thebaida feciſſet, tum ſciremus ſi extaret. Neque ſemper fruſtra, quanvis magnus ſuo ſæculo, & revera animoſi oris, Lucilio, vt parum accuratus, pœnas dedit. Hoc vt caveret provida Ariſtotelis cura, parvũ vnius tragœdiæ eſſe ambitũ voluit. Vt a magno opere, in quo actiones plurimæ continerentur (ſive eiuſdem eſſent loci, ſicut Thebais Antimachi; ſive hominis, vt Heracleis & Theſeis) vna illa, tum inſcriptione tum ambitu, ſeparari poſſet actio. Idem, quomodo tale opus minutatim ſecandum eſſet, & pro partibus ponenda inſcriptio, ex Iliade quam parvam tum vocabant, tragicos docuit. Quare nemo recte Iliada ſcribat. (Iliades enim Æſchyli, vt Phœniſsæ Euripidis ac Troades, Sophoclis item Trachiniæ, a choro dicuntur.) Non magis quam ſi quis Rheſum qui extat, & e paucis Homericæ Iliados verſibus conſtructus eſt, putet Iliada dicendum. Quod ridiculum eſt. Non tamen magis quam quod iſte fecit. Sane ex Antimachi Thebaide, quod poëma inter illa fuit, quæ πολύμυθα ab Ariſtotele ob molem dicuntur, ſi a Meleagri interitu incipias, centum feceris Thebaidas. Vt qui libros integros viginti ante hoc ſubiectum, in quo iſta Thebais verſatur, conſumpſiſſet. Quota enim hæc pars eſt totius? Quæ vero eſt vnius, vni quoque convenire debet inſcriptio. Sed & ſoli. ne confundat, quæ diſtinguit. Ideoque Critici veteres, cum in ſuos ordines dramata digererent, quia actiones tres coniunctas componebant, multum de inſcriptione ſingularum ſolliciti erant. Neque paucas, vt eſt verſimile, mutarunt, & Poetas inſtituti ſui cauſa caſtigarunt. Quod non raro obſervavimus. Vnde toties, hanc tragœdiam aut illam hoc aut iſto nomine ἐντᾶις διδασκαλίαις (ita Catalogum dicebant) extare notant. Actiones connexæ, ſive vt ipſi dicebant, συνημμέναι πραγματεῖαι eſſent, Oedipus qui regnat, Oedipus qui fugit, Septem ad Thebas. Eæ trilogiam Oedipodeam efficerent. Sicut Æſchyli tres iſtæ, Agamem-

memnon, Choephori, Eumenides, trilogiam Oresteam. Quibus accedebat Proteus Satyricus. Atque ita erat plena tetralogia. Sicut Critici ad Ranas Aristophanis, & qui ad Æschylum scripserunt, nos docent. Quare, singulæ ex ijs, singulari quoque inscriptione diligēter inter se distinguebantur. Materia, si tres eiusdem cuius hæc est argumenti tragœdiæ coniungerentur, Thebana diceretur: aut Thebais. Vt Ilias, Troas. Quare veheméter errant, qui Tragœdiã, quam infra argumenti Troici habemus, Troadem vocant. Hanc autem, Oedipodem, vel Infelicem vel Fugientem, dicas licebit. Parum enim refert in tam parum accurata dispositione. Quæ sine vlla prorsus arte, nullam implicationem rerum, nullam extricationem, nullam μεζίβασιν habet. Si priora videas, tragœdia est, Oedipus: si posteriora, Septem ad Thebas. Nam cum a miseria & horrenda Oedipi calamitate inceperit τὸ πάθος, pergit ad Eteoclis & Polynicis factum. cuius mentionem Oedipus vix fecit. Quare cum tragœdiam vnam non posset (& quis eruditus hoc neget?) duas nobis declamationes dedit. In priore, moriendum esse Oedipodi probatur, propter illa quæ commemorantur, & alterius sunt argumenti. In posteriore, Polynici & Eteocli pugnandum non esse. Ideoque nec inscriptionem, nisi multis communem, invenire potuit. Non Phœnissas, vt Euripides: chorum enim non habet. Non Septem ad Thebas: sero enim illorum meminit. Non Polynicem: vix ei partes dantur. Euripidis Phœnissas, recte Iocastam inscribas. Primas enim sustinet. Græci πρωταγωνίσην dicunt. Hic cui dabis? An Oedipodi? extra drama est. An Iocastæ? sero loquitur, & magna argumenti parte iam consumpta. Neque refert, quod nonnulla desint: consilium enim apparet. Sed oportet nihil legisse. Euripidi ab antiquis obiicitur, quod inepte in hoc argumentum Oedipodem inducat; vt hac ratione fabulam concludat. Hanc personam enim extra drama esse. Quare & supervacuam & garrulam orationem eius vocant. Noster cum hoc ipsum esset tractaturus; quod ab eo fuerat commissum, duplicavit: excusationem autem

præcidit

præcidit. Ad initium enim tranſtulit, quod in fine erat tolerandum. Et cum Græcus illi ſexaginta plus minus, hic plus minus quadraginta & ducentos dedit. Ergo de miſerijs ſuis προλογίζει, & tragœdia eſt, Bellum Thebanum. Saltem argumentum obiter propoſuiſſet, aut ab execratione incepiſſet. Scimus enim, quod ſit eius munus, cui ἡ εἴσοδος datur. Colloquium Iocaſtæ cum Polynice, vt ſupervacuum, in Phœniſſis recte harum rerum iudices notarunt: cum id tamen Thebis inſtituerit, extra omnem armorum metum. Hic inter duas acies ἐν μεθορίῳ, ſicut eum locum Euripides vocat, declamatio habetur: quæ quo minus concurrant, nihil præter ſententiolas obſtat, quas in ſchola vix feras. Ergo è ſolis Græci vitijs tragœdiam fecit. παραπληρώματα enim, quæ peculiaria ibi, ſervavit: virtutes vero non tangit. Sed œconomia nulla eſt. Plurima τὰ ἄλογα καὶ ἀπεικότα. Nam cur Oedipus quarto demum poſt anno, fatum ſuum & calamitatem deplorat? maternũ concubitum deteſtatur? An hoc illi tum primum in mentẽ veniebat? Vide autem ſimplicitatem magiſtri. Ipſe ſe prodit. Nam Iocaſta hæc dicit,

-Bruma ter poſuit nives,
Et tertia iam falce decubuit Ceres,
Vt exul errat gnatus, & patria caret,
Profugusque regum auxilia Graiorum rogat.

Adde his annum, quo regnare Eteocles cœpit (non enim prius regum implorare auxilium potuit) quadriennium efficitur. Aut ſi annus Polynicis præceſſit, quinquennium habebis. Iocaſta interea vxor eſt eiuſdem, cuius & filia. Neque in execrando hoc fato quicquam deplorat, niſi quod hoſtem amarit.

-hoc leve eſt quod ſum nocens;
Feci nocentes. hoc quoque etiamnum eſt leve;
Peperi nocentes. deerat ærumnis meis
Vt & hoſtem amarem.

Idque poſt tantas Oedipi δυπάσεις. Adeo in iſto caſu res ei redijt, vt ſententias vibret. Vt videas, quanto ſe prudentius apud Sophoclem ſuſpendat quam hic declamat. Sed hoc ſolæ Euripidis Phœniſſæ excuſare poſſunt.

sunt. Vbi & προλογίζει & secure multa alia dicit. Qualia infinita sunt in illo autore. Quare toties à comicis & Aristotele taxatur. Affectus quos præcipue captavit, sententiolæ consumunt. Periodi nonnunquam & sententiæ non plane infelices, in puncta evanescunt. Sermo nihil ad Lucium, & quem Troades, Medea, Hippolytus repræsentant. Viri summi, qui ad ævum Augusti referunt, nihil præter autoritatem suã nobis opponunt. Nam iudicium eorum vt sequamur, non est metuendum: neque enim prorsus omni caremus. Cæterum vt Æschylus & Sophocles Pythagoricos vbique fere profitentur: ita videas declamatores istos è decretis Stoicorum ducere colores. Talia hic multa sunt. Sicut illud animosum & illis solemne, quoties ingenti ore libertatem, & vt Græci melius, τὸ ἀπαρεμπόδιστον sui sapientis commendant, quod hic ab Antigone dicitur,

Et hoc magis te genitor insontem vocat,
Quod innocens es Dijs quoque invitis.

Qualia apud Senecam philosophum passim occurrunt. Hoc imposuit viro huius sectæ amantissimo Iusto Lipsio. Iam pro gnomis, quæ in vniversum vitam informant, quales in Phœnissis plures quam alibi, Stoicorum fere placita inspergit. Oblitus, quod à summo Criticorum Aristotele docetur; populum gaudere, cum in genere id audit, quod secum ipse quivis verum esse iudicat. vnde applausus iste atque exultatio. & hunc esse vsum gnomarum. Nunquam autem orbis Stoicus fuit, neque ad paradoxa quisque profecit. Itaq; hoc & Seneca vterque servavit; propter eam causam quam dixi. Rex philosophorum, ineffabili vrbanitate, τὴν τοῦ θεάτρου ἀδύνειαν, *theatri imbecillitatem*, vocavit. Iam his ipsis, quoties luxuria & inepta accedit redundantia, tædium, vt amplius nihil dicam, non applausum, eruditis movent. Sicut illa,

-qui cogit mori
Nolentem, in æquo est, quique properantem impedit.
Nec tamen in æquo est. alterum gravius reor.
Malo imperari quam eripi mortem mihi.

Quidlibet enim ex illis sufficiebat. Nunc non Oedipum loqui,

loqui, sed autorem ludere & captare copiam intelligas. Hæc prolixius, in gratiam eorum, qui magnorum hominũ iudicia non æstimant, sed pertinaciter defendunt.

Versu 10. *-hinc iam solve inhærentem manum*] Sedet scribendum esse,

-i iam, solve inhærentem manum.

43. *gnata, genitorem vides? Ego video.*] Optime hunc locũ primus emendavit vir summus Iustus Lipsius. Confirmat Æschylus, e quo convertit, Choephoris,

Ὑμεῖς μὲν ἀχὼ ὁρᾶτε τὰς δ' ἐγὼ δ' ὁρῶ

120. *-semifero dolos Sphinx ore nectens*] Cui hoc vnquam excidit? Sphingem vultu humano fuisse, cætera leonis habuisse, vulgo est notum. Sed an ideo vultu semifero locuta est? An vllus poetarum vnquam dixit, Centauros vultu semifero esse, cum significare vellet, vultum illis esse humanum, cætera feræ? Non procedit.

129. *Quicunque Elim, Parnassον*] Generosus animus Scaligeri levi negotio hic defungitur, &, quod medici solent, partem corruptam secat. Itaque hæc omnia tollit. Et profecto mira imperitia est, duorum temporum vocalem abbreviare. Sed non plane scio, an non quædam alia hic sint, multo minus excusanda. Verum totus locus, quem corruptum esse constat, ita forte est emendandus:

-quisquis Assyrio loca
Possessa regi scindis, & Cadmi nemus
Serpente notum, sacra quod Dirce lavat,
Supplex adoras; quisquis Euroten bibis
Spartamque fratre nobilem gemino colis,
Quique Elin & Parnassον.

Lavat, aut *lavit*, vt Lucretius, de fluvio. Cultum nemorum & religionem, nemo ignorat. Ipsa emendatio est ingeniosissimi iuvenis Iohannis Rutgersij. Itaque ad autorem redeat. cui plura brevi hæ literæ debebunt.

134. *patrisque rivalis sui,*] Ne hic quidem se explicat. Quis est rivalis? An quemadmodum defuncti est gener, qui illius filiam ducit, ita qui viduam ab eo derelictam, est rivalis? Ergo Messala Corvinus, qui Terentiam duxit

Ciceronis, post obitum illius, rivalis eius fuit. Græce magis absurditas apparet, qui ἀντεραστὴν dicunt.

179. *Minus eruisti lumina audacter tua Quam præstitisti.*] Hoc incomparabili viro inexplicabile videtur: ideoque ejiciendum putat. Et profecto, aliquamdiu etiam hic hæsi. Tandem vidi subtilitatem magistri. Scribendum est omnino,

-audias verum, Oedipe.
Minus eruisti lumina audacter tua.
Quam præstitisti, nunc manum cerebro indue.

Si verum, inquit, Oedipe, dicendum est, non satis magno animo oculos tibi eruisti. Hactenus commodasti manum tantum ipse tibi. Nunc ea vtere. Eadem ratione Medea;

- & faxo sciant,
Quam levia fuerint quamque vulgaris notæ,
Quæ commodavi scelera.

Apparet ergo, ea ætate hæc scripta fuisse, cum *præstare* esset *commodare*. Nam in vocula illa totũ est acumen. Quæ istis hominibus maxima lætitia erat.

182. *Pauca, o parens magnanime, miserandæ precor vt verba gnatæ*] Quid simplicius est ista lectione? Et tamen præferre alteram maluit vir clarissimus Iustus Lipsius, quam in codice suo invenerat, *magnanimæ miserandæ*; idque cum fraude syllabarum. Nam quis locis paribus dactylum ferat? Sane eximius vir iste beneficio optimi libri plurima in autore hoc felicissime emendavit. Sed quæ domo adfert, sæpe aliud agenti excidisse non dubitamus. Malevoli sit hominis secus putare. Neque aliter de magnis viris est loquendum. Quæ cum obiter monemus, malevolis præripimus, ne triumphũ propter nævos hominũ magnorum ducant, cum virtutes eorum sensu assequi non possint. Qui superiora leget, non dubitabit, quare Oedipus *magnanimus* vocetur.

195. *ipsi ceu video nullo est opus*] Vir sine exemplo eruditus, ingeniose hunc locum emendat. Cæterum scribendũ est,

Qui fata proculcavit, ac vitæ bona
Proiecit atque abcidit, & casus suos

Oneravit, ipsi sævitia nulla est opus,
Quare ipse mortem cupiat, aut quare petat.

Vir, inquit, magnus, & qui sortem adversam excelso provocare audet animo, ac ipse sibi interdum accersit vt cum ea congrediatur, nihil est necesse, vt in se ipse sæviat. Hoc est, vt vel optet mortem, vel sibi inferat. Est autem totum è Stoicorum schola. Plane eodem modo milites ad Cæsarem lib. v Lucani; cum vix mortem evasissent:

Cum tot in hac anima populorum vita salusque
Pendeat, & totus caput hoc sibi fecerit orbis,
Sævitia est voluisse mori.

Ita hoc loco, *sævitia nulla est opus.* casu primo.

367. *Feci nocentes*] Non assequor, quare vir optime de hoc autore meritus, multum se sententiæ consulere existimet, cum *nocentem* reposuit. Quia de solo, ait, Oedipode est sermo. Atqui nihil ista numeri mutatione esse ἐνεγέστερον, sciunt, qui vel vnum autorem legerunt, aut in istis aures leviter subactas habent. Itaque, si mutes, omnis vis perit, imo languet. Illustre est illud Sophoclis, quod Rhetores notant,

κἀπέδειξατο
Πατέρας, ἀδελφὰς, παῖδας, αὖμ' ἐμφύλιον,
Νύμφας, γυναῖκας, μητέρας.

Πατέρες de solo Oedipode: μητέρες de Iocasta. Nihil est tritius. Sed vis maxima est. Et hoc naturalis sermo nos docet

427. *Vadit furenti similis, atque etiam furit*] Sane eadem ratione dixeris: Tragicus hic inepto similis est, atque etiã ineptit. Tuam fidem & iudicium, Iuste Lipsi!

566. *-poteris has Amphionis &c.*] Malum Euripidis discipulum in tota hac oratione se præbuit. Nam Iocastæ nihil est minus quam sophistica: cuius iste non minus reliquas virtutes quam brevitatem conspurcavit. Vide autem insignem περιεργίαν & stultitiam. Poëtæ fingunt, muros Thebarum lyra Amphionis fuisse structos: hoc ille in re seria valere vult, ad misericordiam movendam. Neque videt, contrarium affectum excitari; risum aut contemptum. Propter τὸ ἀπίθανον καὶ ψυχρόν.

AD HIPPOLYTVM.

Tragœdia divina, & quæ paucis Latinorum cedit. Sane niſi Troadas excipias, nulli eſt ſecunda. Character eſt caſtus, œconomia optima. Nutrix tamen longe inferior Euripidis, cum Hippolytum accedit. Habet enim autor ille τὸ κομψὸν καὶ πανοῦργον. Neque quicquam eſt tam ſceleſtum, quod non ab eo ἐνδόξως dicatur. Profecto, aliam illius temporis rhetoricam fuiſſe oportet, quam eſt pædagogulorum hodie, qui ad ſuas neſcio quas præceptiunculas καὶ τεχνύδρια, puerorum ingenia aſtringunt. Etiam aliam, quam quæ in Thebaide elucet. In qua animam imitationis τὸ ἦθος, ſententiolæ comminuunt & intercludunt. Hæc Dianæ auxilium, illa Veneris implorat. Sane optime. Non enim virgo contra caſtitatem invocari debet. Chorus Græci, cuius eſt initium, Ἔρως Ἔρως ὁ κατ' ὀμμάτων Στάζεις πόθον, eſt inimitabilis. Ei primum ſuum Seneca oppoſuit, non tam bono ſucceſſu. Reliqui quoque fere omnes è Græco ſunt adumbrati. In cæteris ſuperiores ſumus. Ibi Theſeo Hippolytus occurrit. quod hic ſapienter vitatur. Nulla enim verba digna tanto ſcelere excogitari poterant. Et tamen, res leviſſime tranſigitur. Iam de iuramento, cujus cauſa factum Phædræ ab Hippolyto celatur, cum ſe vno verbo expedire potuiſſet, ſignum pœnitentis eſt poëtæ. vt qui male œconomiam ſuam orſus eſſet. Accedit τὸ ἄλογον. Ante enim dixerat, cum nullum periculum immineret,

Ἢ γλῶσσ' ὀμώμοχ', ἡ δὲ φρὴν ἀνώμοτος.

Sed & talis eſt inventio tabellæ, quam cum Phædra jam pendentem Theſeus invenit. Niſi enim hoc excogitaſſet, vnde ſcire poterat quid eveniſſet? Plane hærebat illi aqua. Quare quod in Comico εὑρετικὸν vocari ſolet & laudatur, hoc in Tragico ἀποικονόμητον dicendũ eſt. Quod perpetuũ eſſe Euripidis vitium, magnus Ariſtoteles notavit. Ergo ſucceſſum vide. Pœnas dat vterque; & poëta & Hippolytus. Hic diripitur ab equis: ille vt actionem quam tot modis intricaverat abſolvat; it ad machinam, & Dia-

& Dianam introducit. quæ rem Theſeo exponit. Sic Hippolytus in vrbem rurſus redit, & quod fieri non poterat, ſi vel nomen tueretur ſuum, placide expirat. Noſter quia rem præceperat, ſine vllo protenus labore ad finem perducit. Duas ὄψεις σχηνικὰς adiunxit: quibus oculorum lenocinium quæſivit. Nam & Phædra coram populo ſibi manum infert: & Hippolyti reliquiæ exhibentur. De quibus ſupra. Sed in ſingulis hæc perſequi Tragœdijs,non eſt animus. Cum id ſuo ſibi loco melius futurum ſit Et iam properamus.

Verſu *5. & quæ Thryaſis*] Hoc librariorũ incuria evenit, cũ ſit in pleriſque manu exaratis, *Thiaſis*. quod eſt *Thriaſis*, aut *Thriaſiis*. à *Thria*, quæ & *Thrio*, teſte Stephano. Θριῶζε enim viam inſtituit, qui Athenas petit. Et de hoc conſtat. Sicut & de eo:verſu ſuperiore recte eruditos legiſſe, *Quæ ſaxoſo loca Parnethi*. quod merito ex antiqua ſcriptura revocat Scaliger ὁ πάνυ.

23. *parvas alius Calcet Aphidnas*] Scribe, *patrias*. quod mendum aliquoties in Seneca notavimus. Plures enim Aphidnæ.

86. *quidquid Aſſyria tenus Tellure Nereus*] Non capio. Nam quid ſecat Nereus,qui ſecatur ipſe, &roſtris,vt hic loquitur, eſt pervius? Non dubito reponere,

-quiſquis Aſſyria tenus
Tellure Nerea pervium roſtris ſecat.

Ait per omnia Cretenſium littora, naves eſſe plurimas, quæ Aſſyriam vſque mare ſecent & tranſmittant. Iam illud, *innumeræ rates*, & *quiſquis*, Atticum ἀναχόλουθον eſt: Græcorum Tragicorum, & præſertim Sophocliš, deliciæ.

115. *Genitrix tui me miſeret*] Euripides, Ὦ τλῆμον ὅιον μῆτερ ἠράσθης ἔρον.

139. *Fortem facit vicina libertas ſenem.*] Nimium ſibi permiſerunt in poſtremis editionibus eruditi viri, qui hic Phædræ nomen ſuſtulerunt, quaſi iſta a nutrice dicantur. Vt & ante illa, *Obſtare primum eſt*. Quibus ſublatis, nihil in tota illa ῥήσι quam nutrici aſſcriptum eunt, præter caliginem & noctem. Ponamus ergo hæc à

Phædra dici, illa a Nutrice. Sequitur,

Fortem facit vicina libertas ſenem?

Quæ credo in cauſſa fuiſſe, cur hæc turbarent. Putabamus aliquando ſcribendum eſſe,

Sortem facit vicina libertas levem.

Nec negari poteſt, quin ita expeditior ſit ſenſus. Nam quid magis ad Phædræ mentem? Quam cum ſerio moneret Nutrix, ne iſti indulgeret malo, e quo ſine ſumma in poſterum moleſtia, expedire ſe non poſſet,

Quemcumque, inquit, *dederit exitum caſus, feram.*
Sortem facit vicina libertas levem.

Omnia feram; & præſertim vicinæ libertatis ſolatio. quæ fortunam quoque aſperrimam lenire ſolet. Ea autem mors eſt. Notum illud Thraſeæ, qui τῷ ἐλευθερίῳ Διὶ moriturus libabat. Sic Agamemnone,

AG. *Ne metue dominam famula.* CA. *libertas adeſt.*

Scio quomodo ab alijs accipiatur; quibus nondum accedo Quanvis fortunæ patriæ hic non agantur, & ſenſus fere idem ſit.

209. *Cur in Penates rarius tenues ſubit Hæc* &c.] Ex illo Euripidis Danae,

ἓν δέ μοι τεκμήριον,
Οὐδεὶς προσαιτῶν βίοτον ἡράσθη βροτῶν,
Ἐν τοῖς δ' ἔχουσι παῖς ἀεὶ πέφυκ' ὄδε.

444. *- motibus feſtis facem Attolle*] Nihil eſt verius quam ſcribendum eſſe, *noctibus feſtis*. Quod a nobis ita emendatum Lipſianus codex confirmavit. Cuius quidem viri præſtantiſſimi animus alibi erat, cum hæc ad neſcio quæ Triviæ ſacra ex Propertio traheret, quæ in nemore, ait, celebrabantur. Qui leviſſime tinctus eſt his literis, videt, Eleuſinia eſſe de quibus agitur. Phædra ſupra:

Nec inter aras Atthidum mixtam choris
Iactare taciti conſcias ſacri faces.

Faces iactare, faces tollere, δαδοχεῖν, δᾷδα ἴσασθαι. De quo quædam ad Herculem Furentem Scaliger: plura Græci.

558. *Mitius nil eſt feris.*] Sollicitos habuit hic locus magnos viros. Sed nihil mutandum. Nam convenienter perſonæ, & ἠθικῶς hoc dicitur ἀπὸ μισογάμου, & qui ab omni fœmi-

fœminæ abhorreret congreſſu, *Nihil eſt mitius feris.* Verum animi hominum a fœminis obſidentur, & ad bella ac cædes inflammantur. Quare autem *feris?* Quia ἄζυγες vivunt, & connubia non norũt. Dido apud Virgil. lib. IV.

Non licuit thalami expertem ſine crimine vitam
Ducere more feræ?

Iam autem vis orationis eſt in eo: Quæ fera ſunt, mitibus opponuntur. Ergo acute,

- mitius nihil eſt feris.

Neque eſt quicquam ſollicitandum. Niſi quis malit ſequenti verſu,

Et dux malorum fœmina, & ſcelerum artifex.
Obſedit animos.

730. *Pignus tenemus ſceleris.*] Etiam hic graſſata eſt imperitorum audacia. Famulos iam advocarat Nutrix; teſtes nempe ficti criminis: ſimulque, ne quis dubitaret eſſe Hippolyti hoc ſcelus, enſem eius manu tenet. Adſunt illi, & arrepto eo exclamant,

Pignus tenemus ſceleris.

Pergit Nutrix iterum, iubetque aliud vt prius agant, & defectam animo Reginam attollant ac ſolentur. Totum locum ita Seneca conceperat:

Adeſte Athenæ, fida famulorum manus
Fer opem: nefandi raptor Hippolytus ſtupri
Inſtat premitque, mortis intentans metum.
Ferro pudicam terret. en præceps abijt,
Enſemque trepida liquit attonitus fuga.
FAM. *Pignus tenemus ſceleris.* NVT. *Hanc mœſtam prius*
Recreate.

738. *Stella cum ventis agitata longos Corripit ignes*] Iam præceſſit, *rapiente flamma.* Quare vide ne verius ſit Senecam ſcripſiſſe, *Concipit ignes.* Neq; hilum refert, quod ſtella ſit ignis. Iſte enim ignis vento impulſus, flammã concipit maiorem: &, vt ipſe loquitur, longam ac diffuſam. Cum autem ſtellam volantem venti impulſu vult accendi, ſuos, non autem peripateticos, eſt ſequutus. Longe enim aliter περὶ τῶν διαπόντων ἀστέρων primo Meteorologicorũ agitur. Ipſe autẽ Natural. Quæſt. I. inter alia,

Attritu aeris ignis incensus, vento præceps impellitur. Sed hoc jam agamus.

766. *Languescunt folio lilia pallido*] Attica ellipsis, *cum languescunt.* Quibus nihil in Græcorum tragœdia vsitatius. Tamen distinctione iuvatur.

782. *Montivagique Panes.*] Ita edidi; Gruteri nostri, optime de auctore isto, vt de omnibus Latinis, ac præsertim supra quam dici potest, de Plauto meriti, fidem & codices fere omnes secutus. Non raro autem Seneca, alijs metris choriambicos, dimetros, catalecticos inserit. Vt ecce, vltimo hujus Tragœdiæ choro:

Insani Boreæ minas,
Imbriferumque Corum.

Talis est postremus iste epodi primæ Pindaricæ odæ, ἐξαπατῶντι μύθοις: & reliqua cola quæ respondent, ac eodem modo bacchio concluduntur.

805. *Et vasti spatio vincere corporis*] Mirabor, si quisquam sit qui hæc capiat quemadmodum nunc concipiuntur. Seneca scripserat;

-tu, licet asperos
Pugnacesque Deos viribus arceas,
Nec vasti spatio vincere corporis:
Æquas Herculeos iam iuvenis thoros.

Tu, inquit, cum validissimo quoque Deorum in certamen venire audeas. Qualis Mars videlicet: cum quo Diomedes ab Homero committitur. Sed nec mole corporis, eorum vlli quicquam debes. Hac enim ipsa ætate toros Herculeos æquas. Scitum est illud viri divini in Nicomachicis: καὶ τὸ κάλλος ἐν μεγάλῳ σώματι, οἱ μικροὶ δὲ ἀσεῖοι καὶ σύμμετροι, καλοὶ δὲ οὐκ ἂν εἶεν. Quis negare audeat id verum esse?

899. *Regale parvis asperũ signis ebur*] Omnino est scribendũ,

Regale patrijs asperum signis ebur.

Mendum familiare in his Tragœdijs.

984. *Tristis virtus perversa tulit.*] Clarissimus vir Hugo Grotius legebat,

Tristis virtus perversa dolet
Præmia rebus.

1022. Latuere nube numen] Vera lectio est,

Latuere rupes nomine Epidauri Dei.

Non autem *nube*. quod qui pertinaciter defendunt, faciunt næ intelligendo vt nihil intelligant. Et hoc plane versum Euripidis exhibet,

Ἐκρυπτε δ' ἰθμὸν καὶ πέτραν Ἀσκληπιοῦ.

Scaliger mavult *nomen*, quod est Ἑλληνικώτερον, sed durivsculum. Lipsius nescio quomodo in tanta sui codicis luce *numen* retinet. Quod non est nauci.

1026. Summum cacumen rorat expulso salo, Spumat vomitque] Quid facilius fuit, quam Senecæ hoc loco veram lectionem restituere? Quæ est,

Summum cacumen rorat expulso salo
Spumas: vomitque vicibus alternis aquas.

Rorare spumas, vt *rorare imbrem*, Plinio.

1114. Omnium potens Natura, quam &c.] In animo habebat illud Sophoclis Electra,

Δεινὸν τὸ τίκτειν ἐσίν· ὐδ' ἐγὼ κακῶς
Πάσχουσα μῖσος ὧν τέκνῳ προσγίνεται.

1139. Plebeia domus] Consensus plurium librorum qui manu exarati sunt, inter quos & noster, ita hunc locum repræsentat:

Plebeia domus. circa regna tonat.
Volat ambiguis.

Vnde Hugoni Grotio nostro placebat,

-circa reges
Et regna tonat. Volat ambiguis.

Ibid: v. Mob. *Volat ambiguis Mobilis alis hora* &c.] Nihil hic de brevitate temporis. quanvis sciam, quomodo ferri possint. In ms. Villeriano erat,

-volat ambiguis
Mobilis alis hera nec vlli
Præstat.

Nam, vt ante monuimus, perpetuo voces in eo erant translatæ. Scribe,

-volat ambiguis
Mobilis alis hera, nec præstat
Vlli velox Fortuna fidem.

Hera Fortuna, ex Ennio, Plauto, alijs, tyronibus est nota. Ergo videndum.

AD OEDIPVM.

Tragœdia præclara. minor quã inventoris tamẽ. Notent studioſi, ſolam hanc inter Romanas περιπεπλεγμένην extare. Qualem conſtitutionem abſolutã Ariſtoteles cenſet. Quippe & ſubitam in contrarium mutationem, quã peripetiã vocant,& agnitionem habet. Manifeſta peripetia eſt, vbi ſen ex Polybũ deceſſiſſe nunciat, & Oedipodem ad Corinthiorum regnum invitat. Iſto enim fine cũ veniſſet, & jã in tranquillo conſtitutus videretur Oedipus, præter expectationem, contrariũ efficitur. Quippe parentem ſuum non fuiſſe Polybum, docetur. Vnde totius rei ſequitur mutatio,& tota fit palam. Hinc agnitio, pars altera, dependet. Ita Iocaſtam agnoſcit. Duæ tales extant Sophocleæ, Electra & Oedipus prior, quem Tyrannũ vocant, E qua hæc eſt adumbrata. Vnam talem in Euripide invenias: nullam in Aeſchylo. cuius tempore peripetiæ nondum inventæ erant. Sane cũ iudicio abſtinuiſſe ab eo Latini videntur. Vbi enim ſummũ artificiũ eſt, ibi ἑρμηνεία noſtrum maxime defecit. Sed & nimium ad finem feſtinat. Græcus paulatim procedit. Quod lectorem detinet ſuſpenſum, & paulatim movet. Itaque, perijſſe mihi videor, priuſquam Oedipus perit. Noſter Epiſodia quæ addidit, cum tam accurate ignem & viſcera deſcribit, vt e ſacris hauſiſſe ea libris videatur, tum prolixa illa νεκυίας ex Homero delineatio, ita pulchra ſunt, vt quanvis habeant vernile & ambitioſum aliquid, potius in hoc laudanda tamen, quam in iſto requirenda videantur. Seneca feliciter fere omnia deſumpſit: totam etiam œconomiam accepit. A qua cum recedit, quiſque deprehendat. Iocaſta apud Græcum ſimul factum ſuum agnoſcit, & conſpectum hominum nunquam reditura fugit. Nam quis matrem introducere poſt iſta audeat? Hic & poſtea occurit filio, &

ſolari

ſolari eum audet. Tantum vt acumina aliquot faciat compendij. quæ nec illi deſunt. Qualia enim ſunt iſta,

Γοᾶτο δ' ἐυνὰς, ἔνθα δύσην & διπλοῦς
Ἐξ ἀνδρὸς ἄνδρας, καὶ τέκν' ἐκ τέκνων τέκοι?

Vt agnoſcas, nihil præter talium abuſum ignoraſſe veteres. Quo poſteriores iſti declamatores nihil magis quam Tragœdiam inquinarunt. Loca autem ſingula cum tentat, non tam vincitur quam deficit, & inquantum impar ſit, fatetur. Chorus primus qui de peſte eſt, idem fere eſt vtrobique. Etiam pulcherrimus noſter. In iſto tamen multa, ad quæ ſanus ne aſpiret quidem.

Verſu. 45. *Triſtiſque mundus nubilo pallet novo.*] Vide an non ſcripſerit,

Triſtiſque mundus nubilo pallet Iove.

118. *Vidit, & verſas equitis ſagittas,*] Quare non viderunt, ſcribendum eſſe?

Cinnamis ſilvas Arabum beatas
Vidit, & verſis equitum ſagittis
Terga fallacis metuenda Parthi.

Nam ne *equitis* ſcriberent, abſterrebat eos ſimilis deſinentia.

174. *Vaga per lucos ſimulachra virûm Maiora viris*] Nihil eſt mutandum. Sed & Iuſtus Lipſius etiam hic excuſandus eſt, vt qui aliud tum ageret, cum repoſuit, *Maiora veris*; ſyllabæ plane immemor.

382. *-nec vſquam territi fugiunt greges*] Apage illud *magiunt*, quod Lipſius tantopere admiratur. Cauſa palam eſt. Et pueri vident, qui ſyllabarum rationem non ignorant.

390. *Nec alta cœli penna que lævis ſecat.*] Nugæ ſane. Seneca ſibi iſtam ἐυμετρίας legem præfixit, vt in iſtam ſedem jambum non admittat, niſi vbi eſt corruptus. Certe non aliter ſcripſerat, quam,

Nec alta cœli penna qua lævi ſecat;
Nec fibra vivis rapta pectoribus poteſt
Ciere nomen.

Lævi

Lævi cœli, vt *vivis pectoribus*, ex arte. Quid ſit *lævum cœlum, læva numina, lævum tonare*, docent γραμματικῶν παῖδες.

405. *Mollia Niſæis armati brachia thyrſis,*] Iuvant opinionem de hoc loco noſtram, quæ ſe ipſa ſatis tuetur, emendatiores libri, in quibus legitur, *armatæ*. Non dubitamus ergo ita tranſponendos eſſe hos verſus:

Effuſam redimite comam nutante corymbo,
Lucidum cœli decus, huc ades votis,
Mollia Niſæis armatæ brachia thyrſis
Quæ tibi nobiles Thebæ Bacche tuæ
Palmis ſupplicibus ferunt.

Quis enim magis hic rationem verſuum qui confunduntur, quam in monoſtrophis Græcorum choris, reddere ſe poſtulet? Quare nemo mirari debet, ſi pluſculum hic permiſit ſibi indocta audacia.

556. *Nigro bidentes vellere, atque atræ boves Retro trahuntur.*] Quod Homerus dixit ἀνερύειν, in Deorum ſuperorum victimis, hoc Sophocles dixit ἄνω σφάζοντα τρέπων. Contrarium eius, quod in inferorum victimis fiebat, quæ capite terram verſus inclinato, à ſacerdote ſtatuebantur, dixit noſter, *retro trahere*. quod oppoſitum eſt τῷ ἀνερύοντι. Mirum eſt hoc in tanta ambitione criticos fugiſſe.

589. *Avidumque populi peſtis Ogygij malum.*] Memento, Peſtem hoc loco, vt cætera quæ præceſſerunt, poni. Nam & hæc σωματοποιεῖται. quare maiuſcula notandum eſſe: vt recte obſervabat noſter Grotius.

656. *repetet incertus viæ,*] Ita in quibuſdam legitur & ſcriptum invenitur. Vera lectio eſt, quæ, vt poſtea intellexi, in pleriſque extat,

-repet incertus viæ,
Baculo ſenili triſte prætentans iter,

Sophocles,

ξένην ἔπι
Σκήπτρῳ προδείκνυς γᾶιαν ἐμπορεύσεται.

AD

AD TROADAS.

Valerius Probus bis Senecæ Hecubam laudat, cum ex ista versus adducit. Rectius qui Troadas inscribunt. Certe princeps eruditionis Aristoteles, quo nemo melius hæc intellexit, cum parvam Iliada in portiones Tragicas partitur, eam quæ Ilij expugnationem, sive τὴν τοῦ Ἰλίου πόρθησιν, sequitur, Τρωάδας vocat: forte Euripidem secutus. Hecuba eiusdem vix commune quicquam habet, nisi quod eiusdem πραγματείας sit. Troicæ enim ambæ sunt, tam Hecuba quam Troades. Sicut ambo Oedipodes, qui hic leguntur, sunt Thebaicæ. Tamen Polyxenam ibi habes, & narrationem similem de eius morte Talthybij. Etiam Vlyssem; sed paulo aliter moratum. Scena quoque est alibi: non vt ista in Troia. Troadum œconomia apud istum & Euripidem fere est eadem. Ibi ὁ προλογίζων est Neptunus: hic Hecuba, quæ plurima ex eo desumpsit. Non ausim Græcam vllo modo, sive dispositionem spectes, sive πάθος, sive gravitatem & augustum pondus sententiarum, cum ista conferre. Etiã in Choris noster vincit, quos ex paucis Græci verbis, & quæ sparsim legũtur, fecit alios & plane divinos. Apud Græcum vno loco illa invenerat:

Τίς μ' Ἀργείων ἢ Φθιωτᾶν
Ἡνησαίαν ἔξει χώρα,
Δύσανον πόρρω Τροίας; φεῦ φεῦ.

Alio, illa:

Ἢ Σαλαμῖν' ἱερὰν]
Ἢ δίπορον κορυφὰν
Ἰδμιον, ἔνθα πύλαις
Πέλοπος ἔχουσιν ἕδραι.

Et paulo post nonnulla similia. E quibus præclarum illum fecit:

Quæ vocat sedes habitanda captas?

Et ex duobus versibus,

Ὡς ἡδὺ δάκρυα τοῖς κακῶς πεπονθόσιν,
Θρήνων τ' ὀδυρμοὶ, μοῦσά θ' ἡ λύπας ἔχεις.

cœlestem

cæleſtem illum,

Dulce mœrenti populus dolentum.

Quæ ab Andromache de ſuo in maritum amore dicuntur, ſunt præclara, ſed non promovent actionem. Helenæ vero & Hecubæ coram Menelao certamen, ſicut extra argumentum eſt, ita prorſus eſt ineptum. Hic omnia ad inſtitutum faciunt. Inprimis tota Andromache, divinitus & dramati convenienter eſt morata. Nolim tamen eius πάθος, quod eſt plane alienum ab Euripideo, vitio Euripideo contaminaſſet. Hoc vitium eſt ἀδολεσχία, ſive importuna verboſitas. Nam cum valedicit filio, frangit luctum ſuum quia affert aliena:

Iliaca non tu ſceptra regali potens
Geſtabis aula; iura nec populis dabis,
Victasque gentes ſub tuum mittes iugum;
Non Graia cædes terga, non Pyrrhum trahes,
Non arma tenera patria tractabis manu,
Sparſaſque paſſim ſaltibus latis feras
Audax ſequeris: nec ſtato luſtri die,
Solemne referens Troici luſtri ſacrum,
Puer citatas nobilis turmas ages.
Non inter aras mobili velox pede,
Revocante flexo concitos cornu modos,
Barbarica priſco templa ſaltatu coles.

Ecce coram Vlyſſe de Graiis & Pyrrho. Sed fingamus iſta non audiſſe Vlyſſem aut in aures dici puero (quod nos olim abſurditati minuendæ, excogitavimus,) iam ſupremum vale puero dicebat, iam e ſinu eius avellebatur natus, iam poſcebat cum victor hoſtis, iam claſſis anchoras legebat, & deplorat, quod non ſit venaturus: quod luſtro Troico non ſit interfuturus. Denique in tanta temporis anguſtia, quem, ludi, cornua, ſaltationes, locum habent? Nolim factum. eſt enim prorſus λαλιὰ Euripidea, toties ab Ariſtophane exploſa. Quæcunque ex Hecuba eiuſdem ſunt deſumpta, longe prudẽtius inſtituit. Hic Achillis φάντασμα ex tumulo emergit, & in Troade, vbi eſt ſepultus. Ibi, ſi

Gram-

Grammaticis credimus, ἐκ κενοταφίᾳ, & quidem in Thracia. Quæ ſunt σοφὰ φάρμακα ipſorum Criticorum, quibus negligentiam Poetæ, &, vt ipſi vocant, τοὺς αὐτοχεδιασμοὺς tegunt. Quod ni facerent, neceſſe eſſet, alteram dramatis eiusdem partem in Aſia, alteram in Europa, Polymeſtoris cauſa, & vltra Helleſpontum, ponere. Eſt enim drama ἐμπαθὲς, ſed propter varias περιπετείας quas coniungit- ἀνοικονόμητον. De inſcriptione aliquid Scaliger, & nos ſupra: cur nimirum Troas dici nequeat.

Verſu 10. *Et qui renatum prorſus excipiens diem*] Multum viro ſummo Hugoni Grotio debere profiteor: qui me hic monuit, legendum eſſe,

Et qui renatum pronus excipiens diem,
Tepidum rubenti Tigrin immiſcet freto.

Veriſſima emendatio. Nemo tam paucarum literarum eſt, vt ignoret, Orientem a Perſis adorari ſolere.

22. *Stat avidus iræ victor,*] *Avidus iræ*, id eſt, *iracundus*. Sicut *iræ properus*, apud Tacitum.

53. *-& quondam ſacrum Regni iacentis*] Operoſe hic ſatagunt eruditi viri, cum ad illos Deos hæc referunt, qui Troianam vrbem pereuntem relinquebant. *Sacrum* nihil eſt aliud quam templum more Græcorum, qui ἱερὸν dicunt. Intelligit templum Hercei Iovis, ad quod Priamus ceciderat. Græcus: πρὸς δὲ κρηπίδων βάθροις Πέπτωκε Πρίαμος Ζηνὸς Ἑρκίου θανών. Sed tota oratio eſt Græca, καὶ τὸ ἱερὸν τότε, τῆς νῦν πεσούσης βασιλείας.

193. *- non parvo luet Iras Achillis Græcia, at magno luet*] Quis dubitat, male hæc interpuncta eſſe, ſed & concepta? Alludit operis Homerici initium, celeberrimam illam μῆνιν, quæ, vt ibi legitur, μυρί' Ἀχαιοῖς ἄλγε' ἔθηκε. Scribe,

- non parvo luit
Iras Achillis Græcia, & magno luet.
Deſponſa noſtris cineribus Polyxena
Pyrrhi manu macletur.

Paulo aliter Scaliger ὁ πάνυ. quod & poſtea vidi. Verum, vt nos, ſimplicius. Cogitent ſtudioſi, ſe audire illud, Ὅς ῥα πολλάων πόλιων κατέλυσε κάρηνα, Η' ὄ γ' ἔτι καὶ λύσῃ. Qui ſolvit, & ſolvet.

252. *Ætatis alios fervor hic primæ rapit, Pyrrhum paternus.*] Quis hic aliquid mutare audeat? In alijs, inquit Agamemnon, fervor iſte vitium iuvenile eſt; in Pyrrho paternum. Alij ab ætate hoc habent, Pyrrhus a patre. Viri illuſtres cum Pyrrho iſta tribuunt, an non aliud agebant? An Agamemnon hic alio reſpicit, quam in ſequentibus; ad contentionem nimirum illam luculentam, quæ eſt Iliados primo? An non poëtæ. Tragici præſertim, Pyrrho τὸ Ἀχίλλειον ἦθος tribuunt: quod & diligenter Critici notarunt? An non Agamemnon hoc in eo tangit? An poſtremo non ſequentia hoc confirmant? Illa inquam, *Spiritus quondam truces Minaſque tumidi lentus Æacidæ tulit,*

328. *Eſt regis alti, ſpiritum regi dare*] Scribe,

Eſt regis, alij ſpiritum regi dare.

Quod purius, & magis ad mentem.

404. *Mors individua eſt noxia corpori*] Diſtinctione iuvandus eſt locus. Neque parum lucis accedet, ita ſi legas:

Mors individua eſt; noxia corpori,
Nec parcens animæ.

An non certo eſt certius, ita Tragicum ſcripſiſſe? Sic Tertullianus, quanvis alio fine, negat mortem diviſibilē eſſe.

417. *Tunc obruta atque everſa Troia concidit*] Memento, vt τὸ Troïa τελουμάβως hic legas. quod vulgo non advertitur. Ne in ſuas peccet leges Seneca.

484. *-coniugi charo ſacer*] In ms. erat diſerte, *coniugis chari ſacer.* Quod quæ cauſa eſt cur mutemus? ἱερὸν τοῦ φίλου ἀνδρός. Notus Helleniſmus.

525. *Duræ miniſter ſortis,*] Hæc omnia e cognomine Euripidis, vnde magnam œconomiæ ſuæ partem Seneca deſumpſit, petita ſunt. Vbi, ſicut hic, Vlyſſes,

Φρυγῶν ἀείσω πρίν ποθ' Ἕκτορ' δάμαρ,
Μή μοι συγήσῃς, οὐχ ἑκὼν γὰρ ἀγγελῶ,
Δαναῶν τε κοινὰ Πελοπιδῶν τ' ἀγγέλματα.

684. Vel

684. *Vel vmbra ſatis eſt.*] Ita eſſe interpungendum hunc locum, vt libros omittam, Tragicus perſuadet, cui eum debet noſter. Sic enim ille Hercule Furente:

Ἄρηξον, ἐλθὲ, κῆ σκιὰ φάνηθί μοι.
Ἄλις γὰρ, ἐλθὼν ἱκανὸς ἂν γένοιο σύ.

Nam & ibi ita eſt repræſentandum. Vulgo male.

740. *An has ruinas vrbis in cinerem datas Hic excitabit?*] Præclarus locus. Sed ex illo,

Τί τόνδ' Ἀχαιοὶ παῖδα δείσαντες φόνον
Καινὸν διῴργάσεσθε· μὴ Τροίαν ποτε
Πεσοῦσαν ὀρθώσῃεν. ὡδ' ἔνη τ' ἄρα,
Οἵθ' Ἕκτορ μὲν ἐυτυχοῦντ' ἐς δόρυ
Διωλλύμεσθα, μυρίας τ' ἄλλης χερὸς.
Πόλεως δ' ἁλούσης, καὶ φρυγῶν ἐφθαρμένων
Βρέφος τοσόνδ' ἐδείσατ'.

Ex eodem & plura, quæ notavimus.

830. *Pelion regnum Protei ſuperbum,*] Quis patienter illa leget quæ de Proteo e Lycophrone & alijs huc afferũtur? Saltem nos docuiſſent, neſciuiſſe Senecam quod nemo ignorat; ſalvo id verſu fieri non poſſe. Certe nihil tale cogitavit. Eſt enim ſcribendum, cum Grotio noſtro,

Pelion regnum Prothoi ſuperbum.

Homerus Catalogo,

Μαγνήτων δ' ἦρχε Πρόθοος Τευθρηδόνος υἱὸς,
Οἵ περὶ Πηνειὸν καὶ Πήλιον εἰνοσίφυλλον.

880. *Te magna Tethys,*] Ita edendum: & ſequenti verſu *Thetis*. Tethys enim eſt Salacia. quæ nihil ad Achillis illam matrem: niſi quod & illà in familia eius. Vtramque manifeſte hic diſtinguit.

903. *Celebrate. digne planctus & gemitus ſonent*] Exiges ſenſum cum verſu, ſi ſcribas,

Celebrate Pyrrhi Troades connubia,
Celebrate digne. planctus & gemitus ſonet.

1099. *-ſuperbe moverat vulgum ac duces.*] Scribe,

Sic ille dextra prenſus hoſtili puer
Ferox, ſuperne moverat vulgum ac duces.

E ſuperiori loco. nam in turri erat Aſtyanax. *Superne*, ἄνωθεν. Potes &, *Ferox, ſuperbus.*

1144. *& fere cuncti magis Peritura laudant*] Si interpretatio Lipſij placet (& cui non placeat?) melius leges:

Stupet omne vulgus; vt fere cuncti magis
Peritura laudant. Hos movet formæ decus.

Melius inquam, quam ſi, *& fere*, legas, & includas iſta verba.

AD MEDEAM.

Tragœdia illuſtris. Quid enim aliud potuit poſt Naſonem, Romanorum ingeniorum principem, cui fere palmam in Tragœdia Latina tribuerunt veteres ? Vterque & hic noſter, & ſine vllo dubio Ovidius, Euripidis œconomiam ſunt ſequuti. Sed & fidem. Itaque a duobus illis conſtat παραπεποιῆσθαι τὸ δρᾶμα. Reliqui interpretati ſunt. Eſt autem inter omnia Euripidea, maxime æquale, & elaboratum. Adeo vt nec eſſe illius Critici antiqui ſuſpicati ſint. Quod ad argumentum vero, plurimum permiſit ſibi. Neque enim vſus fuit τῇ κεκμένῃ πράξει, quod plerunque ſolent Tragici, ſed aut immutavit pleraque, aut effinxit. Sane ab antiquorum pleriſque diſceſſit. Et in ijs præſertim, quæ de liberorum cæde. Quod Corinthiorum gratiæ dediſſe exiſtimatur. quos iſtius facti tum adhuc invidia premebat. Vt ex Parmeniſco antiquo autore & alijs apparet, qui a Criticis citantur. Chorus hic e viris, ibi e fœminis Corinthiorum. Ibi omnes ſummo artificio argumentum promovent, & ex ipſa fere re ſunt petiti. Duo hic συναγωνίζονται, & ſerviunt ſubiecto: Epithalamium, quod Corinthij canunt, & qui eſt de veſania Medeæ. Medij duo, ſatis longe ſunt petiti: non enim tum navigabat Iaſon. Etiam ἦθος Medeæ ex parte ſervat. Quamvis Græcus, meo quidem ſenſu, vincit. Admiranda enim ibi eſt δριμύτης illa. Peſſima enim ea indoles, non quæ erumpit læta, ſed quæ fallit. Ovidius quoque in epiſtola Medeæ longe magis & ſedatum & æquale dedit. Quod & in Tragœdia feciſſe veriſimile eſt.

Melio re

Meliore etiam consilio inter iram eius manifestam & dissimulationem, duos choros inserit. Hic vero subito mutatur. Cætera eruditi contendant.

Versu 57. *Et quæ Taygeti iugis*] Veram lectionem viderunt, qui scribunt,

Et quas Taygeti iugis,
Muris quod caret oppidum
Exercet iuvenum modo.

205. *Felix Aoniam prendito virginem*] Mirum, quomodo tam secure locum hunc prætervecti fuerint eruditi. Nam quid cum Bœotia Creusæ? aut Corintho cum Aoniis? Nemo adeo ἐγεωγράφητος est, vt hæc confundat. Ipse Seneca supra optat, vt Creusa vincat

Longe Cecropias nurus,
Et quos Aonius latex
Alpheusque sacer lavat.

Scribe, *Æoliam prendito virginem.* Avus enim Æolus Creonti, Sisypho pater; cujus filius Creo. Hinc Medea infra:

Non veniat unquam tam malus miseris dies,
Qui prole fœda misceat prolem inclytam;
Phœbi nepotes Sisyphi nepotibus.

Nihil vsitatius poetis. Commendat Creusam a Deo generis autore.

209. *Rara est in dominos iusta licentia.*] Scripsit Seneca,

Rara est in dominos ista licentia.

Convicia Fescenninorum intelligit. Non est dubitandum.

136. *Irata feci. sævit infelix amor.*] Deest sine dubio versiculi vnius finis cum initio alterius. Plura enim de ira sua addit Medea.

311. *Non erat vsus: non Pleiadas Hyadasque poterant*] Vulgaris lectio sola ad veritatem præit,

- nondum Pleiadas
Hyadas poterant vitare rates.

Neque iudicium magni Scaligeri non laudo: sed non aliter scribendum erat quam vt Grotio nostro videbatur,

-nondum pluvias
Hyadas poterant vitare rates.

509. IAS. *Regina gnatis exulum afflictis potens.*] Ita hæc concipienda erant, & distinctione iuvanda:

Meis Creusa liberis fratres dabit?
IAS. *Regina, gnatis exulum; afflictis, potens.*

Iam vero illustres viri, qui Medeæ hoc tribuunt, cogitare debuerant, cui ab Euripide tribuatur. Certe eadem ibi facti sui causas adfert Iason. quas contraxit Seneca, non immutavit.

Τίτδ' αὖ ἔυρημ' ἔυρον εὐτυχέστερον
Ἢ παῖδα γῆμαι βασιλέως, φυγὰς γεγώς;
Οὐχ' ἧ ζυ κνίζη, ζὸν μὲν ἐχθαίρων λέχθ,
Καινῆς ὄ νύμφης ἱμέρῳ πεπληγμένθ,
Οὐδ' εἰς ἅμιλλαν πολύτεκνον ἀγδὴν ἔχων,
Ἄλις γὰ οἱ γεγῶτες, ὐδὲ μέμφομαι.
Ἀλλ' ὡς τὸ μὲν μέγιστον οἰκῶμεν καλῶς,
Καὶ μὴ ἀπανιζόιμεθα. γινώσκων, ὅτι
Πένητα φεύγ ἅπας τις ἐκποδὼν φίλθ.
Παῖδάς τε θρέψαιμ' ἀξίως δόμων ἐμῶν,
Σπείρας τ' ἀδελφὰς ῥῖσιν ἐκ σέθεν τέκνοις,
Εἰς ταυτὸ θείην, κ συναρτήσας γένθ
Εὐδαιμονόιην. ζοί τε γὰ παίδων τί δεῖ;
Ἐμοί τε λύπ τοῖσι μέλλουσι τέκνοις
Τὰ ζῶντ' ὀνῆσαι. μῶν βεβούλευμαι κακῶς;

515. MED. *pro me vel scelus.*] Quærit Iason, quid in gratiam Medeæ fieri à se possit. Respondet illa, Omnia, imo & scelus. Sceleribus enim obstrictus erat Iason. In sequentibus ostendit, se magis quam vtrumque regem esse metuendum. Nihil magis planum. Neque est locus in Seneca, in quo magis omnium in-tersit, nihil cuiquam licere. Non sunt audiendi viri harum literarum principes, qui hic aliquid mutandum putant.

517. *-nos confligere certemus.*] Nemo eſt qui non hoc vlcus tetigerit, quod tamen omnem medicinam procul ab ſe reijcere hactenus viſum eſt. Mihi nihil ſimplicius videtur quam quod ſtatim in mentem venit. Priuſquam tamen obtineam quod volo, quædam e doctorum animis evellenda ſuperſtitio eſt, quæ non paucis locis corrumpendis anſam dedit. Negant quarta ſede vſquam anapæſtum admitti. Idque ita eſt receptum, vt qui contra ſentiat, nihil ſentiat. Ideoque omnia qnæcunque cum opinione iſta pugnare videntur, aut excuſant viri ſummi aut immutant. Thyeſte Atreus,

Alios miniſtros conſilijs iſtis lege.

Ioſephus Scaliger ὁ πάνυ ex libris ſubſtituit *conſili triſtis.* quod coactum eſſe quivis videt & a ſciolo immutatum, qui ignorabat alia quoque ratione ferri id poſſe. Sicut in illo Oedipode,

Soluenda non eſt illa, quæ leges ratas
Natura in vno vertit Oedipode, novos
Commenta partus. ſupplicijs eadem meis
Novetur.

Et Medea,

Moramque ſaltem ſupplicijs dona meis.

Vbi Iuſtus Lipſius, vir clariſſimus, qui alibi locum ibi eſſe anapæſto negat, oblitus ſui, ſubſtituit,

Moramque ſaltem ſupplicibus dona meis.

Sed ad illum Hippolyti quid reſpondebunt, qui in optimis & antiquiſſimis libris ita legitur,

Ne crede. Ditis cluſerit regnum licet,
Caniſque diras Stygius obſervet fores,
Solus negatas inveniet Theſeus vias?

Maluerunt videlicet cum ſenſus detrimento,

Solus negatas invenit Theſeus vias.

In ms. quo vſi ſumus Agamemnone,

CL. *Regina frangam.* EL. *mitius interea mihi.*

Et aliquoties alibi. quæ poſtea immutata ſunt. Iã Troadibus omnes antiqui, etiã editi, ita verſum illum exhibent:

Vide animus ingens lætus vt audierit necem.

Vel *Videt*. Hercule Oetæo,

-ſpiritus fugiens meo
Legatur ore. brachia in amplexus cape.

Atqui, ajunt, Seneca obſervantiſſimus fuit numerorum. Sane, minus tamen quam Græci. quos hoc admiſiſſe conſtat. Hephæſtio: Καλοῖ δὲ τὰς ἀρτίους, τοῦτ' ἔστι, δευτέραν, τετάρτην, ἕκτην, ἴαμβον, τετράχυν, καὶ ἀνάπαιστον. Iuba apud Priſcianum: *Erit probabilis iambicus verſus & Tragœdijs aptus, ſi ſecundum & quartum pedem non alium feceris, quam iambos, aut eum qui appellatur tribrachys, aut anapæſtum. quoniam ſunt pares. Cacometros autem, ſi aliter.* Non enim alia ratione par eſt, niſi quod pro paribus nonnunquam ponatur. non temporibus, ſed vſu. Iam pergamus. Notiſſimi ſunt iſti Atticiſmi, μάχην μάχεσθαι, πόλεμον πολεμίζειν, & ſimilia innumera apud vtriuſq; linguæ autores. Nam Latinis nihilo minus vſitati. Tale eſt, *certare certamen.* Interdũ vox altera mutatur, vis illius retinetur, & loquendi ratio manet. Vt cum dicunt, πόλεμον μάχεσθαι, *confligere certamen.* Tale eſt apud Æſchylum μαίνεσθαι νόσον Prometheo vincto:

Κλύω σ' ἐγὼ μεμηνότ' ἐμὲ μικραὶ νόσον.

Quare ſcribe:

-eſt & hic maior metus
Medea. nos confligere certamen ſine.
Sit pretium Iaſon.

179. *Nulla vis flammæ tumidique venti Tantæ,*] Chorus elegantiſſimus. Sed quem tribus & ſeptuaginta verſibus, aut duobus minus, Seneca conceperat. Reliqui ſunt ab imperito homine, vt infra oſtendemus. Porro Græci Tragici, autores habebant ſuos, e quibus dramata ſua conſtituebant. Qualis erat ὁ ἐπικὸς κύκλος. Qualia τὰ κύπρια, vt ab Ariſtotele vocantur, aut κυπριακά, vt ab alijs. Quæ nonnulli, teſte Proclo, Salaminio Hegeſiæ, alij Staſino aſſcripſere. Talis erat ὁ τὰς νόστους ποιήσας. Qui quæ ſingulis in reditu Argonautis eveniſſent, diligenter collegerat. Sophocles plurimum τῷ ἐπικῷ κύκλῳ tribuere ſolebat; ſicut Græci Critici nos docent. ideoque in multis ab Euripide & alijs abibat. Quaſdam quoque πραγματείας penitus vitarat. Quæ de nuptijs Iaſonis cum filia Creontis, tradidit Euripides, vnde conſtitutum eſt

hoc

hoc drama, multi veterum non admittebant. qui heroem illum ad extremam vſque ſenectutem cum Medea ætatem egiſſe, tandemque ejus opera repubuiſſe, volebant. Simonides & Pherecydes antiquiſſimi ſcriptores, & ὁ ἐπιμὸς κύκλος, ita hoc tradebant. Quare omnia e quibus drama ſuum Euripides conflavit, penitus tollebant. Ideoque nuſquam πραγματείαν iſtam apud Sophoclem inveniſſes. Multo minus Æſchylum, tanto antiquiorem. Ab ijs abibat ὁ τὰς νόσους ποιήσας. quem cum Apollodorus tum alij laudant; qui hoc Æſoni eveniſſe volebat. Cætera autem ſine dubio admittebat. Nam in hanc ſententiam ab antiquis citatur. Hunc ſecutus eſt Euripides. Euripidem, Ovidius, Seneca: & qui ante Euripidis drama converterant. Seneca totum hunc chorum ex autore iſto confecit. Qui tum temporis adhuc ſine dubio extabat (neque enim admodum antiqui ſunt, qui ex eo verſus adducunt.) Quid enim aliud hic docet, quam quid ſingulis evenerit, qui primum illud iter ſuſcepiſſent? Eo facilius ab alio inferi potuerunt quæ prætermiſſa videbantur. Qua de re poſtea agemus.

622. *Aulis amiſſi memor inde regis*] Lege totam Argonautarum hiſtoriam; nihil invenies tale. Alij hæc ad Troica referunt. Sed quis vnquam fando audivit, Agamemnonem in Aulide retentum fuiſſe, propter Tiphyis mortem. An eſt aliquis qui Tiphyn Aulidis fuiſſe regem vnquam prodidit memoriæ? An quicunque eſt Bœotus, eum eſt neceſſe imperare in Aulide? Præterea, nonne fato ſuo eſt extinctus Tiphys? Quodnam igitur piaculum hic fuit expiandum? An hic aliquid tale eſt, quale τὸ κυλάϊνειον ἄγος? Iam ſi illud ad Græcorum in Aulide moram, cū ad Trojam navigarent, referendum eſt, maximus anachroniſmus erit. Saltem probabilis aliqua excogitetur ratio, quare Corinthiorum cives toto ſæculo ante ſcire potuerint, futurum vt ibi aliquando hæreret Agamemnon. Quid ad Agamemnonem Tiphys? Scito ejuſdem autoris eſſe hos tres verſus cum illis qui infra leguntur. Putavit enim

quiſquis iſte fuit, neceſſe fuiſſe, vt ſingulos octonos hendecaſyllabos ſapphicos verſiculos, vnus clauderet, quos quinque conſtaret.

652. *Idmonem quanvis bene fata noſſet.*] Hactenus Seneneca. Quæ ſequuntur vſque ad finem, pædagoguli cuiuſdam ſunt. Qui hoc tamen eſt conſecutus, vt impune eruditioribus illuderet. At quos viros hæc non vidiſſe! Nam quot verba, tot mendacia, anachroniſmi, ſtribligines, ineptiæ. Primo Idmonem confundit & Mopſum, contra omnes antiquos. Deinde, ſi verum eſt, quod viri docti volunt, Mopſum facit Thebanum. Navigationem Argonautarum, non cum Troicis tantum, ſed, quod minus eſt ferendũ, cũ poſterioribus temporibus confundit Qui annorum fere ducentorum anachroniſmus eſt. Hoc parũ. Corinthiorũ cives tanquam facta hæc commemorant, & cum ipſa Iaſonis ætate non confundunt tantum, ſed præmittunt. Iam cum Seneca defunctorũ tantum hactenus meminerit, iſte quoſdam nondum natos addit. Si Caſſandræ hæc aut Deorũ alicui tribuerentur, ferri forte poſſent. Atqui quid in civibus tale? Quod cũ eruditi nonnulli viderent, ſola coniectura omnia ad finẽ vſq;, futuro tempore contra omnes libros, efferre maluerunt. Quaſi hoc tolleret difficultatem: neque prius intelligere deberet, aliquid futurum eſſe, qui futurum eſſe monet. Vt omittã, quædam ne mutari quidem poſſe. Plane hæc ſtulta & inepta ſunt. Nam prolepſis verbi vnius, aut quæ ſaltem verecunda eſt, & fertur & incredibilem orationi addit elegantiam ac venuſtatem. Qualia apud Græcos ὅση κόνις. Phædra in Hippolyto Euripidis ὄρπακα Θεσσαλικὸν petit; ſicut apud Senecam, Theſſalicum haſtile. cum in vſu neutrum tum eſſet. Apud Græcum iſtum πῶλος Ἐνέτας eadem commendat. qui deinde, aliquot poſt ſæculis, a Leone quodam, in certamine ſacro primum adhibiti fuerunt. In eodem Hippolyto Theſeus ad Pythagoram alludit, qui circa Olympiadem ſexageſimam & quintam floruiſſe putatur: cum tam multis ſæculis primam anteceſſerit Theſeus. Nam doctrinã περὶ ἀπόσχης τῶν ἐμψύχων, ibi tangit, & illius obſervantem Hippolytum facit. Sed

&

& Sophocles a ſimili anachroniſmo Trachinias inchoa-vit. Solonem enim reſpicit. Quæ venuſta ſunt & venuſtatis cauſa a poetis ponuntur. In Seneca autem & venuſtiora ſunt & plura. Totus ille chorus, qui eſt ſane divinus, in Thyeſte, cuius eſt initium, *Tandem regia nobilia*, multa habet talia. In eo Quiritium fit mentio. Sicut Dacorum ibi & alibi, ac Parthorum, qui Romanos ſub Cæſaribus præcipue infeſtarunt. Quorum & ſtragemata in fuga, toties commemorantur. In Thebaide extra chorum, quo Tragœdia iſta caret, aquilas, militiæ Romanæ inſigne habes. In Troadibus ritum iſtum,

Et nudum tetigit ſubdita fax latus.

Nuſquam tamen plura, quam in ipſa Medea. Ecce in primo choro Feſcennina licentia, & convicia in nuptijs permiſſa. Medea lege Romana, de divortijs cum Iaſone agit. In Oetæo eſt ferculum pompæ. Hoc ἀναγὸν τὸς χρόνους Græci in Tragœdijs dixerunt, & μεταγὸν τὸ ἔθη. Neq; quiſquã eſt qui neſcit, non hæc excidiſſe ignaris, ſed ad voluptatem a prudentibus quæſita eſſe. Oilei vero caſum & Nauplij hic referre, cujus eſt poetæ? Iam, vt cætera omittam, quam perfrictæ frontis fuiſſe putamus, qui vel mediocriter doctis verſus iſtos obtrudere auderet,

Vſtus accenſo Pelias aheno
Arſit anguſtas vagus inter vndas?

Quis enim vnquam, qui Latine ſciret, lebetem vel ahenum, igni impoſitum, accendi dixit? Hæc Orbilij ferulam merentur. Quis vero ardere dicet, quod elixatur? *Vagus* vero & *anguſtus*, quomodo cohærent? An qui in anguſtias redigitur, tum demum incipit vagari? Neſcio vtrum magis me miſereat illius qui hæc ſcripſit, an eorum qui hactenus Senecæ attribuerunt. Hic vero chorum ſuum ita concluſerat:

-meruere cuncti.
Morte quod crimen tener expiavit
Herculi magno puer irrepertus?
Raptus eſt tutas puer inter vndas.
Ite nunc fortes, paragrate pontum
Sorte timenda.

Divina ſane verba. Poſtremus enim eſt Hylas cuius meminit. quem oſtendit nullo ſuo merito & extra periculum, in aqua tamen perijſſe. An non ſatis ex his patet, nihil in choro amplius deſiderari? An non manifeſta eſt concluſio? At iſte fungus, Argonautarum catalogum ſecutus, non quæ ſequebantur ordine, ſed quæ ipſe prætermiſſa eſſe iudicabat, verbis ſuis addidit. Itaque hunc purpuræ iſti pannum tam elegantem intexuit.

653. *-ſerpens Libycis arenis*] Iam ante oſtendimus, Mopſi & Idmonis hiſtoriam per manifeſtam ignorantiam aut memoriæ defectum, confundi. Non enim Idmon in Libya cecidit; neque a ſerpente eſt interfectus, ſed ab apro. Alterius fatum in itu, alterius in reditu evenit. Hoc quarto, illud ſecundo luculentis verſibus Apollonius deſcripſit. Scimus etiam antiquiſſimos autores, qui hæc diligenter perſecuti erant, nihil hic variaſſe. Qualis Herodorus & Nymphis. Quorum vterque Heracleida, alter vero & Argonautica ſcripſerat. Critici autem iam ante annos centum hunc locum vexarunt. Etiam hac ætate extitit, qui τὸ *ſerpens* eſſe participium vellet non nomen, vt cum Mopſo iungeretur. Hæc eſt infelicitas iudiciorum. Nos vero quid de toto loco ſit ſtatuendum, ſemel diximus.

656. *- caruitque Thebis Ille ſi vere cecinit futura*] Satis conſtat veram lectionem eſſe, *Ille qui vere*. Sed hic iterum iudicium & ſcientiam eruditiorum compello, vt nos ſaltem doceant, quis ille fuerit qui Thebis caruit. Nã de Mopſo quod hæc intelligunt, quis veterũ dixit, Mopſum Bœotum fuiſſe? Sane nec Apollonio nec Orpheo hoc vnquam in mentem venit: neq; alijs, qui Theſſalum faciunt. Quid ergo illi cum Thebis? Certiſſimum eſt, Amphiaraum intelligi, qui vere futura de ſe ipſe cecinit: & quod eventurum dixerat, Thebis, quas petebat, caruit. Sed an quiſquam vnquam Amphiaraum in Catalogo Argonautarum poſuit? Hæc ſuperant omnẽ ſtuporẽ & ἀναισθησίαν. Meminit duorum vatum, Idmonis & Mopſi, qui inter Argonautas fuerunt. Addit hac occaſione tertium vatẽ, Amphiaraum. Cur non & Tireſiam, & Helenum, & Calchantẽ,

&

& Telemum adiunxit, qui nihilo minus vates fuerunt? Sed, vt dixi, oblitus fuit, hunc inter Argonautas nunquã recenſitũ fuiſſe, ſicut duos ſuperiores, quos non minore memoriæ lapſu inter ſe confundebat. Satin' conſtat, tam rarum, tam excellentem fœtum, nullius niſi vnius Senecæ eſſe poſſe?

660. *Crimini pœnas patrio pependit Fulmine & ponto moriens Oileus.*] Scribe, *Oilei.* Neque placet, quod magno Scaligero, ingenioſe (vt omnia illius viri) videbatur; cum parentis mentio præcedat. quem hoc loco ſaltem confundere cum filio non debuit. *Aiax Oilei*, vt, *Deiphobe Glauci.* ὁ τοῦ Οἰλέως. Vt Maro & alij. Quod jam ante etiam antiqui Grammatici notarunt. Verum neſcio an hæc ſint tanti. Nemo enim ignorat, quare Aiax Locrus pœnas dederit. Vide impudentiam & iudicium hominis. Ne pædagoguli quidem, qui aliquot verſiculos e prima Æneide meminiſſent, hoc dicerent, Aiacem Oilei ideo fulmine extinctum fuiſſe, quia eius pater navigavit. Adeo non minus refert quomodo, quam quid dicatur.

686. *Heic ſera ſerpens*] In libris manu exaratis ſcriptum fuit, *fera.* Scribe, *feta.* hoc eſt, *fœta.*

822. *- & docuit Condere vires Arte Prometheus*] Imo, *virus.*

975. *Tuum quoque ipſe corpus hinc mecum avehe.*] Scribe, *aveham.* Nam de altero jam filiorum agit, qui crudelitate materna fatum ſuum expleuerat. Opus autem erat machina, qua ſuſtollebatur Medea. Eſt ergo parepigraphe. Nam dum iſta dicit, fertur in altum. Ita vt tum ſuperſtitem tum extinctum vna attollat. Talis erat Comicorum crade. Aliud vero encyclema: in quo apud Ariſtophanẽ in Acharnenſibus iambos ſuos ſcribit Euripides. Vnde feſtiviſſime eſt dictum, cum deſcendere non poſſet,

Ἀλλ' ἐκκυκλήσομαι, καταβαίνειν δ' ὐ σχολή.

Vidi poſtea in manu exarato codice ſic legi. Idq; e Gruteri noſtri obſervatione. Cui viro nulla poſteritas vnquã, dignum incomparabili labore illo præmium perſolvet.

987. *- perage dum faciunt manu.*] Scribe, *perage dum facinus manu.* Donatus: *Dum* παρέλκον *eſt: & iuvat ex animo loquentem.*

1015. Mo-

1015. Moramque saltem supplicijs dona meis.] Quantum est eruditorum, mirum in modum sese hic torsit. Sed ante omnes δύω κοσμήτορε λαῶν, Scaliger & Lipsius; rei literariæ iuvandæ vere nati. Quorum conatus hic vide. Sane nunquam ista Senecæ in mentem venerunt. Quid ergo? Vterque versus ab Iasone pronunciatur. Sed, quod fefellit eos, *donare moram*, dictum est, *vt donare iram*, aut, *donare offensas*. Donat offensas suas, qui offensus amplius non est. Iason, cum videret, vitam filij obtineri a Medea non posse, *Perage*, inquit, *cœptum* facinus: non iam intercedo amplius. Vnum peto. moram vt remittas. neque diu me crudelitate ista torqueas. Vult enim statim tam tristi spectaculo defungi. Illa respondet,

Perfruere lento scelere. ne propera dolor.
Meus dies est: tempore accepto vtimur.

Ne Apollinis quidem verior est dictio. Et præclare de hac re nos monuit omni commendatone major Hugo Grotius. cuius amicitia plus quam fraterna gloriari soleo.

1027. Testare nullos esse qua veheris deos.] Habebat illud Cynici in animo, de quo Tullius, lib. De Nat. Deor. tertio: *Diogenes quidem Cynicus dicere solebat, Harpalum, qui temporibus illis prædo felix habebatur, contra Deos testimonium dicere, quod in illa fortuna tam diu viveret.*

AD AGAMEMNONEM.

Oeconomia Tragœdiæ ex parte ab Æschyli cognomine. Locum enim quem tantopere ibi veteres commendant, de Cassandræ furore, expressit. Ibi Agamemnon in scena mactatur. Hic res partim a Cassandra, partim ab Electra exponitur, sine alia ἀπαγγελίᾳ aut persona Nuncij. Electram quam ignorat ille, e Sophoclis instruxit. Vnde illi mores dedit. Est autem frugis bonæ hæc Tragœdia. Quod vel imitatio evincit. Multa enim ex Virgilio non male transtulit, quædam quoque ex alijs. More antiquorum, qui malebant

loqui

loqui cum alijs, quam in acumina nequicquam evaneſcere. Talia ſunt illa,

Tu bella manu pacemque geris.

Et,

Quiſquis ad Troiam iacet, Felix vocatur.

Tum quod ſequitur,

cadere qui meruit manu.

Et,

Troica pubes Sacros gaudet tangere funes.

Et,

Hanc fida famuli turba, dum excutiat Deum.

Quæ omnia vnde prompta ſint, quivis videt. Eſt & vbi Æſchylum tentat, & Ovidium. Narratio Nuncij, multa acute, pauca ambitioſe, nec pauca eleganter.

635. *male ſubdolo Parens Pyrrhus Vlyſſi.*] Hæc e parva Iliade deſumpta ſunt: quam Ariſtophanis interpretes in Equitibus, modo hoc nomine, modo τὸν κύκλον vocant. Vnde omnes ſuas πραγματείας Troianas deſcribebant Tragici. Eius autor, idem ἦθος Pyrrho tribuerat in durateo equo, quod Sophocles in Lemno: vt eſſet μισαπόλις, & nihil minus quam idoneus ad fraudem. Itaque, ingreſſurus equum, fremuit, aut in eo cohibere ſe non potuit, διὰ τὴν ἐπίκληρον καὶ πατροπαράδοτον τοῦ τρόπου εὐγένειαν καὶ φιλαλήθειαν.

731. *Inter potentes arbiter paſtor Deas*] Quid ſi, *Inter patentes*? Pueri ſciunt, Paridem nudam Dearum formam arbitratum eſſe. Sane eleganter ac pro Seneca. Et hoc verum eſt.

736. *Lacæna cultu ferrum Amazonio gerens*] Scribe, *vultu.* Vultus Amazonius, torvus & horridus. Qualis tum illa Hippolyto:

Et genitor in te totus, & torvæ tamen
Pars aliqua matris miſcet ex æquo decus.

Torva mater, Antiope Amazon.

862. *-te duce ſuccidit Mendax Dardaniæ domus,*] Scribe,

Te duce dux cadit
Mendax Dardaniæ domus.

Laomedontem intelligit. qui periurij ſui pœnas ſagit-

tis

tis Herculeis dedit. Nemo est qui ambigere possit. Mox cum sequitur,

Et sensit arcus iterum timendos;

Quæro, quis senserit. Certe non Laomedon: qui semel tantum, & in prima Troiæ expugnatione. Multò minus Priamus, cui tum Hercules pepercerat. Seneca infra;

Bis pulsata Dardana Graio
Mœnia ferro, bisque pharetras
Passa Herculeas.

Quare non dubito transponere vnum versum; ut hoc modo totus locus scribatur:

– te duce dux cadit
Mendax Dardaniæ domus:
Te duce concidit totidem diebus
Troia, quot annis;
Et sensit arcus iterum timendos.

Bis sagittis, inquit, tuis Troia expugnata est: semel cum Laomedon cecidit; nunc cum ipsa. Philoctetem enim respicit. Ita vtranque expugnationem Herculi tribuit. Et sane, si postrema hæc excipias, vix quicquam in toto hoc choro est, quod non alii Tragœdiæ aptare queas; & sic quoque in Oetæo Hercule aut Furente locum dare.

887. *Mortifera vinctum* &c.] Distingue hoc modo,

Mortifera vinctum perfide tradet neci
Induta vestis. exitum manibus negat,
Caputque laxi & invij claudunt sinus.

956. - EL. *gnatam tuam.*] Tolle interrogationis notam. sicut recte editum est a nobis. Porro gestu hoc est adiuvandum. vt efficiat oblique, id quod Clytæmnestra optime intelligebat. Si, inquit Electra, verum est quod tu in me accusas, impudice me ætatem agere; ecce me gnatam tuam. Quasi diceret: Ponamus verum esse. maternum hoc habeo. Quod apud Sophoclem eadem in cognomine fabula:

Εἰ γὰρ πέφυκα τῶνδε τῶν τρόπων ἴδε,
Σχεδόν γε τὴν σὴν ἀ καλλισχύνω φύσιν

Etiam quod sequitur ita scribe, *pietatem doces.* Non vt ante.

963. *Vt*

963. *Vt vidua loquere.*] Hæc & alibi & in noſtromanu deſcripto libro aliter legebantur. Nimirum poſt illa quæ ſequuntur. Hoc modo:

CLY. *Indomita poſt hæc virginis verba impia*
Regina frangam. EL. *Mitius interea mihi*
Tu vidua loquere. vir caret vita tuus.
CLY. *Ediſſere.*

Quod non auſim temere reijcere. Nec repugnat verſus. De quo ſupra.

AD HERCVLEM OETÆVM.

Tragœdia, quam ex Sophoclis Trachinijs adumbravit autor. Chorus primus eſt Oechalidum captivarum: reliqui Trachiniarũ. Scena Sophoclis eſt Trachine. Hercules enim ex Eubœa advehitur. Hic, primo ſcena in Eubœa ſtatuitur. Vnde Hercules ad Cenæum promontorium pergit. Hæc enim dicit προλογίζων,

-vos pecus rapite ocyus,
Qua templa tollens ara Cenæi Iovis
Auſtro timendum ſpectat Euboicum mare.

Sed & ſequens chorus eſt ibidem. Ibi enim iſta habes:

Stamus nunc patriæ mœnibus. heic locus
Et ſylvis dabitur.

Item paulo poſt:

Ad Trachina vocor, ſaxa rigentia,
Et dumeta iugis horrida torridis,
Vix gratum pecori montivago nemus.

Reliqua Trachine fiunt: niſi quæ δι' ἀγγελίας narrantur. Ἀναιχορομησία ſumma eſt. Hyllus ex Eubœa venit in Theſſaliam, Trachina vſque; & quæ Herculi ſacrificanti in Cenæo promontorio evenerint, refert. Cum in ipſo conſtitutionis principio, nondũ ſacrificaret, ac ne in loco quidem eſſet Hercules. Cogita iam, quantum ſit iter ex Eubœa Trachina vſq;, quæ ſub Oeta eſt. Sed præclare nos ludit. Nã cũ Herculẽ in Eubœa primo poſuerit, tamẽ in Oeta comburit, & tribus tantũ verſibus advectũ

fuiſ-

fuiſſe indicat. Quod quidem iter ſemel vt conficiatur, triplo majore opus eſt tempore, quam Tragœdiæ eſt ambitus. Ideoque multum refert, qualem tibi fabulam ſumas. Quædam enim ipſe Sophocles evadere non potuit. Quippe aliud eſt vitium τῆς ὕλης quod eſt in ſubiecto: aliud peccatum poetæ, quod in conſtitutione eſt. Apud Græcũ, ſemel in dolore Herculi tribuitur ῥῆσις prolixa: cujus divinitas omnem poeticum conatum excedit. Idque non niſi in fine. Hic Iovis ille filius, membra dum dilaniat ſua, trecentos & amplius verſus declamat. Et in occupatione tam moleſta, multa dicit quæ vix ocioſus declamator in ſchola effunderet. Græci oratio, tota eſt frugalis, ſobria, caſta; & quæ ne leviſſimam quidem περιεργίας ſuſpicionem admittit. Hic non modo plurima redundant, ſed & ſæpe repetuntur. Senſus præſertim vſque ad nauſeam. Deianiræ à Græco mores tribuuntur matronales. Hic perpetuo furit. Itaquè cum ſæpe mortem marito eſſet minata, poſt tot minas, amoris remedium mittit. Poſtea nuncio accepto, plane diſſimilis eſt ſui: graviora enim optaverat. Et tamen mortem ſibi infert. Ergo nota τὸ ἀνώμαλον τῆ ἤθους. quod Euripides quoque in Iphigenia in Aulide manifeſte commiſit. Sicut ſupremus doctor Ariſtoteles vere obſervat. Cæterum hoc non eſt ferendum, quod tale ἦθος tribuit Deianiræ, quo τὸ πάθος vniverſi dramatos evertitur. Nam dum furit, inter alia hæc illi excidunt,

Maximum fieri ſcelus
Et ipſa fateor: ſed dolor fieri iubet.

Ac deinde fatetur, ſe de morte mariti cogitare:

-quid ſtupes ſegnis furor?
Scelus occupandum eſt. perge dum fervet manus.
NVT. *Perimes maritum?*
DE. *Pellicis certe meæ.*

Deinde fatetur, veſtem quam mittit, malum eſſe.

Altrix, fatebor: Neſſus eſt autor mali.

Quanto apud Græcum divinius. Primo enim negat ſe iraſci viro poſſe, ſed dolere iniuriam ab ipſo ſibi factam, quod in ædes, quaſi donum aliquod, pellicem ſibi miſerit.

miſerit, ſecundoiterum teſtatur, deteſtari ſe non tantum omne ſcelus ſed & ſceleſtos:

Κακὰς δὲ τόλμας μήτ' ἐπισαίμην ἐγὼ,
Μήτ' ἐκμάθοιμι, τάστε τολμώσας σὺγ' ὦ.

Tertio, poſtquam miſit, pauet, trepidat, pallet, ne quid ſe indignũ fecerit. Digna igitur commiſeratione, & cum luget & cum moritur. Alter vero dat operam, vt commiſeratione Deinaira fruſtraretur, ipſe in Tragœdia excideret. Nam aut omnia falſa ſunt, quæ ſub initiũ dicuntur Ethicorũ tertij, aut nemo dignus eſt commiſeratione qui & ſponte & libenter improbe agit. Cum hanc nullæ actiones moveant, præter improbas, quæ proprio cum damno fiant. καὶ γὰρ τὰς μὲν ἑκουσίως γινομένας ἀγαθὰς ἐπαινοῦμεν, τὰς δ' ἑκουσίως πονηρὰς ψέγομεν. τὰς δ' ἀκουσίως πονηρὰς οὐ ψέγομεν, ἀλλὰ συγγνώμης ἀξιοῦμεν, τὰς δ' ἀκουσίως πονηρὰς καὶ ἐπὶ βλάβῃ τῶν πολιτῶν γινομένας, ἐλέου ἀξίας ἡγούμεθα, ait præclarus ibi autor. Iam ex machina diſſolvit drama, in qua nulla eſt ἀμηχανία. Nihil enim opus erat matris cauſa apparere Herculem, cum per ſe ſoluta eſſet actio. Et hanc partem non deſumpſit e Trachiniis, in qua ante mortem Hercules quæcunque agenda ſunt abſolvit, ſed e Philoctete eiuſdem. In qua plane ad machinam eundum erat, cum non poſſet ope humana flecti Philoctetes. Ideo apparet ille, & hunc nodum ſecat. Alcmenæ perſonam optime omiſit Græcus. Nam quæ verba digna inveniri poterant? Hic ubique ſublimitatem quæſivit. Et vix drama invenias, quod æque aſſurgeret, niſi tumeret. Paſsim tamen multa occurrunt, quæ ſublimitatis φαντασίαν habent. Neque raro ſententiæ, nihil minus quam humiles, affectatione acuminis exareſcunt. Sermo arguit, longe poſt reliquas ſcriptam, quæ in corpore iſto extant. Multa ἰδιωτικὰ, indigna Seneca utroque, & nihil minus quam Latina, occurrunt. ſicut infra prolixe probamus. Fruſtra inſcriptionem tantopere commendat Cæſar Scaliger. Melius enim *Hercules in Oeta* dixiſſet. Sicut *Oedipus in Colono*. Non enim ego, cladem Craſſi ſi tractem, & hinc drama conficiam, *Craſſum Parthum* inſcribam, ſed *in Parthis*. Et, *Pompeium in Ægypto*. cuius conſtitutio eſſe poſſet, qualis Æſchyli Perſæ. Ita *Iphigenia in Aulide*, *in*

Tauris. Philoctetes in Lemno, in Troia. Ita *Septem ad Thebas*, non *Thebani ſeptem.* cum, excepto Polynice, nemo è ducibus Thebanus eſſet. Male ergo vulgus, *Septem Thebana.* Cicero quoque παχυλῶς, *Oedipum Coloneum* dixit. Herculem Oetæum Euripidis qui adducat, non meminimus. quod vult vir magnus. Neque ſic inſcripſiſſe putamus. Multæ enim ſunt ab ineptis. Et hoc ſæpe antiqui monuerunt.

Verſu 40. *Me ſenſit Vrſæ frigidum Scythicæ genus.*] Fruſtra eſt eruditiſſimus Lipſius, cum emendat,

Me ſenſis Vrſæ frigidum Scythes genus.

Nec enim moduli rationem habuit. Debebat enim cogitare, Tragicos iſtos eam ſedem iambo non dare, niſi in corruptis locis. Quod vir ille nuſquam obſervat. Sic paulo ante cum inveniſſet, *nam quis invadet mala?* optime, & ad mentem autoris; (invadere enim mala, eſt, vltro ſe ijs offerre) reponit, *nam quis invidet mala?* Et alias ſæpe. Quare ſcribe,

Me ſenſit Vrſæ frigidum Scythicæ gelu.

Aut, quod Scaliger malebat,

Me ſenſit vrſæ frigidum Schyticæ genus.

Vt intelligatur ἀπὸ κοινοῦ τὸ *ſubditum.* Sane enim mirifice amat poſtremã iſtam vocem. Et, ut Critici antiqui loquuntur εὐεπίφορος ἐς ταύτλῳ τλῳ λέξιν ἐστίν. Etiam ubi locum non habet. Quod autem τλῳ ἄμαξαν vocat *Schyticam*, more veterum erudite fecit, qui τὰ πρὸς βόρρᾶν πάντα Σκύθας ἐκάλουν, teſte Strabone. Recte igitur Septentriones, *Vrſa Scythica.* Et Ovidius ne vocem Schytiæ ſæpius repeteret, terram Vrſæ proximam vocavit.

Proxima ſyderibus tellus Erymanthidos vrſæ
Me tenet: aſtricto terra peruſta gelu.

123. *Stamus nec patriæ mœnibus, heu locus,* &c.] Luſerunt operam eruditi in hoc loco, quem fruſtra divexarunt. Seneca ſcripſerat,

Stamus nunc patriæ mœnibus. heic locus
Et ſilvis dabitur, lapſaque ſordidæ
Fient templa caſæ.

Nunc, inquit Oechalidũ chorus, ſtamus in patriæ mœnibus.

bus. Vbi mox filvæ erunt, & pro templis mapalia ac caſæ.

181. *Pariter cuncta De flere iuvat. nec plura dedit Pectora tellus,*] Ita hæc fuerant edenda:

-pariter cuncta
Deflere iuvat ******
****
Nec plura dedit pectora.

Deſunt enim verſiculus cum medio. Hoc modo:

-pariter cuncta
Deflere iuvat. cur non oculos
Plures nobis Natura dedit,
Nec plura dedit pectora? tellus
Vt digna ſonet verbera planctu.

Nihil enim refert, ſi poſtremus infra redundet. Mirum eſt, ne defectum quidem ſuboluiſſe eruditis.

228. *Patiens quiſquis novit famulum Regemque pati,*] Inepte. Scribe,

Sapiens, quiſquis novit famulum
Regemque pati.

380. *Vt alta ſylvas forma vernantes alit.*] Quid eſt *alta forma?* Præterea, vide ἀνταπόδοσιν. Omnia confuſa ſunt, & ἀνακόλουθα. Scribe,

Vt alia ſylvas forma vernantes alit,
Quas nemore nudo primus inveſtit tepor,
At cum ſolutos expulit Boreas notos, &c.

Sicut, inquit, alia ſylvæ forma eſt vere novo; alia, cum bruma ſævit, & in arborum folijs tyrannidem exercet:

Sic noſtra longum forma percurrens iter
Deperdit aliquid ſemper.

390. *Ætas citato* &c.] Scribe, vt cum ſuperioribus cohæreat;

Ætaſque tacito ſenior eripuit gradu.

Sed inepte redundat locus, & pueriliter luxuriat. Neque quicquam ad orationem divini viri in Trachinijs. Quam conferant ſtudioſi. Vt intelligant, quid præſtet iſtis declamationibus ſobrius & caſtus character.

392. *Ceſſere vultus penitus*] Familiare mendum eſt quod obrepſit. Scripſerat enim,

Ceſſere cultus penitus.

Nam hoc vult, Deeſſe quidem cultum Iolæ, vt captivæ; formam tamen etiam ſine iſto eminere.

399. *-quo nimis quiſquis Deos Orabat vllos.*] Conſumpſerunt omnem divinationem ſuam & acumen in iſto loco Critici. Neq; temere invenias, qui magis ſummos etiam exercuit homines. Nobis ſimpliciter legendum videbatur, *quo minus, quiſquis Deos Orabat vllos.* Omnes, inquit, fœminæ, voto invido coniugium optabant noſtrum. Et quilibet, qui maxima etiam a Dijs peteret, minus tamen petebat. Improbum enim videbatur, vel optare hoc audere aut a Dijs poſtulare. *Τὸ optabat* ſemel *ἐκ κοινοῦ* intelligendum eſt. Lege &, *invido voto*, ſupra.

405. *-thoro caruiſſe*] In noſtro libro diſerte erat, *thoros meruiſſe regnantis leve eſt.* Forte non male, niſi quod melius exigua mutatione poteſt fieri, ſi *tenuiſſe* legamus. Nihil ſimplicius. longe pluris eſt nuptam eſſe Herculi, quam regi.

415. *Et quiſquis alius orbe conſepto iacet.*] Hoc non eſt nauci. Repone fidenter,

Et quiſquis alius orbe conſumpto iacet.

446. *Cur ſæva modice ſtatuis*] Non eſt temere reijciendum, id quod in codice Lipſiano erat, *Cur ſæva modicis ſtatuis?* Nam quod ipſe reponit, *ſæva immodice*, ſyllabæ non admittunt. quas non conſulebat vir eruditiſſimus, & de tota Romana antiquitate non mediocriter meritus.

448. *-id nimium puta.*] Imo *minimum*, vt in libro. Minimum præ hoc.

481. *interim ſcelus eſt fides.*] Apparet, id quod ſæpe jam monuimus, poſterioris ævi eſſe hunc fœtum. Certe a temporibus Domitiani vſque ad Severi, & fortaſſe infra, ſæpe legas *interim* pro *nonnunquam.* Vir ſine exemplo magnus Ioſephus Scaliger, non bene divinam memoriam ſuam advocavit, cum, *interim*, hic vult eſſe, *hactenus.* In Quintiliano nihil eſt crebrius: etiam Tacito. Apud iſtum vero præcipue. Talia ſunt, *interim ſcit accuſator, interim neſcit.* Item, *Et quia interim accuſatur.* Minutius Felix, quem ad tempora Severi eruditi referunt: *Diana interim eſt alte*

ſucci-

ſuccincta: & Epheſia multis mammis. Quid quod *interim* ac *interdum* conjungunt? Idem: *Zeno eiuſdem magiſter, naturalem legem, atque divinam, & æthera interim, interdumque rationem vult omnium eſſe principium.* Infra:

-interim pœna eſt mori,
Sed ſæpe donum in pluribus veniæ fuit.

Hoc non eſt nouum.

717. *Thalamiſque demens intuli greſſem meis*] *Tò demens* hic incongruum eſſe cenſet Lipſius, & bene. in ſuo autē codice fuiſſe docet, *ingerens.* quod eſt *mœrens*, ſuadente literarum ductu.

Thalamiſque mœrens intuli greſſum meis.

Atque ita recte editum.

721. *Hic ipſe fraudes eſſe præmonuit Deus*] Nihil mutandum. Hoc vult. Neſſus hoc ipſo me monere debuerat, fraudem latere; cum moneret, vt intactum a ſole, &, quemadmodum Græcus loquitur, ἀλαμπὲς ἡλίῳ, venenum ſervarem. Idem Neſſum, θεὸν Χείρωνα dixit. Quem locum noſter reſpiciebat.

Τὸν γὰρ βαλόντ' ἄτρακτον οἶδα, καὶ θεὸν
Χείρωνα πημήναντα.

Niſi ſimpliciter accipias. vt ſit ὁ θεός.

722. *Et forte*] Scribe, *Vt forte.* Quamvis, vt quod res eſt dicam, puto verſus aliquot deeſſe. Quod & ſenſus ipſe, & ſumma quæ hic negligentia eſt, evincit. Vnde enim colligit venenum eſſe? At in vno iſto loco maximum cataſtrophæ momentum eſt. Omnia cum dixit, nihil dixit. Summa quippe omnium huc redit, ſanguinem a ſole liquefactum fuiſſe. Et hinc colligit, venenum ſe miſiſſe. Atque hinc terror ille, quem infelix concepiſſe animo ſe prædicat. Sed quod hic indicium δηλητήριόν eſt? idem enim ceræ eveniſſet, idē ſebo. Quam vero longe hæc aliter Tragœdiæ princeps. Primo, ait, lanam qua peruncta veſtisa ſe fuerat, corroſam ac conſumtam plane a ſanguine fuiſſe: deinde, guttas ſole liquefactas, in terram collapſas, ſpumaſſe ac efferbuiſſe: poſtremo, tela Herculis, quibus interfectus fuerat Centaurus, δηλητηρίῳ tincta, atque idcirco omnia animalia, percuſſa

istis illico expirare. Hoc igitur veneno dubitari non posse quin infectus fuerit Centauri sanguis, qui ijsdem fuerat percusus. Ergo tremit, ergo pavet, ergo magis atque magis metuit quod fecerat. Versus etiam qui paulo post sequitur, videtur suadere allquid deesse, *Sic languet omne virus, & perdit comam.* Nam per *comam*, videtur intelligere quod græcus πόκον ὀιὸς, μαλλὸν, ὅστε λάχνη, & κάταγμα vocat, cuius præcipuæ hic partes. quamuis, plane ἄκυρως & improprie. Ergo aliquid de lana præcessit.

725. *Medios in ignes, solis & claram facem.*] Totum versum vertit ex Græco, ἐς μέσην φλόγα Ἀκτῖν' ἐς ἡλιῶτιν Sed miserrimo successu. Aliud est nempe fax, aliud radius. Solis fax in cælo manet, radij in terra quoque sparguntur. Neque dixit πῦρ ἡλίου, sed φλόγα.

732. *-& laxus tumor*] In libro erat, *lassus*. Recte.

-& lassus tumor
In littore ipso spumat.

897. *scelere te miseram arguis.*] Nondum divinare potui, quare tam religiose libri sui scripturam audiendam hic putarit Iustus Lipsius. Ne hoc quidem scire possum, quid indignum auribus Latinis sit in isto loco. Nam quare minus dixisset, *scelere arguere*, quam optimi autores? Etiam ipse Tullius. Et Martialis,

Arguimur lentæ crimine pigritiæ.

At ille vir doctissimus, cum numerosum, Latinum, tragicum versum inveniisset, syllaba invita reposuit,

Si te ipsa damnas, sceleris te miseram arguis.

947. *Vacet vna Danias*] Scribe, *Vacat vna Danais.* Res ipsa probat. Omnes Danaides crudelitatis suæ pœnas apud inferos dant, vna excepta. Vna ergo vacat sedes. Hypermnestræ nimirum: quæ in patrem suum splendide mendax, sicut Flaccus loquitur, in maritũ pia fuit. Istum ergo locum qui vacat, occupare Deianira postulat; ipsa quoque criminis eiusdem rea.

1280. *Nec Parrasio lentior axe,*] Scribe, *nec Parrasio lenior axe.* Præcessit,

Quondam Getico durior Hæmo.

1372. *Invade mors: non trepida.*] Scribe,

Invade

Invade mors: non trepido: iam possum mori.

1458. *Caci dolores*] Non erat periculum, ne salva ista lectione sese extricaret criticum acumen. Nam quis Oedipus hæc capiat? Scribe totum locum hoc modo.

Sua perempta dextera mater iacet,
Læsi dolore. HER. *manibus irati Herculis*
Occidere meruit.

Mater (inquit Hyllus: ab eo enim hæc dicuntur) dolore fati tui, cuius ipsa extititit causa, mortem sibi intulit. Paulo post,

-occidit dextra sua,
Tuo dolore,

Item, *Plus misera læso doluit.*

Reliqua ab Hercule dicuntur.

1768. *Sed quando solus? ignis impositus tuas Compescet vmbras?*] Locus pessime interpolatus. quem ita distingue:

-quando ab inferna Styge
Remeabis iterum? Non vti spolium trahas
Rursusque Theseus debeat lucem tibi.
Sed quando solus? ignis impositus tuas
Compescet vmbras, teque Tartareus canis
Inhibere poterit, quando Tænareas fores
Pulsabis.

1811. *Meritisque terram nobilem quæram tuis*] Quas, inquit, gentes petam? an Cleonas? an Arcadas? an vero terram meritis nobilem tuis. Doceant nos Critici, quæ sit terra quam cogitet, & tamen non exprimit. Eratne vlla terra, quæ non Herculis meritis esset nobilissima? Invenerant in libris manu descriptis, *Meritisque ternam*, vnde *terram* fecerunt. At scribendum erat, *Lernam*. Vbi serpentem morte fœcundum, vt poëtæ loquuntur, interfecit. Et hoc sequitur. Lege ergo,

Petam Cleonas? Arcadum populos petam?
Meritisque Lernam nobilem quondam tuis?
Hic dira serpens cecidit.

Hoc probare velle pluribus, est, λύχνον ἐν μεσημβρίᾳ.

1883. *Nondum Phœbo nascente genus*] Scripserat, *Nondum Phœbe.* Τὰς προσελήνους enim Arcadas intelligit. Cujus no-

minis veram cauſam atque originem in Tegeatum Rep. Ariſtoteles reddebat. qui Græcularum nugarum ſeverus caſtigator fuit. Sed de hoc verſu infra.

Hæc ad Herculem in Oeta. quem qui Senecæ aſſcribunt, iudicij ſui integritatem non tuentur. Inter quos nolim eſſe ſummos hujus ævi viros. Sane vel ſermo hoc docere eos poterat: qui, vt ſupra dicebamus, nihil ad tam bonum ævum: & quod plus eſt, ne Latinus quidem ſemper. Quod quanvis vel ex illis, vel per ſe quilibet videre poterat, quædam tamen hic colligemus. Vt eorum ſtudia acuamus qui antiquitatem amant, & iudicium excitemus; quæ eſt anima harum literarum.

Tale eſt, *vretur dolor*, pro *ardebit*, vel *accendetur*.

-forſitan pœnas petet
Irata Iuno. totus vretur dolor.

Sane ignis vrit, ligna vruntur. Eodem modo κατὰ τὸ ἀνάλογον, dolor vrit, vritur qui dolet. *Vritur infelix Dido*, non amor Didonis,

Ne *ictum* quidem dixerim pro planctu. quanquam hoc ſpecies, illud genus. Alterum eſt πληγὴ, alterum κοπετός Pro quo Æſchylus κυπτὸν dixit.

Audiat ictus vtraque Tethys.

Multo minus pro emiſſione iaculi vel teli.

Parthus Gnoſſiacis certior ictibus.

Nullus quippe phyſicus dixerit, idem eſſe in fulmine iactum & ictum. Alias oporteret, quoties fulmen emittitur, aliquid lædi aut corrumpi. Neque quiſquam iactu fulminis tollitur, ſed ictu. Sicut βολὴ & πληγὴ:

Tale eſt *ambobus* pro *vtrobique*.

-corpus in pontum cadit,
In ſaxa cervix. funus ambobus iacet.

Tale eſt, *pondus laſſus*, pro *de pondere*, vel *pondere defatigatus*. quod eſt plus quam σολοικίζειν. Qui enim menſes aliquot Helleniſmo operam dedit, vel etiam in Latinis vſum habet, novit iſta, *laſſus cervicem*, *humeros*, *collum*, quæ tam crebro occurrunt, dici de toto, cuius ſunt partes. Quæ vero extra ſunt, locum in ijs habere non poſſe. Quis ergo dicat, aliquem eſſe laſſum *pondus*, aut *onus*, aut *ſarcinam*

quam

quam geſtat? Mediocriter, inquam, docti ſciunt, intelligi in iſtis voculam, quæ hoc non admittit, & ad totum refert quod de parte dicitur.
Tale eſt, *vetare ſolem*, pro *arcere*.

Et ſoles vetuit Delia tardior.

Item,

Stat vaſta late quercus, & ſolem vetat.

Sæpe nullo iudicio archaiſmos affectavit, quos non intellexit. Virgilius dixerat *bellantur*, mutata ſola terminatione κατὰ τὸ ἀρχαϊκώτερον. Sicut *affector, lachrimor, aſſentior*. Ille *velor* putavit eadem ratione ferri poſſe.

Aleſque ſequi iuſſa ſagitas,
Totum pennis velata diem.

Dicam *velari noctem*, more Græcorum, ſed non iſto ſenſu. Vt, κεκαλυμμένην νύκτα. Sed *velari diem*, καλύπτειν τὴν ἡμέραν, quis ferat?
Tale eſt, *laudem quieſcere*.
Antiqui dicebant *quieſcere & requieſcere aliquem*, πανύειν τινά. Sicut aliquoties regula Latinitatis Plautus. Vnde Salluſtius, ſummus autor & antiquitatis mire amans, *militem requietum* dixit. Maro, *requieſcere curſu*. Et non multo antiquior Calvus,

Sol quoque perpetuos meminit requieſcere curſus.

Ille horum exemplo, *laudem quieſcere* dicere auſus eſt: nec intellexit, aliud hoc eſſe. Nam ſi diceretur, diverſum deſignaret. Efficere, nimirum, ne aliquis laudetur. Sive, laudibus intercedere alienis.
Alia multa ſunt ἰδιωτικά, & quæ nemo dicat. Deianira ait,

-maius eripui decus
Quam in luce tribui.

Nam, *in luce tribuere*, pro parere, quis vnquam audivit?
Tale eſt, *mortem figere*.

-tum longum ferens
Harundo vulnus, tenuit hærentem fugam,
Mortemque fixit.

Id eſt, ad mortem vſque vulneravit.
Ita vocem *genus* perpetuo pro populis accipit aut hominibus. Alibi *genus* opponit & *Deos*.

-ſed quid impavidum genus
Feciſſe prodeſt? non habent pacem Dei.

Item,

-vt invidiam Deis
Lugendo facias, advoca in planctum genus.

Vbi ſane nihil aliud quam homines intelligit. Ita de Arcadibus, quos προσελήνους dictos fuiſſe legerat,

Nondum Phœbe naſcente genus.

In quo & aliud rideas. Neſcit enim quid dicat. Volebat, *populus natus cum Luna nondum eſſet.* Sic,

-fata ne mater tua
Priuata credat. iam genus totum obſtrepit

Item,

-omne iam ingratum eſt genus.
Vtrunque Phœbi littus, & Scythiæ genus.

Quæ ſunt ſæculi notæ quo ſcripſit: &, vt cum D. Hieronymo loquar, deficientis Latinitatis proprietates. Interdum vt pueri balbutit, neque ſe explicat. Vt cum dicit, *diem vnam quæſiuiſſe Herculem:* cum ſignificare vellet, id quod alij dicunt, Iovem cum Hercules concipere-tur, tres noctes commiſiſſe. Quædam concoquere non poſſum. Quale eſt illud,

Ceſpes Tyrio mollior oſtro,
Solet impavidos ducere ſomnos.
Aurea rumpunt tecta quietem.

Hoc volebat, Pauperem hominem aut mediæ fortunæ, magis ſecure in ceſpite cubare, quam rex aliquis in aurea domo. Sed an ceſpes proptera ſomnos ducit? Stuporem autem inſignem videas in illo. Seneca Hippolyto dixerat, gemmas *deducere aures*, cum appenſæ illas deprimunt:

-nec niveus lapis
Deducat aures, Indici donum maris.

Iſte, ſi Muſis placet, imitari hoc voluit: & pro eo dixit, *detrahere aures.*

Nec gemmiferas detrahat aures
Lapis Eoa lectus in vnda.

Quod ſi verum eſt, væ illis auribus, quibus gemmæ appendun-

penduntur. Paxo enim nemo sit qui hoc audeat, & non auribus continuo privetur.

Ἀδολεσχία autem est intolerabilis & luxuries quæ omnem excedit modum in istis:

Sic nostra longum forma percurrens iter,
Deperdit aliquid semper, & fulget minus,
Malisque minus est. quicquid in nobis fuit
Olim petitum, cecidit & partu labat,
Materque multum rapuit ex illo mihi,
Ætasque tacito senior eripuit gradu.

Nihil aliud volebat, quam, Formam suam, partim ætate, partim pariendo, partim calamitatibus esse imminutam. Sic,

Hunc eiulatu quem gemis, cuncti gemunt.
Commune terris omnibus pateris malum,
Luctum occupasti prima, non sola Herculem
Miseranda mœres.

Alius dixisset, *Luctum hunc cum omnibus communem habes:*

-Causa bellandi est amor.
Toties timebit, Herculi gnatam parens
Quoties negabit: hostis est quoties socer
Fieri recusat. si gener non est, furit.

Quæ mihi quidem nauseam movent.

Invenias & voces in quas pueriliter propendet. Et quas interdum versu suadente intexit. Sicut *genus* in fine sæpissime, & *iecur*. Quod ter in quinque versibus posuit.

Tumidi iecur pulmonis arentes fibras
Distendit: ardet felle siccato iecur,
Totumque lentus sanguinem avexit vapor.
Primam cutem consumpsit. hinc aditus nefas
In membra fecit. abstulit costis iecur.

Eiusdem farinæ est illud:

Complexus aras ille tremebunda manu,
Mortem metu consumpsit, & minimum sui
Pœnæ reliquit, dumque tremebundum manus
Tenuit cadaver.

Iam de Herculis laboribus, quoties eadem?

Hanc

Hanc garrulitatem ſequitur familiare ei vitium ἀπροσ-ωξία. Alcumena cum dixiſſet, Herculem ſepultum eſſe, poſtea, ſex non amplius interiectis verſibus, ſe ſepulchrū illi quærere ait. Et recte. Vrnam enim cum cineribus illius geſtabat.

-hic tua fractus manu
Qui te ſepulto poſſidet cœlum leo.

Mox,

-quod tibi infelix annus
Quæram ſepulchrum?

Et iterum deinde,

Nempe Alcides mortalis obit,
Nempe ſepultus.

Sic cum Hyllus dixiſſet,

-ſcelere materno hic perit,
Fraude illa capta eſt,

in eadem ſcena hoc negat.

Sed non cruenta ſceleribus nupta iacet.

Et ante dixerat illius mater, quod a nobis ſupra annotatum eſt,

maximum fieri ſcelus, Et ipſa fateor.

Nec revera aliter ſentiebat. Idem enim ante dixerat & matri:

-parce iam, mater, precor,
Ignoſce fatis. error a culpa vacat.

Quod quidem Sophocli evenire non potuit. Qui, vt recte magiſtri dicendi obſervant, tantum ἀναγκαίως loquitur. Quod indicium eſt ſummæ gravitatis in moribus. quorum imago eſt oratio.

Iam, quam miram philoſophiam profitetur, cum infirmitatem iecoris dolentibus tribuit?

In deſcriptione Euboeæ, ſummam ἀγεωγραφίαν videas. Vt cum Parthos Nabathæorum vicinos facit. De quibus alij.

Poſcebat manum noſtram OCTAVIA: ſed tempus deficiebat. Et iam eam magna ex parte caſtigarunt viri docti.

FINIS.

IOHANNIS ISACII
PONTANI

In

SENECÆ

Tragœdias

ANIMADVERSIONES,

Nunc primum editæ.

cIↃ IↃ c. xx.

LECTORI.

Cùm in Notis Pontani noſtri frequens fiat mentio codicis Thomæ Baſini, ille quis fuerit, vt lectori conſtaret, adiungenda Gaguini & Meieri de eo teſtimonia operæpretium duximus:

Robertus Gaguinus Hiſtor. Francor. lib. X. *ſub* R. *Ludovico* XI. *ad an.* Mcccclxv.

Per idem tempus dominus de Sternaio Ludovicum fugiens, Rotomago exceſſerat. *&c.* Periere præterea alij non pauci ex Normanna gente, qui Carolo Duci favebant. Et *Thomas Baſinus*, Lexoviorum Epiſcopus in Brabantiam ſe recipiens, cùm Iuris peritiſſimus haberetur, Iuris interpretationem in Schola Lovanienſi, quoad vixit, profeſſus eſt: homo proculdubio magnanimus, & morum Ludovici contemptor.

Iacobus Meierus in Annalibus Flandriæ ad annum Mcccclxxii.

Hic noſter, *inquit*, Thomas Lexoviorum Epiſcopus, qui tunc vixit. *Locum eius producit, ac poſtea ſubiungit:* Hæc & plura Epiſcopus ille, niſi fallor, de quo Gaguinus.

Idem ad annum Mcccclxxiii.

De Carolo *(Burgundionum Duce)* creando Rege Thomas noſter hunc ferme in modum. *Deinde:* Hactenus Thomas Epiſcopus, qui tunc Treviris erat, omniaque vidit.

Ad annum Lxxv.

Fuit Carolus (inquit Baſinus eius æqualis) ſtatura vir mediocri.

Sæpiuſculè porrò in rebus geſtis & vitâ Caroli, Baſinum laudat eiuſque verba recitat Meierus. Et qui Lexoviorum Epiſcopus ibi & in Gaguino dicitur, in Pontani Manuſcripto, eſt titulo Cæſarienſis Archiepiſcopus.

IO-

IOHANNIS ISACII PONTANI
De
AVCTORIBVS
Tragœdiarum,
ad
V. Cl. PETRVM SCRIVERIVM,
Prolegomenon.

QVæ iam olim, Scriveri clarissime, ad Senecam Tragicum, adiutus Cantabrigiensi Ms. & nunc occasione codicis Basiniani, qui penes me Ms. similiter, annotavi, tibi ea omnia in vnum collecta fascem quomodo proximè pollicitus fui, mitto, adiuncto eodem illo codice meo. Sed & sententiam meam promiseram de auctoribus Tragœdiarum, quæ L. Annæo Senecæ vulgo tribuuntur. De his quam diversa sint ævi nostri summorum virorum iudicia, non ignoras. Clarissimus Iustus Lipsius cùm primùm in eam sententiam discessisset, vt statueret esse pleraſque Annæi Senecæ, nec tamen Philosophi, eò abijt vt, unâ exceptâ Medeâ, cæteras ad imperium Traiani, aut infra etiam, reiiceret. Fundus illi huiusce opinionis Terentianus præcipuè fuit, qui de Tragicis agens, ostendensque quinam in choris dactylicos tetrametros aut primi aut præ cæteris junxissent, ità inter cætera, loquitur:

In Tragicis junxere choris hunc sæpè diserti
Annæus Seneca & Pomponius ante Secundus.

Col-

Collegit enim ijs ex verbis, Tragicum ibi Senecam Philosopho iuniorem esse, et ideo à Terentiano posteriorem statui Pomponio: qui ut ex Fabio constat, eodem cum Philosopho, Claudij nimirum & Neronis ævo, claruit. Et hoc, quantum censeo, suppeditaverit ei vocula illa ante, *quasi nota διακριτικὴ & vim discernendi habens, posita. At contra est, & clarè id ostendit Fabius, qui utrumque, Pomponium dico & Senecam Philosophum, non tantùm fuisse coætaneos, sed de Tragœdia quoque, & quid in ea decorum esset, familiariter inter sese certasse memorat. Ait enim lib.* VIII. *cap.* III. Memini juvenis admodum inter Pomponium & Senecam etiam præfationibus esse tractatum, an *gradus eliminat* apud Attium in Tragœdia dici oportuisset. *Et iterum libro* X. *cap.* I. *ubi censuras auctorum agit, Pomponij inter Tragicos meminit. atque inde, expensis ceteris, etiam Senecæ, quem ex industria distulisse se ait, ultimo demum loco sed in omni studiorum genere ut excellentis, ita etiã poematibus clari mentionem injicit. Adeo ut palam sit Terentianũ non tam διακριτικῶς quàm συγκριτικῶς eo loci vocem* ante *usurpasse. Quasi nimirũ diceret, utrumque & Senecam & Pomponium id ante factitasse. Itaque Tragicum habemus, qui idem & Philosophus. Cui accedit, quod versus cum Senecæ nomine ex Hercule Furente citet idem Terentianus, quos & ibi hodieque reperias; et Fabius ex eiusdem Medea, ex Troadibus Probus, ex Hippolyto Priscianus, & denique ex Thyeste Lactatius. Hic iam factam se rem habere quispiam putet. Sed iterum controversia oritur, & movet eam Paulus Diaconus, & ante eum Sidonius præcipuè Apollinaris. Nam ille*

Historiæ miscellæ lib. VIII. *Senecæ Tragici meminit, quasi distinguens eum à Philosopho. Verba eius sunt:* Huius (Neronis) temporibus Poetæ pollebant Romæ Lucanus, Iuvenalis, & Persius, Senecaque Tragicus. *Et magis, quem dixi, Sidonius:*

Quorum vnus colit hispidum Platona,
Incassumque suum monet Neronem.
Orchestram quatit alter Euripidis.

En, disertè duos tantùm eosque diversos Senecas agnoscit; Philosophũ alterũ, alterum Tragicũ. At, Sidoni, Rhetor & auctor Controversiarũ, quẽ certò constat patrem fuisse Philosophi, quo loco censebitur? An verisimile tam obscurum & terræ quasi filium fuisse, ut eius apud veteres nulla sit habita ratio? Negant illustria ingenij eius monumenta Controversiæ, & liber Suasoriarum, quæ exstant hodieque, Philosopho hactenus, sed falsò, adscripta. Indicaverat hoc omnium primus Volaterranus operis sui vndeviceſimo: Marcus Annæus Seneca Philosophi pater, Cordubensis, & equestris ordinis ac eruditissimus fuit: ut cui Declamationes, quæ filij dicuntur esse, nonnulli referant. *Quod vndecunque acceperit Volaterranus, verissimum est; licet Erasmo, Rhenano, alijsque, qui Senecam inter primos illustrarunt, sicuti nec Gyraldo, qui de Poetis Græcis ac Latinis Historiam contexuit, ne quidem ἐν ὀνείροις, quod dicitur, subolnerit. Admonuit tamen post eos Alciatus libro Parergorum* IV: *Et Lipsius postremò accuratissimè Electorum primo. Alciatus præterea hoc adiecit, Senecam, qui Philosophus dictus, etiam Tragœdiarum auctorem videri.*

Hinc jam superiora illa, Diaconi scilicet, ita accipiam ut Tragicum intelligat, qui simul Philosophus

fuit; (quæ enim omittendi eius cauſſa fuiſſet?) Et Sidonium, qui diſertè alterum ab altero ſeiungit, communi errore ſeductum, Rhetorem eundem cum Philoſopho exiſtimaſſe. Nec id de Sidonio mirabitur quiſpiam, cùm iterum ſimili hallucinatione, quod neſcio an cuiquam adhuc animadverſum, Pollam Argentariam Lucani coniugem, poſt eadem Lucani, Statio Papinio nuptam innuat iſtis ad Conſentium Narbonenſem verſibus:

Quid quod duplicibus jugata tædis
Argentaria Polla dat Poetas?

Volunt quidem interpretes reſpexiſſe hîc Sidonium ad Genethliacon, quo Papinius Lucani diem conſecrat; & præcipuè ad Præfationem, quæ eſt in librum ſecundum Silvarum, vbi Pollam Argentariam chariſſimam vxorum *vocat. Verùm illud, qui locum propiùs inſpiciet, non ſui, ſed Lucani reſpectu dixiſſe Papinium inveniet. vt omittam refragari ipſum Genethliacon, ex quo nihil tale exſculpas; tum & Carmen ejuſdem Papinij, quod ſequitur libro III, ad uxorem ſuam Claudiã, quo eam ex urbe Neapolim, vergente jam in ſenium ætate, invitat. Porro Sidonij ijdem interpretes, quo eius de Seneca Philoſopho & Tragico, diverſis quaſi auctoribus, ſententiam ſuffulciant, hos quoque Valerij Martialis tui verſiculos adducunt:*

Duosque Senecas, vnicumque Lucanum
Facunda loquitur Corduba.

Duos *enim ibi* Senecas, *Philoſophum volunt eſſe & Tragicum. Verùm nos rem potiùs, & auctores, quos ſupra laudavimus, ſecuti, haudquaquam dubitamus Martiali hîc Senecam patrem, quem Rhe-*

Rhetorem diximus, & filium Philoſophum intellectos. Philoſophum inquam, qui & Tragicus ſit; auctor ſcilicet Tragœdiarum Medeæ, Troadum, Herculis Furentis, Hippolyti & Thyeſtis: *Et adde, ſi libet,* Oedipi; *quam actam à Nerone, præter Furentem & Thyeſtem, auctor eſt Dionis Xiphilinus: & quis ambigat compoſitam aliquando ab ipſo Seneca,* poſtquam, *vt Tacitus habet libro* XIV. *Annalium*, amor Neroni carminum veniſſet? *Et Fabius Quintilianus, licet, ut ſupra eſt indicatum, Senecæ Medeam tribuat nec plures nominet, agnoſcit nihilominus libro decimo, quod & ſupra innuimus, vbi Operum Senecæ quaſi catalogum texit, eiuſdem ſimiliter poëmata: Controverſiarum autem & Suaſoriarum, quæ, vt ante oſtenſum, Rhetoris, id eſt, patris non filij ſunt, eodem in cenſu nullibi idem Fabius meminit. Extra tamen ordinem, libro nimirum nono, Controverſiam ex iis vnam citat, & Senecam, ſine vllo prænomine aut alio ulteriori diſcrimine, quaſi in re notâ ſatis eſſet Controverſiæ nomen poſuiſſe, auctorem celebrat. Duos itaque Senecas habemus; patrem, qui Rhetor, & filium Philoſophum, qui & Tragicus; ut jam commonſtravimus. At inquies, ſi ergo ſex illæ nunc enumeratæ Tragœdiæ ad Senecam Philoſophum referendæ, cuiuſnam erunt quatuor reliquæ,* Agamemnon, Thebaïs, Hercules Oetæus, & Octavia? *Nullas harum eſſe Senecæ, imò & aliqui* Furentem *etiam,* Thyeſtem *&* Oedipum *cum* Agamemnone *eidem âdimunt, & Senecæ neſcio cui cum Marci prænomine, adſcribendas volunt;* Thebaidem *verò,* Oetæum *&* Octaviam *diverſorum facientes ſingulas. Quarum Octaviam clariſſimus Lipſius à*

puero, aut pueri saltem modo, perscriptam censuit. Quamvis eam amicissimus nobis, & in hoc atque omni literarum genere eminentissimus Heinsius, licet humi serpentem, Thebaide tamen & OEtæo, quas idem Lipsius ordine dignitatis inter primas habet, minus putidam, & cultu quoque sermonis meliorem statuit. Iosephus insuper Scaliger, cujus in discernendis auctorum scriptis & à veris subdititios semovendi exactum judicium, docti omnes hoc præsertim seculo sunt admirati, stili characterem, qui in eadem est Octaviâ, cum reliquis eundem, & auctorem quoque Neronis temporibus interfuisse existimat; Rationem hanc adijciens, quòd non tantùm Cometæ, qui ipso Nerone & Seneca adhuc superstite effulsit, mentionem faciat; sed se etiam, præter ceteros (nisi verba dare posteritati volnerit) spectatorem eius fuisse asserat. Sed vixerit ævo Neronis, an & scripsit quoque? Hoc multa sint quæ negant. Et præsertim Agrippina, nonne, inter alia, Actu III. ea loqui introducitur, quæ cùm postea facta sint, quomodo ab ipso, nisi Apolline aliquo pleno, perscribi potuerunt? vt taceam de culpa dicere, quam Nutrix, Actu IV, Senecæ affingit. Sed de hisce hæc satis. Vnum accedat superijs, quas Marco tribuunt. Quod ideò à se factum docent, quia alia in ijs à Lucio, id est Philosopho, Philosophiæ & sectæ ratio. Marcus inquiunt, rarò Stoicorũ opiniones interserit; Lucius nec Epicuri sui, nec Metrodori dissimulat. Respondemus, si & idem hoc faciat, quem esse Marcum cupiunt, nonne iam facta res, & vnus idemq3, nõ verò diversus, auctor erit? Nã Agamemnone, quam Marco tribuunt, vnde illi vers. 605. leves dii, *nisi ab Epicuro, aut Metrodoro, aut*

Sci-

Scirone aliquo? Et rursum Troade, quam fabulam Lucij censent, similiter varius nec vnus est. Modò enim Stoicas δοξὰς, modò Epicurum aut Platonicos exprimit. Et præsertim Choro primo Priamum facit in Elysiorum amœnis versantem, & Hectora inter heroas piasque animas quærentem: Cùm tamen eadem fabulâ nihil esse post mortem, pluribus inculcet. Priori enim Choro legas:

- Felix Priamus
Dicimus omnes: secum excedens
Sua regna tulit; nunc Elysij
Nemoris tutus in vmbris
Interque pias felix animas
Hectora quærit.

At contra Actu II. Choro altero hæc occurrunt:

- Vt calidus fumus ab ignibus
Vanescit spatium per breve sordidis;
Sic sic, quo regimur, spiritus effluit.
Post mortem nihil est: ipsaque mors nihil.

Nec mirum talem in Tragicis esse Lucium, cùm in Philosophicis haud alium invenias. In Epistolis ait, Epistola LXXXVI, Animum Africani in cœlum, vnde erat, redijsse persuadeo mihi. *Contra ibidem, Epistola* XXX, *Bassum Epicuri præceptis obsequentem inducens, docet post mortem nihil timendum. Et alibi:* Hoc erit post me, quod ante me fuit. *Et quod magis mireris, Consolatione ad Marciam, cùm illud Epicureum extulisset:* vltra mortem mala nostra finiuntur, *statim eadem Consolatione, capite vltimo, Cordum loquentẽ facit mortuũ & inter heroas:* Nos quoq; felices animæ & æterna sortitæ *&c. Quæ prolixiùs adduxi, vt semel constaret haud aliter philosophari Tragicũ quàm Philosophũ: & verè, quæ Græcis feruntur, hîc*

Omnia idem pulvis.

quoque dici debent, πάντα μία κόνις.

Tibi verò, Scriveri eruditissime, hoc qualecunque, unà cum adiunctis Animadversionibus, adscribendum censui; præsertim cùm & ipse iudicares nos etiam ope nostrorum Mss. (duobus autem usi sumus, altero Cantabrigiensi membranaceo, & altero chartaceo Basini,) aliquod huc symbolum posse conferre. Sed & familiaritas nostra, quâ ego semper gaudere plurimum soleo, quæ nec heri aut hodie, sed plures ante annos vt cœpta, ita firmiter huc vsque culta, haud aliud flagitare videbatur. Eamque necessitudinem cùm nec vtilitas, nec aliud quidquam, quo probare amicitias vulgus consuevit, sed tua eximia virtus animorumque ac studiorum inter nos societas conciliarit, talem etiam mansuram atque in ævum perennaturã certa spes habet. Tibi itaq; hæc ista, quæ tua est εὐσοχία *&, quam iure magni facio, iudicij rectitudo, si, non dico satisfecerint, (qui enim hoc sperem!) sed minùs displicuerint, à te ac tuis iuncta vt publicum accipiant aliorumque censuras subeant, lubens permittam. Vale Cl. Scriveri, nostrarum nugarum arbiter candidissime. Hardervici* XV *Kal. Ianuar.* CIↃ. IↃ. C.XIX.

IOAN.

IOHANNIS ISACI PONTANI ANIMADVERSIONES In SENECÆ Tragœdias.

In Notis hisce concinnandis usus præcipuè fui editione Hieronymi Commelini. Ad eius enim orã varias tam ex Cantabrigiensi quàm Basini Codice lectiones adieceram. Postea & Heinsianam inspexi; Gruteriana, quam optabam, ad manus non fuit.

AD HERCVLEM FVRENTEM.

Versu *248. Stabuli fugavit turpis Augiæ labor.*] Liber Ms. reverẽdi patris Thomæ Basini archiepiscopi Cæsariensis, qui postea Hermanni Cruserij Campẽsis fuit, viri eruditissimi & ob varias, quas edidit, lucubrationes, ac præsertim ob versa è Græcis, clarissimi. Ille inquam Codex, qui deinceps nobis Cruserianus sive Basini dicetur, legit hoc loco non *stabuli*, sed *stabulis*. Nec videtur aliud deposcere sententia.

476. Post multa virtus opera laxari solet.] Ita editiones, quas vidi. At Cruserianus Codex, *lassari*. Et quis neget ita scribendum?

512. – diversa irroga:
Miserum veta perire, felicem iube.] Hæc non Lyco, sed Amphitryoni tribuit Cruserianus. Et animo meo non ea tantùm, sed & reliqua ad Actus finem Amphitryoni tribuenda.

571. Orpheus Eurydicen dum repetit suam.] Cruserianus

idem, *recipit*. Non enim repetijt tantùm, ſed & recepit Eurydicen Orpheus.

767. *- concavæ ſqualleant genæ.*] Elegantiùs Cruſerianus, *lucent genæ*. Et ita exhibere editiones nuperas, poſtea vidimus.

774. *Ipſo coactum navitam conto domat.*] In Analectorum libris olim monuimus Ms. Anglicanum, quem Cantabrigiæ inſpeximus, legere; *Proprio coactum*. Et rectè. Multò enim hoc propiùs rem explicat.

807. *Tum gravia monſtri colla permulcens manu*
Adamante texto vincit.] Tollit ambiguitatem Liber, legitque *vinxit*. Sermo enim de cane Cerbereo. Et ſequitur ſtatim, *Reſumit animos vinctus*.

896. *Terram petivit ore.*] Legendum cum eodem: *cecidit ore*. id eſt, vt habent marginales eiuſdem libri gloſſæ, *verberavit*.

1013. *Nullus ſalutis Hercule infenſo locus.*] Nonne meliùs? *Hercule infeſto*. Et ita Liber.

1253. *- ſemper aut dubium mare,*
Aut monſtra timui: quiſquis in toto fuit
Rex ſævus orbe, manibus aut aris nocens,
A me timetur.] Ab Amphitryone hæc dicuntur. Sed Liber Baſini pro *monſtra*, legit *terram*. Quod reſpuit verſus. Traiectu itaque vocum faciam, *Terramve timui*. Deinde pro *fuit* habet idem, *furit*. Et verè. Nam de præſenti enim loqui oſtendit illud, *A me timetur*.

1316. *Vivamus, artus alleva afflictos ſolo*
Theſeu parentis.] Melius idem Vetus: *afflicti*.

AD THYESTEN.

Verſu 97. *- Quid famem fixam intimis*
Agitas medullis?] Quod & aliàs commonefecimus, erat in veteri Codice membranaceo Cantabrigienſi: *q. f. infixam intimis Accitas medullis?* Scripſit fortè, *Citas medullis?* quomodo Medea: *ſpiritum ex alto citat*.

Poſt v. 175. Actu II. vbi *Atreus & ſervus* inducitur; vbi-

vbivis pro SERVVS habet Codex Basini, SATELLES.

222. *-specimen antiquum imperij*

Fraude est adeptus.] Sequar hîc Codicem Cruserianum, scribamque *antiqui imperij.* Thebaide v. 184.

Non te vt reducam veteris ad specimen domus.

Vbi *veteris domus specimen*, quod hîc *antiqui imperij specimen.*

444. *Miser esse mavult, esse qui felix potest?*] Alloquitur Thyesten Plisthenes. Itaque cum Libro eodem malim:

Miser esse mavis, esse qui felix potes?

579. *Ac mare intortum timuëre nautæ.*] Basini Codex haud malè, *in totum*, non *intortum.* quod nihili est. Lipsij liber, *in portu*, & idem referebat Cantabrigiensis, sed superpictum isti *intortum.*

602. *Et Dacæ Parthis equitem minati.*] Dacas intelligit non illos Danubij accolas, sed Parthis & Hyrcaniæ vicinos; qui Straboni libro 11, Ptolemæo Tab. 7. & Lucano lib. 7. *Daæ* dicti. Glossa Codicis Cruseriani marginalis, Senecæ verbis hæc addit: *Solent Dacæ (Daæ) pugnare ex equo contra Parthos.* Strabo mira de imperij eorum magnitudine, & Parthis non tantùm sed Romanis quoque formidabili potentiâ narrans, quosdam eorum Nomades facit. Vnde Lucanus loco jam dicto:

Ne vetitos errare Daas in mœnia ducat.

Quæ notanda fuerunt ob coniecturas doctissimorum virorum, longè hîc aliò abeuntium.

614. *Nemo confidat nimiùm secundis,*

Nemo desperet meliora lapsis.] Nescio, an debeat insuperhaberi lectio, quam suggerit Cruserianus: *Nemo desspcret meliora lapsus.*

770. *Nec facile dicam, corpora an flammæ gemant;*

Gemuêre,] Aureola est emendatio, quam profert idem Cruserianus, *an flammæ magis Gemuëre.*

1003. *Venêre: gnatos ecquid agnoscis tuos?*] Liber, *agnosti tuos?*

AD THEBAIDEM.

Versu 16. *Silvamq; opacæ vallis instinctas Deo*
Egit sorores mater.] Veteres Codices,quomodo & Cantabrigiensis, præferunt, *instructas Deo.* Et addit ad oram Cantabrigiensis,habitu eas fuisse ad faciendum Baccho. Et statim, pro *vertice immerso*, legit non Cantabrigiensis solùm, sed & Cruserianus, *immenso.*

104. *- Regna deserui libens,*
Regnum mei retineo.] Basini liber: *En regnum mei retineo.* Iterum levi vocum traiectione legendum: *Regnum en mei retineo.*

134. *Avi gener, patrisq; rivalis sui.*] Verum quidem est,non statim rivalẽ dicendũ, qui defuncti alicuius conjugẽ ducit. Nã hoc pacto Messala Corvinus,qui,defuncto Cicerone, Terentiã duxit,rivalis Ciceronis fuerit.At alia hîc ratio est. Oedipus enim non simpliciter defuncto, sed occiso patre, matrem duxit. Atque eo præcipuè aspectu eleganter hîc Poeta *rivalem* eum & quasi ἀντιπατρὸν patris appellat.

181. *Hac parte mortem perage, quâ cœpi mori.*] Semet veluti alium alloquitur Oedipus. Itaque malim: *qua cœpsti mori. Cœpsti* pro *cœpisti*; quomodo & supra Thyeste dixit, *agnosti* pro *agnovisti.* Vide ad Fabulæ illius v. 1003.

257. *Cruore sæpe regio attractas alit.*] *Tinctas* non *attractas*, quomodo & habuit Codex Lipsianus,item & Cruserianus præfert.

489. *Ego utrumque, sed pro utroque, quid strictum abnuis*
Recondere ensem?] Placet magis, *si pro utroque,quid strictum.* Et ita Cantabrigiensis.

611. *Fauces Abydi Sestos opposita premit.*] Cruserianus: *Fauceſque Abydi.* Et mox, v.

660. *Iniqua nunquam imperia retinentur diu,*] pro, quod vulgò, *Invisa nunquam.* Infra Medeâ v. 196.
Iniqua nunquam regna perpetuò manent

AD

AD HIPPOLYTVM.

Verſu 13. *Vbi per glacies lenis Iliſſus,*
Vbi Mæander ſuper æquales
Labitur agros piger,] Negotium jam diu Cenſoribus faceſſijt hic locus. Quid eſt enim, *per glacies lenis Iliſſus?* Sed benè ſit illis libris, qui eum verſum, licet leviter corruptum, poſteris reſervarunt. Noſter quidem vterque eo deſtituitur. Interim, nõ fraudandi ſuâ laude, cùm proximum emendatiſſimè producant. Legit enim non Cantabrigienſis modò, ſed & Cruſerianus:

Vbi Mæander ſuper inæquales.

Vult enim Mæandrum per ſaxa & ſcrupos labi. Et poſcit id res ipſa; etiam illa quæ continuè ſequuntur: *& ſteriles Amne maligno radit arenas.* Quod cùm ſit, præitur mihi egregiè ad verſus prioris correctionem. Nam lego pro *glacies, graciles*; & totum locum ita conſtituo:

Vbi per graciles lenis Iliſſus,
Vbi Mæander ſuper inæquales
Labitur agros piger &c.

Graciles dixit, quomodo idem in Oetæo de Acheloo: *Gracilisq; vado ſerperet æquo.* Et Martialis de Petauro:

Quid ſi per graciles vias Petauri
Invitum iubeas ſubire Ladam?

195. *Deum eſſe amorem turpiter vitio favens*
Finxit libido.] Manuſcriptus Codex Baſini: *turpis & vitio furens Finxit libido.* Idque firmari videtur eo quod ſequitur continuò: - *quoq; liberior foret, Titulum furori numinis falſi addidit.*

339. *Venere inſtincti quàm magna gerunt*
Grege pro toto bella iuvenci.] Codex Baſini Cruſerianus:

Venere inſtinctus ſuſcipit audax
Grege pro toto bella iuvencus.

566. *Sit ratio, ſit natura, ſit dirus furor.*] An non melius ad rem? *dius furor. Dius* nimirum, quia Dij, Venus & Cupido, eum immittunt.

619. *Mu-*

619. *Muliebre non est regna tutari patris.*] Quod erat in Lipsij libro, quoq́ue germanum ipse credidit, *tutari vrbium*, idem habet & Codex noster, Cruserianum quem appellamus. Et statim ibidem v. 622. *ac servam tege*, non *rege*.

652. *Et ora flavus tenera tingebat rubor.*] Nisi fallor, venustius est quod habet Basini Codex : *pingebat rubor*. Et vt rem dicam, non *rubor* sed *pudor* legit idem.

704. *Procul impudicos corpore à casto amove*
Tactus.] Maiori cum affectu atque emphasi idem Liber, *Prô impudicos.*

739. *Stella cùm ventis agitata longos*
Corripit ignes.] Legit iterum, *porrigit*, non *corripit*. Et nonne melius, præsertim cùm *longos ignes* dicat?

823. *Deformis senij limina transeat.*] Scripturam veterem quam præferebat liber Lipsij,
Deformis senij monstret imaginem,
eandem & noster Cruserianus disertè exhibet. Quid tamen illa vellet, cùm non dispiceret tum Clarissimus Lipsius, eleganter eam & fusè postea explicavit heros Scaliger. Quibus hoc tantùm addi velim: etiam in convivijs olim veteres mortis ac miseriæ mortalium perpetuò mentionem iniecisse ; idq́ue mortui imagine sive sceleto (Petronius *larvam* appellat) in medio omnium constituto; vt ita nimirum status & deformitatis suæ post hanc vitam vnusquisque commoneretur. Verba Petronij, quæ huc spectant, ista sunt : *Potantibus ergo, & accuratissimè nobis lautitias mirantibus, larvam argenteam attulit servus, sic aptam vt articuli eius vertebræque locatæ in omnem partem flecterentur. Hanc cùm super mensam semel iterumque abiecisset, & catenatio mobilis aliquot figuras exprimeret, Trimalcio adiecit :*

Heu heu nos miseros, quàm totus homuncio nil est!
Sic erimus cuncti, post quam nos auferet Orcus.

881. *Mors optima est, perire dum lachrimant sui.*] Obscurum hoc & involutum evolvit & clarè proponit Liber,

ber, legendo, *perire lachrimandum ſuis.* Et hoc verum eſt.

1052 -omnis è ſaltu fera Diſceſſit.] Magis placet ſcriptura Cruſeriani: *Diffugit.* Et ſtatim v.

1057. Seque patentans ſatis Proluſit ira.] Idem, *præcipitans.*

1137. - Non capit unquam Magnos motus humilis tecti Plebeia domus.] Addit Cruſerianus poſt vocem *domus, Circa regna tonat.* Quod reducendum videtur; præſertim, quia non tantùm Manuſcripti, quos ſummâ cum diligentiâ ad libros vulgatos comparavit olim Hieronymus Commelinus, ſed & alij quoque idem proferunt.

IN OEDIPVM.

Verſu *214. Ambage nexa Delphico mos eſt Deo Arcana tegere.*] Cruſerianus Codex, *flexa.* quod videatur vero propius. Lucanus lib. 1.

-Flexu ſic omnia Tuſcus
Involvens, multaque tegens ambage canebat.

293. Quòd tardo fatum, lingua quòd quærit moras.] Quid hoc locò, *tardare fatum?* Crede ex tripode prolatum, quod ſuggeſſit Cruſerianus: *Quod tarda fatu eſt.* Præceſſerant verba Oedipi,

Reſponſa ſolve, fare, quem pœnæ petant.

Aptè itaque reponit Tireſias,

Quòd tarda fatu eſt, lingua quòd quærit moras.

309. Vtrumne clarus ignis, & nitidus ſtetit,
Rectusque purum verticem cœlo tulit?] Egregius ſuper flammæſpicio locus. At quantò Cruſerianus eundem elegantiùs?

Vtrumne clarus ignis & viridis ſtetit,
Recenſque purum verticem cœlo tulit?

Prior ſcriptura bis idem dicit. Quid enim differunt, *clarus & nitidus?* At hîc tria cum curâ notantur, ſive quæruntur potiùs; num ſcilicet *clarus*, num *viridis*,

ac denique *recens* effulserit ignis. nisi pro *viridis* quis *vividus* malit ac rescribi, traiectis voculis,

Vtrumne clarus vividusque ignis stetit.

Illud *recensque* ex Codice Anglicano est, non Cruseriano, qui *rectusque* retinet. Versu deinde, eadem in re,

372. *Scrutemur vnde tantus hic extis rigor,*] Malè referebat idem Anglicanus, pro *rigor*, *livor*. Nam nec versus hoc patitur, & statim de livore subiungit:

Infecit atras lividus fibras cruor.

Spectat huc illud Lucani:

Viscera tincta notis gelidoq; infecta cruore
Plurimus asperso variabat sanguine livor.

422. *Vnde tam molles placuëre cultus?*] Cruserianus liber non *vnde*, sed *inde* legendum suadet. Videtur etiam eò ducere præcedentia.

445. *Ponti regna tenet nitidi matertera Bacchi.*] Liber idem: *Fontis regna*. Quod ego prætulerim; præsertim cùm proximè sequatur:

Ius habet in fluctus magni puer advena ponti.

545. *Tristis sub illâ, lucis & Phœbi inscius*
Restagnat humor, frigore æterno rigens.] Refert non tantùm Cantabrigiensis, quod olim monuimus, sed &, quem nunc inspeximus, liber Cruserianus:

Tristis sub illâ lucus, & Phœbi inscius
Hinc stagnat humor. Et rectè sanè. Nam Poeta postquam totius nemoris circumstantiam habitumque depinxisset, & ipsa veluti loci secretiora adumbrasset, addit digito quasi intento, juxta illa, & illam vmbram tristis & feralis hic lucus. Receptam lectionem vitij arguat vel illud, *lucis & Phœbi insciis*, tautologum ineptumque.

611. *Dextrâ ferocem cornibus taurum premens*
Zetus.] Cruserianus noster non *Zetus*, sed *Oetus* legit: additurque ad oram, *Oetus fuit socius Iasonis ad quærendum aureum vellus, consilio Medeæ taurum devicit.*

645. - *Incestam domum*
Vertam, & penates impio Marte obteram.] Non offendissem, nisi aurem velleret Codex Cantabrigiensis, qui

legit,

legit, *incretam domum. Incretam* ſcilicet, quia ex matris & filij impiâ mixtione conſtabat. Feſtus: *Increta, indiviſa.* Deinde cùm dicit, *penates impio Marte obteram*, nonne dixiſſet potiùs, *penates impios?* Hos enim cupit everſos; niſi ad illud fortè Maronis reſpexiſſe velimus, *Mars impius hauſit.* Tamen Thyeſte jam ante dixerat,

- Perge deteſtabilis
Vmbra, & penates impios furijs age.

AD TROADES.

Verſu 53. *- & quondam ſacrum*
Regni iacentis.] Non prætereunda Anglicani ſcriptura, *quoddam ſacrum.* Et fuit ſanè ſua & fatalis quædam vis ruenti huic vrbi. Aſpexit & Petronius:

Contraq; Troas Troïa invocant ſacra.

59. *Hic Hectoris coniugia deſpondet ſibi.*] Non Hercules *deſpondet*, ſed *depoſcit.* Et ita liber Cruſerianus; ſuadentque ſequentia iſta:

Hic optat Heleni coniugem, hic Antenoris,
Nec deeſt tuos Caſſandra qui thalamos petat.

116. *Tibi noſtra ferit dextra lacertos,*
Humerosq; ferit tibi ſanguineos.] Potius exiſtimo, quod jam olim monui præferre Cantabrigienſem: *Humerosq; gerit.*

157. *- nunc Elyſii*
Nemoris tutis errat in vmbris.] Omnino verius, *tutus*, vt ad Priamum, non ad vmbras referatur. Et ita diſertè Cruſerianus, & Cantabrigienſis.

393. *- ut calidis fumus ab ignibus*
Vaneſcit ſpatium per breve ſordidus.] Viderunt docti minùs convenire, *calidis ignibus.* Maluerunt itaque, *calidus fumus*; & ita Anglicanus. At turbat nihilominus quod ſequitur, *per breve ſordidus.* Sed liber idem, vt & Cruſerianus, habet *ſordibus.* Amo reſcribere:

Vt calidus fumus ab ignibus
Vaneſcit ſpatium per breve ſordidis.

Non

Non magis, inquit, anima postquam deseruit corpus supersest aut vsquam est, quàm fumus, qui ab igne & prunis jam sordescentibus cinereque obductis avolavit. Hæc loci huius germana scriptura, Tragicique mens est. At nos ignoscimus homini præsertim illius ævi; nec tam Stoico quàm Epicureo sæpenumerò, & placitis Metrodori, quod & Philosopho familiare est, nimis quàm dedito.

565. *- vastus an patriæ vapor*
Corripuit artus.] Egregia est emendatio, quam suggerit solus Basini Codex Cruserianus. Legit enim, *notus an patriæ vapor.*

665. *- Pergam, & è summo aggere*
Trahem sepulchra.] Idem Cruserianus: *Trahem sepulchrum.* Et hoc firmet sequens illud: *- Pyrrhe, genitoris tui Munus tuere.* Et illud, *tumulus hîc campo statim Toto iacebit.* De vno præcipuè non pluribus loquitur.

880. *Te magna Thetys, teque tot pelagi deæ*
Placidumque numen æquoris tumidi Thetis
Suam vocabunt.] Cruserianus: *Placidumque numen æquoris tumidi tenens.*

1004. *- Abreptam trahite.*] Cruserianus, *abreptam trahe.* Et quare non sequar, præsertim cùm Pyrrhum solum alloquatur Hecuba? quin & præcedat numero eodem, *reclude, coniunge, perge.*

1341. *Et nihil præter mare cùm viderent*
Vnici terris homines relicti.] Omnino legendum, *relictis.* Et ita Vetus Cantabrigiensis; quod iam anni circiter viginti sunt, cùm primùm moneremus.

1086. *- vel saxum imminens*
Muri cadentis pressat.] Non refuto. In Cantabrigiensi nihilominùs quod servari jam olim indicavimus, *saxum petens*, licet locum non habeat ob proximè præcedens *petit*, vide tamen si fuerit: *saxum patens Muri cadentis præssat.*

1098. *Sic illa dextrâ prensus hostili puer.*] An *prensus* tantùm? imò, *pressus.* Et hoc asserit Cruserianus.

1129. *- Magna pars vulgi levis*

Odis

Odit ſcelus, ſpectatque.] Monui iamdudum in Cantabrigienſi haberi, *Odit ſcelus, peccatque.* Et cur non ſequamur? Dixerat ferè in eandem ſententiam ſuprà.

Flevitque Achivorum turba, quod fecit nefas.

Sed appoſitiſſimè omnium Tacitus 5 Hiſtoriarũ: *Factum eſſe ſcelus loquuntur, faciuntque.*

IN MEDEAM.

Verſu 56. *Ad regum thalamos numine proſpero,*
Qui cœlum ſuperi, quique regunt fretum,
Adſint, cum populis ritè faventibus.] Quis hîc de vitio vel ſuſpicatus fuiſſet? Palmaria tamen emendatio eſt quam ſuggerit nobis Baſini Cruſerianus. Diſertè enim ille pro *numine*, legit *munere*. Et quis id eſſe verum neget? præſertim attendens ad ſequentia, vbi monentur deorum ſinguli, quæ præcipuè deferre dona quemque deceat. Itaque reſcribimus:

Ad regum thalamos munere proſpero.

180. *Nondum meis exportat è regnis pedem.*] Leviculum eſt, ad lucem tamen ſententiæ faciens, quod legitur in Cruſeriano: *reportat.* Acceſſerat enim Medea non vocata. Itaque referre eam rex pedem vult, vnde venerat. Quin & ipſa reſpondens infra idem dicit:

Supplex recedens illud extremum precor.

596. *Vivat vt tutus mare qui ſubegit.*] Hæc ad Claudium Imp. & Britanniam referunt noſtri. At gloſſa Cruſeriani marginalis ad Iaſonem, de quo ibi agitur. Ita enim illa: *Iaſon qui primùm aggreſſus eſt mare navigare.*

992. *- Deerat hoc vnum mihi,*
Spectator ipſe.] Significantius eſt quod præfert liber Cruſerianus, *ſpectator iſte:* nimirum Iaſon parens.

AD AGAMEMNONEM.

Verſu 6. *Video paternos, imò fraternos lares.*] Cruſerianus

repetitione non invenustâ:

Video paternos, video fraternos lares.

23. *Reputemus omnes,*] *Repetamus* habebat Cruserianus.

137. *Fessus quidem & deiectus & pessundatus*

Pudor rebellet] *Deiectus* & *pessundatus* quid magnoperè diversum dicunt? Scribam itaque cum Veteri, *devictus & pessundatus.*

402. *Sacris colamus prosperum tandem diem.*] Scribit Cruserianus, *sacrum.* Quod nescio an temerè reijciendum.

463. *Nitidum cadentis inquinat Phœbi iubar.*] Eleganter & ad rem aptè Cruserianus: *Nondum cadentis moverat Phœbi iubar.* Nondum, inquit, nubes removerant cadentis jam Solis jubar. Suadent & sequentia.

550. *-tandem horream*

Aliena inerti tela mitti dextrâ?

Quid si ipse mittat?] Non spreverim. Erat tamen in Veteri Anglicano, *Quid si ipse instet.* Sed hoc versus respuit, licet apta sit vox, *instet.* Maximus Valerius: *Cùm militem acriùs sibi in acie instantem cominùs interemisset.* Videndum itaque an leviter traiectis vocibus legi hîc debeat; *Quid si instet ipse?*

575. *-iam timent terram rates,*

Voluntque maria; cecidit in lucem furor.] Ita Cantabrigiensis, quo olim vsus sum, omnesque meliores libri, & firmat nunc insuper Cruserianus. Vulgò est *luctum*, non *lucem.* At sensus & mens auctoris quænam erit? Clarissimus & accurati iudicij censor Iustus Lipsius existimavit innui posteriori versu, sub lucem demũ desijsse, vt solet, tempestatem. Sed id, sicut & alij de adventu diei quod adferunt, locum habere non potest ob hoc quod sequitur:

Postquam litatum est, Phœbus in lucem redit.

Ego in æstu lectionis, hac quasi mente capiebam: horruisse videlicet rates nauclerosque terram, & omni vi renisos ad altum: sed fato & veluti furore quodam repressos ad terram, sive facem à Nauplio doloscè accensam. Hæc plures ante annos notaveram in Analectis: Et nunc Cruseriani Codicis Glossæ marginales haud

aliter

aliter exponunt. Verba enim ibi ferè ista reperio: *Furor Græcorum cecidit in lucem, id est, Nauplius eos cum luce sive face suâ decepit.*

811. *Imparem æquasti numerum Deorum.*] Cantabrigiensis pro *imparem*, *impetu* legebat; quod olim monuimus ad verba illa Macrobij lib. 1. cap. 20; *Hercules ea est Solis potestas, quæ humano generi virtutem ad similitudinem præstat Deorum.* Et statim: *Hercules nimiâ fortitudine meruit nomen Dei virtutem regentis.* Vox autem *impetu* accipi debet quomodo illud Hercule Furente, v. 955:

Inferna nostros regna sensêre impetus.

At Cruserianus lectionem receptam producit, & explicat de Hercule, quasi antè eum natum tres tantùm, id est, impari numero dij fuerint, *Iupiter*, *Neptunus* & *Pluto*, qui postmodum, eo nato, pares & æquales redditi.

872. *Tam clara nunquam providæ mentis furor*
Ostendit oculis.] Quid est *furor providæ mentis?* Aut quomodo esse ibi furor dicetur, vbi mens est provida? Benè igitur liber Basini, *providæ mentis pudor.* Negat Cassandra tam vnquam sibi clara & perspicua oblata sedatæ & mentis compoti, quàm nunc furore licet percitæ.

IN HERCVLEM OETÆVM.

Versu 150. *Et soles vetuit Delia tardior.*] Cruserianus Codex *solem*, non *soles* habet: Et Cantabrigiensis præterea *metuit*, pro *vetuit*. Infra tamen iterum v. 1623. *Phœbum vetat*, id est, arcet. Quod alibi haud facilè reperias.

284. *Est aliquid Hydrâ potius, irata dolor*
Nuptæ.] Cantabrigiensis & Cruserianus, *Hydrâ peius*. Et quis id esse verum non videat? Pessimum fuit, & dirum malum Hydra, at eâ etiam peius & magis timendum coniux irata. Iterum infra v. 851;

Et vt novercâ peius iratâ malum.

292. - *Herculis tantùm fui*
Coniux tumentis. vota quæ superis tulit
Cessêre: captæ pellici felix fui:

Illi meas audiſtis, ô Superi, preces.] Corrupta hæc & confuſa, ità legit & diſtinguit Cruſerianus:

- Herculis tantùm fui
Coniux timentis. vota quæ ſuperis tulit
Ceſsêre captæ pellici; felix fui
Illi; meas audiſtis, &c.

Illud *timentis*, pro *tumentis*, etiam ab alijs animadverſum video.

364. *Dilecta Priami nempe Dardanij ſoror*
Conceſſa famulo eſt.] Imò *famula*, non *famulo*. Et ità nõ tantùm Cantabrigienſis, ſed Cruſerianus quoque, atque alij. Et eſſe germanum liquet ex eo quod præcedit, *in famulæ locum Regina cecidit.*

373. *Vnum feroci ſtamen intorquens manu.*] Coniecerat jam olim eruditiſſimus Gulielmus Canterus, *Vdum feroci.* Et nos in Analectis, *Tutum feroci. Tutum* nimirum, quia ab eo nullum ei, quomodo à monſtris, diſcrimen. At aliò trahit Cantabrigienſis, in quo diſertè;

Vtrumque forti ſtamen intorquens manu.

Quaſi diceret, arſit in Theſpiades Hercules, arſit etiam in nurum Lydiam; & vtriuſque fæmineæ colo invictam illam et fortem manũ ſubiecit. Liquet ex præcedentibus.

446. *- Cur ſæva modicè ſtatuis?*] Quod editiones meliores præferunt, *Cur ſæva modicis ſtatuis*, idem & Cruſerianus retinet.

449. *Amor'ne clari fugit Alcidæ tibi?*] *Fugit* cum Dandi caſu quomodo effugerit Criticorum obelos, miror. Nam & optimi ex claſſicis auctoribus *latere*, *decere*, aliaque talia cum Dativo, vt loquuntur, conſtituunt. Lucanus *Late tibi* extuliſſe videtur Pharſal. 1. vbi legas: *- at mihi ſemper, Vt ſuperi voluêre, late.* Quin imò diſertiſſimus Romuli nepotum Cicero, 1. Catilinariâ: *Nihil agis, nihil aſſequeris, nihil moliris, quod mihi latere valeat in tempore.* Iam Terentium dixiſſe, *Facile ita vt vobis decet*, & *nobis decet*, notius eſt quàm vt moneri debeat. Et quis in lectione Plauti adeo hoſpes, qui neſciat in Amphitruone dici, *Noſtri generi non decet*; itemque, *Ornatum capiam qui potis decet*, Idem Comicus in Ciſtellariâ: *Quando ita tibi iuvat, Vale.*

516. - *tam*

516. *- tum longum ferens*
Arundo vulnus, tenuit hærentem fugam,
Mortemque fixit.]

Mortem figere verbo venatorum dixit. quæ aliaque talia huic auctori quasi ἰδιωτικὰ nemo mirabitur, qui ex eâdem hac Senecarum domo & disciplinâ Lucanum, jam ante laudatum, cogitet. Quàm enim sæpè apud eum *morti parcere, mortem perdere, mortem rapere, cadere mortes*, aliaque huiusmodi occurrunt ab arenâ aut aliunde sumpta; nec facile apud alios obvia, alijsque vsurpata!

644. *Cespes Tyrio mollio rostro*
Solet impavidos ducere somnos.] Non absimilis, sed illustrior est quæ proximè sequitur, metonymia:

Vigilesque trahit purpura noctes.

Non enim purpura propriè, non cespes mollior, sed purpurati & qui in purpurâ cubant vigiles sæpenumerò & pavidos somnos ducunt; illi verò qui in molli cespite, impavidos vt plurimum & securos.

1017. *- totus in vultus meos*
Decurrit orbis, hinc & hinc populi fremunt.] Rectũ & γνήσιον judico, quod & Cantabrigiensis, & Cruserianus, & liber denique Delrionis agnoscit, *populi premunt.*

1223. *- Hinc aditus nefas*
In membra fecit, abstulit costis iecur.] Hos versus non habet Cruserianus; sicuti nec binos, qui præcedunt.

1259. *Quæcunque pestis sæva, quæcunque effera es,*
Palàm timeres.] Scribit ferè liber, *sive quæcunque es fera.* Probè. At è verbis sequentibus quid probi sensi elicere est? Codices nostri non succurrunt. Tentasse interim alios video, *Palàm timori es.* Sed nec id sententiam explicat, imò involvit magis. In apertum enim & publicum certamen hoc monstri deposcit. Docent proximè sequentia: *- Quis tibi in medias locum Fecit medullas?* Et infra v. 1514:

Hanc tamen ad imos perferam laudem inclytam,
Quòd nulla pestis vicit Alciden palàm,
Omnemque pestem vicit Alcides palàm.

Quis jam legendum superiùs non fateatur:

Quæcunque pestis, sive quæcunque es fera,
Palàm tumeres.

Palàm tumeres, id est, palàm ferocem te & hostem declarares. Iuvenalis : - *Cuius aceto, Cuius conche tumes?* Et Martialis :

Saturnalia divitem Sabellum
Fecerunt, meritò tumet Sabellus.

Seneca Philosophus, *hærebit tumor, quamdiu cum superbo conversaberis*. Et denique Tragicus Hercule Furente, *robore expenso tumet*. Et alibi sæpè.

1274. Flentem, gementem summe protector poli,] Librorum non vna hîc scriptura; Cantabrigiensis non *protector*, sed *prô rector*, legit. Cruserianus, *perspector*. Vtrum vis, elige.

1284. Fletum virtus sæpè resolvit.] Quid est *fletum virtus resolvit*? aut quomodo hoc conveniat virtuti? Providè quidem clarissimus Lipsius,

Fletum virtus sæpè resorbet.

At Cruserianus noster, pro *virtus*, *luctus* exhibet. Quod nec ipsum satis capio. Nã quomodo magnoperè hoc novum, fletum & lachrimas luctu cieri? An faciendum?

Fletus luctum sæpè resolvit.

Vt velit, lachrimis & fletu levari sæpè dolorem. Sed, vt puto, & hîc & in proximè sequentibus ὕπαλον aliquid latet.

1458. Suâ perempta dexterâ mater iacet.
HER. *Cæsi dolores; manibus irati Herculis*
Occidere meruit.] Vterque, & Cruserianus, & Cantabrigiensis, *Cæci dolores!* vt nimirum ecphonesis sit Herculis Hyllo respondentis, & per cœcos dolores pestemque intra viscera latentem quasi atteslantis meruisse Deianiram suis potiùs irati manibus victimam cadere.

1598. Lassus an pondus titubavit Atlas?] Hîc auctorem plusquam συλοικίζειν, nec locum habere eiusmodi Helleniſmum posse, sunt qui putant. At si dicamus inter eos archaismos eaque adjectiva hoc reponendum, quæ casum quartum elliptice admittunt, quid magnoperè habebit incommodi? Sic enim *lassus pon-*

pondus erit, *quod ad pondus*; vel, *ob pondus*, *Bonus animum*; erit *quod ad animum bonus*, vt notat ad I. Æneidos Servius. Et *omnia pius*, quomodò Macrobius loquitur lib. 6. cap. 8. Saturnal. erit, *per omnia pius*: Et Statius Papinius:

Dij benè, quod tales ſtirpemq́; animosq́; venitis.

id eſt, *quod ad ſtirpẽ & animos*. Propertius. lib. 2. eleg. 5. *Cynthia verba levis* id eſt, *quod ad verba*, ſive *verbis levis*. Helleniſmus hic iſti *laſſus pondus* par prorſus ac geminus: quamvis heroi noſtro Scaligero alijſq́ue magnis viris hîc aqua hæſerit. Hemiſtichium autem, quod præcedit, Propertij: *Cynthia forma potens*, ſumptum eſt ex illo Ovidij,

Eſt illis ſua dos forma ſine arte potens.

Vel potiùs Propertium ſecutus eſt Ovidius. Ὀλίγοι ἀριθμὸν, *pauci numerum*, vel, *quod ad numerum*. *Syrus & nomen & patriam*, eſt, *ſecundùm nomen & patriam*: Quæ aliaq́ue huiuſmodi, vt Græcis ſunt vſitatiſſima, ità apud Latinos rariùs occurrunt.

IN OCTAVIAM.

Verſu 85. *-Vincam ſævos*

Ante leones, tigresq́; truces,

Fera quàm ſævi corda tyranni.] Hæc de Nerone eiuſq́ue immani ſævitiâ Octavia, leonibus ipſum & tigribus comparans; quemadmodum & divus Paulus 2. ad Timoth. cap. 4 verſ. 17. de eodem Nerone loquens, *liberatum ſe*, ait, *de ore* LEONIS. Facit huc vel maximè, inſignis ex veteri Scholiaſte Iuvenalis locus, vbi inter alia ad Sat. 5. ità habet: *Seneca ab Agrippina erudiendo Neroni in palatium adductus ſævum immanemq́; natum & ſenſit citò & mitigavit. Inter familiares tamen ſolitus dicere: Non fore ſævo illi* LEONI, *quin, guſtato ſemel hominis cruore, ingenita redeat ſævitia.*

184. *Solatur iſte noſtra, non relevat, mala.*] Quid? nonne relevet id iure dolorem, quod dolenti ſolatio eſt? Manuſcriptorum, quos conſuluimus, vnus, Cantabrigienſis nimirum, præferebat, *non rebellet mala*. Si admitte-

ret versus, falcilè esset scribere *revellit mala*; quasi diceret solamen quidem adferri aliquod insito & occulto illi malo, sed non tolli idem penitùs aut revelli.

234. *-frigido Arctoo rigens.*] *Frigido Arctoo* posuit pro *frigidâ Arcto*, sive *frigore Arctoo*. Nam vt Arctos, sive polus Arcticus illis frigidus; ità ex adverso Antarcticus sive Australis existimabatur esse calidus. Hoc sensisse demonstrat vel Lucanus illo versu 1 Pharsaliæ:

Nec polus adversi calidus quâ mergitur Austri.

Polum ecce Australem calidum appellat, aspectu scilicet Borealis, quem solum frigidum credebant: Cùm tamen, si naturam locorum & parem vtriusque poli ab eccliptică distantiam videamus, non minùs sub Antartico, quàm ipso Arctico rigens sit & frigidum cœlum. Quod nec ignorarunt antè Lucanum plerique veterum; & notum illud Poetæ, de Zonis hisce loquentis:

Quarum quæ media est non est habitabilis æstu,
Nix tegit alta duas.

Duas, nimirum extremas Arctici & Antarctici. Facit huc porro locus Lucani lib. 8. vers. 363. item lib. 10. vers. 250. vbi *frigus Arctoum* dixit quod Senecæ dicitur *frigidum Arcticum*. Hunc, quod sciam, Lucani locum annotatum Hypercriticis legere non memini; cùm alia eius haud punca sint, quibus nigrum calculum adiecerint. Quorum tamen aut excusanda quædam; alia, præsertim in Geographicis, & vindicanda & obelis ipsorum eximenda, alibi & suo loco monstravimus. Nam in Astronomicis, cuiusmodi hic locus est, iniuria sit vni impingere qui plurium error communis fuit. Sed hæc prolixiùs exequi, nec loci huius nec temporis sit. Aliæ horæ, alius dies huic Spartæ dabitur. Nec desiderari officium sinam, præsertim cùm iste Critices fructus & pars præcipua sit: nec acuat solùm judicia, sed animos quoque nostros multâ maximarum rerum copiâ & ex intimâ Philosophiâ repetitis disciplinis liberaliter instruat.

273. *Quæ fama modò venit ad aures.*] Ms. Cruserianus: *Quæ modò fama v. a. a.*

462. *An patiar vltro sanguinem nostrum peti*
Invisus & contemptus, vt subitò opprimar?] Liber Cruserianus, *invitus*. Sed verum est, quod hærebat in Cantabrigiensi, *Invictus & contemptus*.

484. *Nutuq; terras, maria subiecit tuo.*] Idem Scriptus: *Nutuique.*

824. *Funerea Roma, quæ viros tales tulit.*] Idem: *Funesta Roma.*

876. *Tandem vt residat pectoris nostri tumor.*] Imò *timor.* & ità Cruserianus.

889. *-quodve tyrannus*
Aut exilium fortuna iubet.] Vox *fortuna* perperam repetita ex versu antecedente. Codex Cruserianus verissimè, *regina*, Poppæa enim intelligitur. Et ità quoque editiones novissimas præferre, monitumque Commelino, postmodum cognovi.

Hæc erant, Scriveri eruditissime, quæ occasione Basiniani Codicis, & accuratæ hujus editionis tuæ, ad Senecæ Tragœdias dicenda postliminiò & veluti retractanda habui. In Analectis & alijs observationibus nostris, quas olim adolescentes dedimus, si quid hac parte commissum, aut aliter quàm hîc dictum, id indictum esto.

FINIS.

GEORGII FABRICII
CHEMNICENSIS

In
SENECÆ
Tragœdijs

LECTIONIS DIVERSITAS.

Primò Lipsiæ cum Senecæ Tragœdijs anno M.IↃ LXVI. *iuris publici facta, & secundò nunc Lugd. Bat. concinniùs edita.*

cIↃ IↃ c. xx.

DD. OTHONI HENRICO & FREDERICO
fratribus,

Jlluſtris Ducis ac Domini
WOLFGANGI PALATINI RHENI,
Ducis Bavariæ, Comitis Veldentij, filijs,
S. D.

GEORGIVS FABRICIVS
Chemnicenſis.

De Tragœdiarum vſu.

CVm è ſcriptis veterum vniverſis grata & ſalutaris capiatur vtilitas; tum è lectione Tragicorum præcipua atq; ſingularis. nam de viris ſummis, eorumq; factis magnis & inuſitatis agens, non minùs eos qui potentiâ eminent, etſi eos potiſſimùm, quàm quemvis è vulgo, de varietate caſuum & vitæ hominis multiplici calamitate informat. Quod loco poſitum excelſo eſt, in oculos plurimorum incurrit, & quod viris metuendum principibus, idem perſonis vilioribus poteſt accidere. quod autem accidit omnibus, id mente & cogitatione debet præcipi, vt aut avertatur periculis aliorum, aut mitigetur ratione & conſtantiâ. Miſeriarum in vitâ veriſſimè cauſſa prima eſt, in ignoratione contemptuve Dei, pietatis neglectio, & ſuarum virium aut excellentiæ nimia & inſolens fiducia, quæ nulli vnquam vel illuſtrium Heroum, vel Regum clariſſimorum fuit impunis. Accedit ad hanc imperiorum cupiditas ve-

hemens, quæ ita regnat in animis, vt nulla plures ab officio deduxerit, pœnè invictos ab alijs vitijs & delictis homines. Extrema causa, quâ pudor violatur & integritas, turpissima est, & habet belluinum quiddam in mentibus abiectis & depravatis ignaviâ, otio, fortunâ. In Heraclidarum, Æacidarum, & Pelopidarum familijs videre hoc licet. quæ vt in Græciâ celeberrimæ, ita præ cæteris calamitosæ fuerunt. Heraclidas oppressit fastus & arrogantia, quâ Dijs voluerunt & esse & haberi æquales: indè superba illa vox est, licet à muliere profecta,

Quidquid negabat Iupiter, dabat Hercules.

E gente Æacidarum, quæ rerum præclarè gestarum excellit magnitudine, qui secundùm naturam, morte videlicet placidâ interierit, invenio neminem, quia cedere de dignitate & iure voluerunt nemini. Inter Pelopidas tanta turpitudinum confusio, tanta immanitas fuit, vt si vltio divina nulla sit, ipsi se invicem irâ & furijs vlti videantur. Nam quod Poeta sapiens canit,

Iræ Thyesten exitio gravi Stravere,

non de solo Thyeste, sed de totâ illâ familiâ flagitijs obrutâ dici potest. Verùm non aulæ tantùm & domicilia Regum, facinoribus atque sceleribus olim nomen infame habuerunt: sed in vitâ etiam communi obijciuntur facta tristia & horrenda, & in multitudinis moribus pessimis audiuntur & cernuntur ferè quotidie. Quod enim vnquam seculum tam florens, quæ tam sancta civitas, quod regnum tam benè constitutum fuit, in quo exempla flagitiorum ingentium non extiterunt? Ea nosse, vtile est; vitare, pulchrum; salubre, non imitari; punire, rectum,

rectum; abominari omni ratione omnibusque sensibus, præclarissimum. Itaque voluerunt veteres illi sapientes, scelerum pœnas extare, & sceleratorum exitus miserabiles, simulq; obijcere oculis familiarum, vrbium, regnorum exstirpationes & interitum, ne similia alij auderent, & perpetrare nefaria omnes homines horrescerent. Fidem existimabant à magistris mutis, ea quæ odiosa essent & acerba, accipi & admitti facilius, quàm si à familiaribus & propinquis dicerentur: item si factis & eventibus peregrinis aut à memoriâ suorum temporum remotis, suos Reges aut Principes docerent, videbant esse minùs periculosum. eam ob rem eligebant nobilissimorum quorumque exempla, quasi magis conspicua, magisq; ad animos permovendos apta, quàm si hominum vulgarium sumpsissent: tum in scenam ea producebant, ne quem omninò laterent, etiam antiquitatis & humanitatis imperitum. Quàm grave sit admonere potentem aliquem, docet Antisthenes, quem Rex Macedo per Asiæ civitates ludibrij causâ mutilatum circumduxit. Quàm non tutum obiurgare tyrannũ, Zeno Eleates & Anaxarchus Abderites testãtur, qui incavis molaribus à Nearcho & Nicocreonte saxeis pilis sunt cõtusi. Tales exitus etiamsi terreant, tamen doctrina virtutis & modestiæ, & defensio veritatis, aut libertatis fiducia, deponenda non est: sine quâ vita honesta aut laudabilis non potest existere. Quamobrem discriminis vitandi caussâ, & simul retinendæ honestatis, hæc scripta Tragicorum introducenda in domos illustres sunt, quæ plus splendoris & efficaciæ habent, quàm vlla Philosophorum repleta doctrinis & subtilitate volumina.

ne-

neque ſolùm in Tragœdiâ eruduntur, qui cum poteſtate ſunt, ſed omnis generis docentur homines, ſi qui aut conſilij indigent, in rebus dubijs; aut conſolationem expetunt, in adverſis. Id Timoclis antiqui Comici non verbis quidẽ, ſed verborum eius ſententiâ expreſſa, etiamſi prolixior paulò ſit, libet exponere, vt habeat maiorem auctoritatem oratio. Is in hunc modum,

Naturâ expoſitus eſt homo laboribus,
Et multa acerba vita fert mortalium.
Hæc ergo curarum invenit ſolatia,
Cùm mens gravis moleſtiæ obliviſcitur,
Nacta ex aliorum aliquod levamen caſibus,
Facta & minore cum periclo doctior.
Hoc experiri in Tragicis, ſi cui libet,
Licet; nec is magnum laborem luſerit.
Qui pauper eſt, dum nõ minùs quàm Telephum
Se egere ſentit, fert malum quietiùs.
Inſanit aliquis? Alcmæonem reſpicit.
Coecutit? Oedipi levat damno ſuum.
Orbus quis eſt? lamenta Niobes cogitat.
Claudus? reminiſcitur Philoctetæ pedum.
Habet Oeneum, quiſquis ſenex eſt & miſer.
Quicunque alijs quid accidat putaverit,
Erit in ſuis alacrior periculis.

Prodeſt igitur & viris maximis in quavis fortunâ, & alijs itidem à cultu non abhorrentibus, ſcriptorum Tragicorum cognitio, & ad experientiam & ad levationem doloris, & ad multa vitæ munera. Ideo & in Theatris & in Bibliothecis meritò locum habent; eoque magis afficiunt atque rapiunt, quòd præter ea quæ diximus, quaſi nativis plena ſint affectibus, quibus ſæpenumerò aut ſpectantium oculi, aut animi le-

gen-

gentium, ita actione quadam speciosâ, aut impetu acri permoventur, vt & irascantur cum Hercule, & cum Hippolyto doleant, & lamententur cum Antigonâ. quod ijs, qui Tragicorum fuerint spectatores, accidisse, se recordari ait Protarchus ad Socratem, ἐστὶ γὰρ τῆς ποιήσεως δημοτερπέστατον καὶ ψυχαγωγικώτατον, ἡ τραγῳδία, *vt in Minoë Plato affirmat. Tam aspectu horrida Thebarum eversio, aut incendiũ Troiæ vix fuerunt, vt in Tragœdiâ à captivis mulierculis & ab exulibus afflictis referuntur; certè magis grandia miserave esse non potuerunt. Nec tamen in hoc scripti genere omnia de Historijs desumpta sunt, vt Sphinx Epicharmi, & Euripidis Cyclops: sed pleraque ad veritatem accedunt, aut commodam ex naturâ interpretationem habent, aut monstris quibusdam tyrannos & latrones efferatos depingunt. Excitantur ipsi ab inferis mortui; excitantur interdum Furiæ; vt quod verbis nequit declarari, imagine torvâ aut præter naturam factâ, mirè repræsentetur: quæ imago stans in orchestrâ & admirationem & horrorem incutit. Neque enim fuit minima delectatio in illâ conformatione, quam ὄψιν Græci vocant; neque non vim nullam ad res ipsas animis infigendas habet evidens & animosa descriptio. Diligens igitur & assiduus Tragœdiarum lector, non vt histriones aut actores illi veteres, vtrem musto repletum accipiet; aut (vt Poëta canit)* vilem certabit ob hircum: *sed præclarum vitæ specimen, insignia sapientiæ præcepta, & varietatis fortunæ exempla comparabit.*

Relictus ex eorum scriptorum numero apud Latinos solus est. L. Annæus Seneca, qui etiamsi Actio

aut

unt Pacuvio, antiquâ illâ gravitate, nervisq; ac lacertis, & incorruptâ ſermonis priſci puritate ſimilis nõ ſit; tamẽ in ſententijs concinnandis & expoliendis verſibus multũ elaboravit, captavitq; facilitatem quandam naturæ non inconvenientem, & (vt mihi videtur) propemodum populárem, ac, vt propiùs dicam, Ovidianæ multis in locis ſimilem. Dicere ſolitus fuit Philippus Melanthon vir Clariſſ. cùm de antiquioribus loqueretur, ſe vina vetuſtiora tanquã rancidula minùs probare; quæ tamen nonnullis videntur optima atque ſuaviſſima. Sentit cum eo Ludovicus Vives, qui ideo Latinorum veterum libros non conſervatos ſcribit, quòd rudes atque impoliti fuerint: neque Fabius negat nitorem & ſummam manum in excolendis operibus, ipſis defuiſſe. Sed vt ſenſus in diverſis rarò eſt idem, ſic ſententia diſcrepans plerumq; animadvertitur. Idem in alijs fit artibus, vt in ſignis Canachi & Myronis; tabulis Polycleti & Xeuxidis: aliorũ forma propter rigiditatẽ, aliorũ propter iucunditatẽ fuit comprobata. Inter athletas Milonis toros nõ habuit Entellus, ſed nõ minùs hic Segeſtanus illo Crotoniata nominatur. Quocirca nec antiquis horror & gravitas, nec recentioribus lenitas obeſt & elegantia, quo minùs in pretio ſint, & ab omnibus legantur. Noſtrum quidem Tragicũ ita probavit Iohan. Regiomontanus, Mathematicus excellens, vt ſuâ eum manu diligẽter & venuſtè deſcripſerit; quem librum apud Georgium Agricolã præclarum Philoſophũ, à me viſum adoleſcens contuli, & ex eodem locos plurimos deformatos iam in aliquam reſtitui dignitatem.

Hic labor meus, vt ſit ſtudioſis acceptior, ad vos fratres principes, & domini illuſtres, Otho Henrice &

Friderice, iam defertur, honoris & obſervantiæ cauſſâ. nam cùm in hac ætate viridi, auſpicio optimi & ſapientiſſimi Principis patris veſtri, ingreſſi ſitis iter virtutis, & maiorum ampliſſimorum laudibus gloriâq; reſponſuri videamini; exiſtimavi vos decere poſt pietatis Chriſtianæ præceptiones, talia ſcripta evolvere, eruditionis gratiâ. de quibus cùm multa inter familiares veſtros viros honeſtos, & peritos, & à Martino Keplero, bono & erudito homine, tum à fratrum veſtrorum magiſtro, viro doctiſſimo, Petro Agricola audiatis ſæpiſſimè, plura ad vos ſcribere non convenit, neque neceſſe eſt. Tradit auctor nobilis, & boni Imperatoris doctor Plutarchus, χαλεπὸν εἶναι, γνώμῳ ἐχθρὸν πολὺ χρῆσαν, ἀπεχθάνεσθαι, loquens de Athenis: idem de aulâ iuſti & magnanimi Principis multò rectiùs dicitur. eius videlicet, qui Chriſti doctrinam novit, & ſtudia Eccleſiæ utilia evehit. Quod de præſtantiſſimo Heroë, patre veſtro, clari viri prædicãt, & vos inſiſtere veſtigijs laudatiũ affirmant. Ideo Principi ſummo, patri veſtro, benè precantur verè pij & docti homines; & qui cupidi literarum ſunt, vobis literarum & pietatis patronis optant eſſe commendati. Valete. E ludo illuſtri Miſeno, prid. Cal. Septemb. M. D. LXV.

Georg. Fabricius V. C. Henrico Paxmano Doctori Medico S.

Rura mea parva ſunt, tenues facultates, ingenium exiguum: & ſi quid ſum conſecutus, qualicunque labore & diligentiâ eſt comparatum. Tibi autem, cui ſum ſtipulatione obligatus, pro tuâ copiâ atque ornamen-

mentis, magna debentur: quæ in meis opibus non sunt, nec tamen liberare fidem posßum, nisi munere aliquo honorifico. Igitur quod sponte promisi, si non prolixè, fideliter tamen nunc solvo, pro nostri agelli mediocritate. Mitto munusculum literarium & ex eo literarũ genere, in quo olim Tirones & Tyranniones sunt versati, virorũ summorũ anagnostæ. id magnum fiet, si tu voles, æstimatione tuâ: à me aliud non exspectandũ, & è tali fundo, cuius tibi cultura notaest, dari uberius nihil potest. Accipe igitur donum ὀλίγουτε φίλουτε, *& accipe eâ voluntate quâ promisi, eodemque animo quo nunc offero: quod si facis, rem facis tuâ gravitate atque splendore dignissimam. Vale.*

FINIS.

GEORGII FABRICII Chemnicensis, In SENECÆ Tragœdijs LECTIONIS DIVERSITAS.

IN HERCVLE FVRENTE.

Versu 8. *Hinc quâ tepenti vere laxatur dies,*] In alijs, *lassatur*, in quo verbo nulla significatio est, huic loco conveniens. Laxatur dies, cùm fit longior: laxatur humus, cùm aperitur. Ovidius: *Sive die laxatur humus.*

18. *Mundus puellæ serta Gnosiace gerit.*] Scribendum, *Cnossiace*: nam Κνωσσὸς Straboni dicitur Minois regia.

19. *Sed vetera querimur: vna me dira ac fera Thebana* &c.] Bina epitheta sunt vitiosa. Sequor igitur Codicem antiquum, in quo legitur:

Sed vetera serò querimur: vna me fera &c. *Queri vetera*, speciem proverbij habet, vt *fera timere* in Thyeste. Mulieres Bœotiæ, quas Iupiter amavit, sunt Semele, è quâ Bacchus; Ægina, è qua Æacus; Alcmena, è quâ natus Hercules.

30. *- Bella, pace sublatâ, geret, Quæ bella?*] Antea legebatur, *Quid bella?* Sed repetitio magis ad affectum facit. vt illud, *Deum se in hominem convertisse, at quem Deum!*

62. *Et terna monstra colla devicti intuens,*] *Terna* ad tremorem aptiùs, propter multitudinem; quàm (vt in alijs) *tetra monstra*, propter qualitatem.

125. *Iam rara micant sidera* &c.] Chorus hic è duabus constat partibus, quarum prima in plerisque libris desideratur. In primâ hemichoriâ describitur vita laboriosa,

ſa, qualis paſtorum & nautarum eſt; quæ tamen in aſſiduitate operis ſecura eſt & tranquilla: In alterâ vita ſplendida hominum cupidorum, qui honoribus, divitijs, auræ populari aut gloriæ inſerviunt. Omnes admonentur, vt memores brevitatis vitæ atque mortis inſtantis, interdum lætiùs & liberiùs vivant. Concludit tamen in vitâ humili & quietâ τὸ ἀυτάρκειαν eſſe optimam. Idem argumentum tractant in ſuorum librorum initijs Horatius ad Mæcenatem, Tibullus ad Meſſalam.

222. *Pr luſit hydræ.*] Hæc bona lectio è Manuſcripto. quamvis Pontanus (Iovianus) *proluſit* alicubi citat. Ita in Hyppolyto,

Vt cæpit animos, ſeque prætentans ſatis
Præluſit iræ.

Item in Medeâ,

- Præluſit dolor Per iſta noſter

Herculis adhuc vagientis ærumna prima, quòd ſerpentes binos manu eliſit, & eo quaſi proagoniſmate (quod præluſionem vocare poſſumus) ſignificavit, quâ facilitate & ſucceſſu olim eſſet exſtincturus Hydram, & alia monſtra.

260. *E cuius arvis, eq; fœcundo ſinu*] Hæ duæ vocales *e* & *e* cum particulâ encliticâ ponuntur. alterius exemplum hoc eſt; ſuperioris illud Ovidij I. de Ponto,

Aque domo rurſus pulchræ loca vertor ad vrbis.

268. *Cadmea proles atque Ophionius cinis.*] Hic verſus ita ſcribendus, vt modò ſcripſimus, & propter carmen, & propter ſententiam. *Cinis Ophionius* eſt dentium ſerpentinorum pulvis, è quo ſeges hominum, & ferri meſſis fuit, nunc pro Thebanis ipſis accipitur. Ita in Oedipo,

Sacer Citheron ſanguine inundavit
Ophioniâque cæde.

269. *Quò decidiſtis?*] Rectius eſt, *Quò recidiſtis?* Id eſt, quò vobis mentes cecidere? Eadem numeri menſurâ vtitur Propertius lib. IV.

Recidit inque ſuos menſa ſupina pedes.

Ovidius X. Metamorphoſ.

Recidit in ſolidam longo poſt tempore terram.

285. *Præceps citato flumini quærens iter, Quondam dedisti:*] Hanc & sensus & versus lectionem exigit. In alijs, *steti-sti*, ineptè legitur; *fecisti*, inerudite. Intelligit fluvium Peneum, cui inter Ossam & Olympum, ruptis montium obicibus, viam fecit Hercules. quomodo de Tiberi, ab Agrippina deducto, canit Horatius,

- amnis Doctus iter melius.

875. *Thebis læta dies abest,*] Terentianus Grammaticus citat, *Th. l. d. adest.*

1127. *Telum Scythici leve coryti*] Errant in hoc nomine recentiores, qui primam corripiant, & vltimam aspirant: dissentiunt in exponendo veteres: nam Servius corytum interpretatur pharètram, Nonius Marcellus missile. Latini in pronunciando tenuem, quæ est apud Græcos, mutant in mediam. Est autem γωρυτὸς, τοξοθήκη: & Silius poeta, qui corytum vocat sagittiferum, ostendit Marcelli interpretationem esse falsam, quod poetæ probant meliores; separatim enim ponit corytum & arcum Virgilius: item corytum & tela Ovidius: ille præterea testatur eiusmodi pharetrâ vsos Etruscos; hic Getas & Sarmatas; Seneca hoc loco Scythas. *Læve telum* heic intelligo, habile & pondere minùs onerosum.

IN THYESTEN.

Huius Tragœdiæ vera hæc est inscriptio, vt libri docent, & viri docti eam citant. Vnus Dominicus Nanus, quæ ex eâ adducit, è TANTALO omnia adducit, in suâ Polyantheâ. Quod dicendum fuit, ne quis diversas putet, aut Tantalum scriptum à Seneca sibi persuadeat: cuius nominis nondum adhuc aliam inveni tragœdiam citatam, nisi Phanoclis apud Græcos, Pacuvij apud Latinos.

Versu 100. *Sequor: Nunc ô furorem divide in totam domum.*] Legendum est,

Sequor. MEG. *Furorem divide in totam domum.*

Otiosa igitur tollenda sunt, & persona Furiæ interponenda.

nenda. Apponit aliam vocem Avantius, ſed ſupervacaneam: *Sequor hunc furorem* &c.

156. *Illudit patulis arbor hiatibus*] *Illudit*, id eſt, cibum ſperatum detrahit. Alij *Alludit*, quod non minùs probari poteſt.

220. *Quid enim reliquit crimine intactum?*] Alij, *Quod enim reliquit crimen intactum?*

232. *Fatale ſaxeo pecus muro tegens:*]Bocatius & Avantius citant,

Fatale ſacro paſcuum muro tegens.

Nec aliter exemplar Pincianum, excuſum Venetijs. *Fatale paſcuum* intelligendum, vt apud Horatium *Fatale monſtrum:* & *paſcuum pecus* hic dicitur, quod apud rei ruſticæ ſcriptores *paſcuale*: Coniugem Atrei, *arietis chryſomali proditricem* idem Bocatius vocat *Meropem*, Raviſius *Europen*, Ægius Apollodori Athenienſis interpres, *Æropen*. Sed hi omnes ſunt libris depravatis, & nominum aliorum ſimilitudine decepti; cùm eius nomen ſit diſtinctis vocalibus *Aerope*, cùm apud alios, tum apud Euripidem in Oreſte, λέκτρα πρήσσας Αἰγίσθου δολίᾳ. Ovidius 11. Triſtium,

Si non Aeropen frater ſceleratus amaſſet.

In quo loco & Gallicæ & Germanicæ editiones ferè ſunt corruptæ.

233. *Hunc facinus ingens auſus* &c.] Hæc verba, *facinus ingens*, ſi in parentheſi ponantur, maiorem exprobrationem habent, & odium iuſtius concitant.

241. *Animoſq; ſume; Tantalum & Pelopem adſpice.*] Senſus eſt, Aude aliquid immane & nefarium, in eoque perpetrando & avum & patrem tuum imitare. Alij aliter hæc verba legerunt & diſtinxerunt, cum quibus ſentire non poſſum.

257. *Supraq; fines moris humani tumet.*] *Tumet* ſignificanter, non *timet*. Sic infra,

-Atreus ſævit, atque irâ tumet.

Item,

Ponatur omnis ira, & ex animo tumor.

Et Virgilius,

- tumor omnis & iræ Conſedêre.

Ira eſt ſævientis, *tumor* furioſi.

329. *- multa ſed trepidus ſolet Detegere vultus.*] Manuſcriptus, *multa turbidus ſolet*, omiſſâ coniunctione. Vnde conijcio legendum,

- multa turbatus ſolet Detegere vultus:

vt, *Turbatumque oculis.*

388. *Rex eſt qui metuit nihil.*] In Manuſcripto poſt hunc talis additus verſus eſt,

Rex eſt quive cupit nihil.

Sed eſt ſine dubio παρεμβεβλημένον.

517. *Hæ te precantur pedibus iniectæ manus.*] In alijs *iniunctæ*, in alijs *invictæ*, in vulgatis *intactæ*. quæ diverſitas lectionem à librarijs mutatam apertè demonſtrat.

525. *-Ornatus cape, Quales mei, lætusque frater imperij Capeſſe partem.*] Ita interpretes; nec aliter libri vetuſti: nam ordo verborum ante hac diſcerptus, & diſtinctio fuit depravata.

562. *Pallidæ matres tenuëre natos*] Legendum,

Pallidæ matres timuëre natu,

Vxor armato timuit mari.to.

Quæ repetitio auget affectum, & huic auctori valdè vſitata, & Tragicis, quàm alijs ſcriptoribus, magis propria.

605. *- moventes Cuncta divitias, metuitque caſu.*] Quid in hoc verſu, quod ad carmen attinet, ſit novatum, ſuprà (in libello de Carminum apud Senecam generibus) dictum eſt. Theodorus Beza, vt numeris conſuleret, alicubi legit, *- moventes Cuncta dynaſtas.* Quæ lectio aliena ab hoc loco, & diverſa ab exemplaribus. De divitijs cuncta moventibus ait Æſchylus,

πὰ πάντα χρυσῷ τίμνιτας καὶ πεδᾶτας.

Noti ſunt in eandem ſententiam verſus Horatiani.

640. *- effer, auctorem indica.*] In alijs, *ede & auctorem indica*, ſenſu & elegantiâ eadem.

716. *Primus pietati, ne deeſſe pietatem putes.*] In numeris eſt abundantia. igitur ſcribendum,

Primus locus, ne deeſſe pietatem putes.

Filij Atrei, quos ei frater appoſuit, tres fuerũt: vnde alibi,

- libe-

- liberis plenus tribus In me ſepultis.

Tragicus eorum nomina dicit fuiſſe, Tantalum & Plifthenem, tertium nomine non exprimit; quem & Hyginus omittit. Tres itidem recenſet Interpres Euripidis, ſed alijs nominibus, Aglaum, Orchomenum, Caleum.

827. *Trepidant noſtra pectora*] Legendum πυθητικῶς.

Trepidant, trepidant pectora magno Concuſſa metu.

Quam repetionem approbo, è Manuſcripto.

IN THEBAIDE.

Verſu 6. *- quæ me ab hac vita extrahat, Et hoc nefandi capitis*] In Manuſcripto, *Et qua nefandi capitis.*

63. *In plana tendis? vado. prærupta expetis? Non obſto.*] Quòd hæc lectio nunc plana, & ſententia non prærupta, Codici debetur veteri.

116. *Vbi torva rapidus ducat Iſmenus vada.*] In alijs, *rapidus devehat.* Iſmenus notus Thebarum Fluvius.

122. *- hoc ſaxo inſidens*] In Antiquo, *hoc ſaxum inſidens.* quæ lectio eſt & in Pinciano. vt, *Quas venata foret ſilvas.* Item, *opacas fuſus in herbas.*

129. *Quicunque Elim, Parnaſſon & Bœotios*] Avantius *Elim* ait dictionem eſſe ſuppoſitam; quod cur dicat, ignoro. Recenſet diverſas vrbes, Thebas in Bœotiâ, quam deſignat à fonte: in Laconia, Spartam, etiam a fonte, & à fratribus geminis Caſtore & Polluce; in Achaiâ, Elim: in Phocide, montem Parnaſſum. donec ad Thebas patriam redeat. Itaque omnem viciniam advocat, ad intelligenda ſuæ gentis inaudita ſcelera atque flagitia, quibus ne Sphingis quidem ænigmata ſimile quid cõtinuerint, facinorũ varietate & inſolentiâ.

182. *Pauca ô parens* &c.] Scenæ novæ initium hîc nonnulli temerè (vt exiſtimo) ponunt: in quâ verſus primus in Antiquo ſic legitur,

Pauca ô parens miſeranda magnanimæ precor.

Nec aliter conſtant numeri, aut oratio.

402. *Et impia arma mater oppoſita impedi.*] Hæc ſincera ſcriptura eſt. Paulò poſt,

Ibo, ibo, & armis obvium opponam caput.

Item,

- Media ſe opponit parens, Proinde bellum tollite.

403. *Perge ó parens,*] E ſimilibus locis, & libris melioribus lego, *Perge, i, parens.* Ita in Oedipo,

I, perge, propero regiam curſu pete.

Item,

I, gradere præceps.

417. *Et ecce motos fletibus credas meis.*] In alijs, *Excute metus,* planè contra ſententiam. Legendum eſt, *Ecce, ecce motos.* Alibi, *Ite, ite, Danai.* Et ſupra, *Ibo, ibo,* &c.

449. *-ponitis ferrum ocyus Ac dico? & ex quo dexteras matri datis, Date, dum pie ſunt.*] Mirè hîc corruptum carmen, quod nec Avantius exemplarium collator, nec Bernardinus interpres, totum repoſuerunt aut diſtinxerunt. In Regiomontani libro omnia bellè cohærent,

-ponitis ferrum ocyus
Ac dico? & ex æquo mihi dextras datis?
Date, dum pie ſunt.

In pervulgatis etiam alia lectio fuit, quam nolui referre, quia his omnibus eſt corruptior.

465. *Qui tot labores totq; perpeſſus mala.*] Evidentius eſt *Tu tot labores totq; perpeſſus mali. (mala.)*

535. *-per decem menſûm graves Vteri labores,*] *Menſûm* pro *menſium* τῇ ἐξαιρέσει, quâ & Ovidius in Faſtis, & in Metamorphoſi vtitur, & Honorius Fortunatus,

Nobilitas anni, menſûm decus.

IN HIPPOLYTO.

Verſu 4. *Quæ ſaxa ſolo Carpaneto Subiecta iacent.*] Quid hîc ſit *Carpanetum,* quid *Philippi* in alterâ paginâ, ego neſcio, & ad doctos reijcio cenſuram: quorum malo ſententiam audire, quàm ineptire coniecturis. Campum *Thriaſium Marathonio* contiguum, è Plinij lib. IV. conſtat: vnde

de *porta Thryasia* Athenis, quæ in eum campum duceret, à Plutarcho nominatur in Pericle. *Ilissus* eiusdem Atticæ regionis amnis est. Statius in Thebaide,

- am fractu riparum incurvus Ilissus.

Præterea *Mæander* Atticus ab illo Phrygio Cariæ discernitur, quòd in plano fluat, quòd sit lentus, quòd aquæ non multæ.

20. *Nocturna petunt pabula fera.*] Vt constet anapæstus, legendum est, *fœta.*

52. *Tu præcipites clamore feras Subsessor ages.*] In venatione, & in exercitu, *subsessores* dicuntur qui sunt in insidijs: vnde etiam domestici hostes pudicitiæ, *subsessores* nominantur à Val. Maximo, ἔφεδροι ἢ τὰς ἐυνὰς ὑποκλεπτόμβροι, vt Sophocles. Absente Agamemnone, vt canit Virgilius, *domi subsedit adulter*, quia Ægisthus patruelis sui vxorem incestu polluit, & reversum è bello regem per insidias interfecit.

76. *-fertur plaustro Præda trementi.*] Abiectâ glossâ verum verbum è veteri Codice restituo, *plaustro præda gementi.* Eadem Metaphorâ Virgilius,

Nec cessant plaustris vectare gementibus ornos.

Et Horatius,

Et malus celeri saucius Africo
Antennæq; gemunt.

Errori caussam dedit similitudo, quæ est inter utrumque participium. E tali occasione mendum est in Nuce Ovidianâ,

Has puer aut certo rectas dilaniat ictu.

Ita in vulgatis perperam; in Manuscripto, *delineat.* Id est, oculis manuque ad ictum designat: pro quo Erasmus, *dilaminat*; Merula, *diverberat*; vterque ex opinione. nam qui scripserunt, *dilancinat*, longiùs à veritate & proprietate sermonis discessérunt.

147. *Erras: teneri crede Lethéo abditum Thesea profundo*;] Quorum aliter habent exemplaria, manifestè sunt corrupta.

322. *Luteo plantas cohibente socco.*] Obijcit hunc locum Sigonius Robortello, tanquam eius interpretationem è

Guer-

Guerrino deſcripſerit. Vſas luteis flammeis ſponſas, auctor eſt Lucanus II. Pharſal.

Lutea demiſſos velarunt flammea vultus.

Soccos luteos etiam in uſu fuiſſe, hic locus oſtendit: Veſtes quinimò luteas, ille in Oedipo,

Crine flaventi ſimulata virgo
Luteam veſtem retinente zonâ.

Vnde omnem ſponſarum ornatum primo nuptiarum die fuiſſe colore luteum, materiâ byſſinum colligimus.

378. *Et qui tenebant ſigna Phœbea facis Oculi.*] Alij, *Et qui ferebant ſigna*. Oculum Polyphemi ait Virgilius fuiſſe

Argolici clypei aut Phœbei luminis inſtar.

Sed noſter de vigore Phædræ loquitur, Virgilius de Cyclopis vaſtitate.

431. *Quid huc ſeniles* &c.] E Manuſcripto, novæ ſcenæ fecimus initium.

470. *Quæ ſupplet ac reſtituit humanum genus,*] Ad vitandam περιλογίαν verſus ſuperioris, ſcripſimus *exhauſtum genus*, de libro antiquo.

490. *Non ille regno ſervit, aut regno imminens Vanos honores ſequitur,*] Alia lectio fuit in impreſſis; hæc ſuperiori ſententiæ cum participio annexa, melior viſa eſt, quæ hoc dicit. Multi carent regno, ſed non carent cupiditate: multi regibus neceſſitate, non officio parent.

504. *- feſſus gravi Labore, niveo corpus Iſmeno fovet.*] Iſmenum hîc *niveum*, & infra Araxem nominat, quaſi ἀργυροδίνας; vel *niveos* dicit, propter aquarum perſpicuitatem. Iſmenus olim *pes Cadmi* dictus, antequam in eum inſilijt vulneris dolore Niobes filius Iſmenus, ab Apolline telo transfixus.

520. *Captaſſe fontem, ſi celer ſomnus premit Secura diro membra verſantem toro.*] Quid ſit emendatum, cognoſcent ij, quos inſpicere priores Codices corruptiſſimos non piguerit.

599. *En, incipe anime.*] Manuſcriptum, *Age, incipe anime.*

660. *In ore Graio Scythicus apparet rigor.*] Quod amanti modò

modò decorum eſt, alibi non laudatur, vt ſit

- *Romano Belgicus ore color.* Vt Phædra Hippolytum, ita Polybæa Tennem, Damaſippe Ebrum amavit, novercæ privignos: Hippolytus in littore voto patris ab equis laceratus eſt; Ebrus patris inſequentis impetum fugiens, in flumen ſe coniecit; Tennes à patre in mare præcipitatus.

702. Quacunque greſſus tuleris, hoc amens ſequar.] Præfero Venetam editionem, in quâ legitur, *hac amens ſequar.*

782. Laſciuæ nemorum montivagæ deæ.] In Manuſcripto, *multivagæ deæ.* in altero enim Choriambico *montivagæ* ſcribitur.

825. Nefanda iuveni crimina inſonti apparat.] Rectiùs, *parat.* & mox, *arte fœmineâ dolus. Fœmineum* dicitur plerunque, quidquid parùm decorum aut moderatum eſt, vt *Fœmineo vlulatu.* Ita, *Fœminei metus.* &, *fœminea nequitia*, &, *fœminei doli*, in Medeâ.

919. Animiſq; pulchram turbidis &c.] Legendum:

Animiſq; pulchram turpibus faciem induis,

ex Avantio & Regiomontani Manuſcripto. Dici poteſt in eos, quorum tegit turpitudinem forma, ingenium facies, malitiam conſuetudo.

1030. Fluctus refundens ore phyſeter capax.] Manuſcriptum, & editiones aliquot hoc loco corruptæ fuerunt: cui autem debeatur lectionis veræ reſtitutio, mihi ignotum eſt, alioquin eius induſtriam animo grato prædicaſſem. Phyſeter & priſtis è cetorum numero ſunt, monſtra Oceani, molis immenſæ, quæ horrendum in modum aquas ſorbent & regerunt: navibus malum terribile. Tali monſtro inuſitato & immani nunc phoca ſeu bellua tauriformis (τὸν τ' θαλάσσης ταῦρον Aſclepiades vocat) comparatur, quam Theſei rogatu Neptunus immiſit innocenti Hippolyto. Diverſa autem monſtra eſſe appareret, diſſimilique robore ac viribus, cùm alterum fluctus impetu ingenti refundat, alterum totas naves ingurgitet ac reijciat.

1085. Præceps in ora gnatus implicuit cadens] Aliter Manuſcriptum,

In ora præceps fusus, implicuit cadens,

Et ita verè legi existimo.

1118. Haud flere honestè quisque, quod voluit, potest.] *Quisque*, pro *Quisquam*, vsitatum quidem, sed non huic auctori. vnde Avantius talem lectionem annotavit,

Haud quisquam honestè flero, quod voluit, potest.

Quæ mihi non displicet.

1124. Minor in parvis fortuna furit,] Lego, *Minus*, vt respondeat illi, quod sequitur, *Leviusque ferit leviora.*

1140. Circa regna tonat.] Hæc verba ad sententiam nihil faciunt, nisi plura addantur, quæ fortasse desunt: præterea turbant metrorum ordinem: ideo ea prætermisi, vt numeri sint aptiores.

1169. -membra quis sævus Scinis, Aut quis Procrustes sparsit?] Sic legendum, vel Ovidij testimonio, qui canit in Heroid.

Cùm fuerit Scyron lectus, torvusque Procrustes,
Et Scinis, & tauri mixtaque forma viri.

Latrones in Græcia noti; *Scyron* propè Megara, de quo tragœdiam scripsit Euripides, & *petræ Scyronides* locum dederunt proverbio; *Procrustes* in Atticâ, *Scinis* in Achaïâ; hunc Plutarchus *Sinnim* nominat in Theseo; Pausanias *Sinin* iu Corinthiacis. De *Minotauro* nota fabula est.

1269. Hæcne illa facies igne sidereo nitens?] Legendum, *Hæ*, omissâ encliticâ, solito antiquis more. Facies sideribus similis tribuitur Heroibus, vt hoc loco Hippolyto; apud Apollonium Polluci, de quo dicitur ἀρρενίῳ ἀπάλαμνον ἰσίην; apud Horatium cuidam Telepho. Tribuitur & Heroinis, vt Ariadne à Catullo, Daphne ab Ovidio.

IN OEDIPO.

Versu 61. *-ut alium regerat in eundem locum.*] Sensus postulat, *in eundem rogum.* Nec aliter Manuscriptum.

119. Terga fallacis metuenda Parthi.] *Fallacis* legit debet, non *conversi.* hoc enim vsus paulò ante est.

167. -du-

167. *- durus senior, Navita crudus vix assiduo* &c.] Duplex appositio, *senior durus, qui est crudus navita.* Qui pro *crudo* scripserunt *Charon*, numeros non observarunt.

197. *Prostrata iacet turba cadentum, Oratque mori.*] In Manuscripto, *iacet turba per aras, O. m.*

203. Observandum quod in Manuscripto scribitur *Creo*, terminatione Latinâ.

223. *Sit precor tutum visu, auditu horridum.*] Hic trochaicus planè dissolutus fuit, quem ex Caietano & Avantio in hunc modum restituisse videor,

Sit, precor, dixisse tutum; visu & auditu horridum.

Nec aliter vetus Manuscriptum.

434. *Nunc Edonij pede pulsavit Sola Pangei*:] Legendum, *Edoni*, mediâ productâ. Reprehenditur à Servio Donatus, qui secundam in hoc nomine syllabam statuerit corripiendam. Æschyli tragœdia fuit, ἐν ἠδωνοῖς.

470. *Lactea Massageta, qui pocula sanguine miscent,*] Hic versus contaminatus est, & ille, cui adhæsit, in editionibus Basilienſibus omittitur. Sic autem habet Manuscriptum,

Laxavit victos arcus, Geticasque sagittas,
Lactea Massagetos qui pocula sanguine miscet.

Vltimus expressus de Dionysio, ---ἵππον
αἵματι μισγόντες λευκὸν γάλως ἐδῶδα τίθενται.

472. *Sensere terræ Zedacum feroces.*] Zedacum populus quis sit, me nondum legere memini.

487. *Præsentem Bacchum coluit noverca*] Ratio carminis postulat, vt legatur, *Præsidem Bacchum.* Idem annotatum ab Avantio. Ita paulò post,

Te fatidice, te præsidem veri Deum
Compello.

Non aliter ac Cybeles ministri audito tibicine Phrygio, statim furore corripiebantur: ita sono bacchantium percepto Liberi cultores, in similem insaniam incidebant.

524. *-Sæpè quàm lingua, magis Regi atque regno muta libertas obest.*] E prioribus lectionibus varijs, nulla potuit elici simplex sententia, quæ nunc nihil obscuri habet, si legatur vti nos scripsimus. Verborum ordo est, *Sæpè mu-*

ta li-

za libertas magis obest regi atque regno, quàm lingua.

550. *Tum fossa tellus,*] Ita liber antiquus. Intelligit scrobes, qui Dijs inferis fodiebantur, de quibus Porphyrius Homeri interpres, & Ovidius VII. Metamorphos.

Haud procul ingestâ scrobibus tellure duabus
Sacra facit.

563. *- irrigat sanguis focos,*] Liber Regiomontani, *sanguinem libat focis*: eadem quidem sententiâ, sed meliore hoc loco formâ.

617. *- sequitur & Bacchas lacer Pentheus.*] Alij; *sacer.*

641. *Magisq; monstrum Sphinge perplexum suâ.*] *Magis perplexum*, nota comparativi circumscriptio; ideo alteram lectionem abijcio. De Sphinge monstro satis Palæphatus. Eius imagine pro insigni vsi sunt Parthenopæus rex Arcadiæ, vt est apud Æschylum: Augustus Cæsar, vt nummus quidam æneus declarat.

776. *Inter senemque iuvenem*] Hic ordo in vetustissimis. Ovid. XII. Metamorphos. *-ætas inter iuvenemque senemque*
Temperie medius.

787. *Edissere mihi, quo cadat fato parens?*] Alibi, *Edissere agedum, q. c.* Quæ lectio melior. Infrà,

Edissere agedum, flamma quo victa est modo.

911. *Sed quid hic postes sonat?*] Versiculi tres trochaici, in libro Regiomontani sic scribuntur,

Sed quid hoc? postis sonat,
Mœstus & famulus manu
Regius, quassat caput.

Alius antea fuit ordo, alia distinctio, alia lectio.

915. *Prædicta postquam fata, & infandum genus.*] In Manuscripto, *infandum scelus*: sed alterum melius. Nec aliter citat Rodolphus Agricola.

1010. *- nam quid te vocem, Gnatumne? dubitas, gnatus es, gnati pudet.*] Hæc lectio est in Antiquissimo. Nec aliter scriptum inveni in editione Pincianâ.

1057. *-Ite, ferte depositis opem.*] Non *dispositis*, vt in margine annotatũ, sed *depositis* legi debet. Sunt enim *depositi*, desperati, vel salutis desperatæ, vt Servius & Asconius. Virgil.

Ille vt depositi proferret fata parentis.

IN

IN TROADE.

Versu 14. *Exciſa ferro eſt. Pergamum incubuit ſibi:*] In vetuſtis,

Exciſa ferro eſt, Pergamus incubuit ſibi.

[Ipſe edidit,

Exciſa ferro eſt Pergamos, incubuit ſibi]

15. *En, alta muri decora congeſti iacent.*] Ordo eſt, *muri congeſti, alta decora.* quomodo Virgilius,

Auratasque trabes, veterum decora alta parentum.

56. *– non tamen ſuperi ſat eſt.*] Ita Codices quos vidi quæ lectio ſi placet, nomen *ſuperi* per parentheſin ſcribendum. *-Non tamen (ſuperi) ſat eſt*; vt ſit, admirantis. Similiter Catullus,

Heu mihi quid faciant (dij) homines, cuive habeant fidem?

57. *Domum ecce Priami*] Alij, *Dominum:* alij, *Donum,* nullo ſenſu. *Domum* autem *Priami* intelligit filios, nepotes, nurus, qui eſſent fortè inter victores ſuperbos diſtribuendi.

87. *– veſte remiſſa*] In alijs, *revulſa.*

134. *Bis pulſata Dardana Graio Mœnia ferro:*] *Pulſari,* quod eſt in vulgatis, nihil habet vnde dependeat; cui lectionem mei Codicis prætuli. Troia bis capta; ſemel ab Hercule, iterum ab Agamemnone: bis paſſa ſagittas Herculis; primùm Hercule ipſo immittente, deinde easdem importante Herculis armigero & ſagittarum hærede Philoctete.

199. *Coeunte terrâ iunxit.*] Melior lectio, *viſit.* id eſt, reviſit.

428. *Exoritur aliquod maius è magno malum.*] Manuſcriptum, *è malo malum.* Vt Terentius, *Aliud ex alio malum.* De Homero ſumptum, κακὸν ἐκ κακοῦ ἀιεὶ: aut de Apollonio, κεδόθεν ὄ κακὸς κακόν.

837. *An ferax varij lapidis Caryſtos?*] Legit hoc modo Cæſar Scaliger; nempe *varij lapidis.* Caryſtium marmor macularum varietate commendant Strabo, & Plinius:

& factas ex eo columnas, Tibullus & Martialis. Vt autem lectionem Scaligeri probo, ita scansionem eius non probo; de quâ suo loco dictum est.

923. *Ignosce Paridi, iudicem iratum puta*] Rectius videtur, *iudicem irritum puta.*

934. *Dic, fare quicquid subdolo vultu tegis.*] Eiusmodi vocum συνωνυμίαι alibi dicit, *I, perge.* Item, *Ede & enarra.*

946. *Vide, ut animus ingens*] E' vestigiis libri antiqui scripserim,

Viden' animus ingens latus ut audierit necem.

Infrà,

Viden' ut laudis conscia virtus?

Virgilius, *- viden' ut geminæ stent vertice cristæ?*

958. *Cinis ipse nostrum sanguinem ac tumulus sitit.*] Translatus de Ovidio locus est, ex Metamorphosi. ubi hæc querela Hecubæ legitur,

- cinis ipse sepulti
In genus hoc sævit, tumulo quoque sensimus hostem,
Æacide fœcunda fui. -

971. *- Huc & huc sparsas feret.*] Ita legendum propter carmen; ut & infrà,

Talis recursat huc & huc motu effero.

1097. *Morsus inanes tentat, atque animus tumet.*] Legendum, *animis tumet.* De quâ translatione suprà memini.

1145. *Perituræ laudant.*] In alijs, *Laudant perituram.* Sed nec constat sententia in primâ lectione; nec quadrat versus in alterâ: Itaque de sententiâ Aleandri legimus, *Perituram adulant.* quam ille sine dubio de Codice aliquo protulit emendatiore.

1170. *Vbi hanc anilis exspuam lethi moram?*] Alij, nullo sensu, *expiem.* In Thyeste,

Ferro peremptus, spiritum inimicum expuat.

Comicus eodem modo dixit, *exspuere ex animo molestiam.*

1173. *Infantibus violenta, virginibus venis, Vbicunque properas, sæva:*] Hæc bona distinctio. *Violenta infantibus*, propter præcipitatum Astyanactem: *sæva virginibus*, propter Polyxenam occisam, Cassandram violatam, reliquas captas.

IN

IN MEDEA.

Versu 3. *Tiphyn novam frenare docuisti ratem.*] Lectio vulgata est melior, quàm *formare* in veteri libro: quia enim dicit *domitorem freti*, aptiùs convenit *frenare*, quasi indomitum vi cogere.

48. *- vagum Funus per artus.*] Funus vagum, quia colligendum fuit dispersis longè lateque Absyrti lacerati membris.

179. *Medea, Colchi noxium Æëtæ genus,*] Coniungenda, *Colchi Æëtæ.* & legendum, *Æëtæ, & diæretice.* vt Ovidius,

Excipit hospitio iuvenes Æeta Pelasgos.

Quem locum Bernardinus interpres adducit. Idem,

Dissimilemq; animum subijt Æeta relictus.

Quas lectiones apud Ovidium dum nonnulli mutant, in angustum se conijciunt.

191. *Monstrumque sævum,* &c.] In Manscripto, *Monstrum superbum, horribile.*

197. *I, querere Colchis.* MED. *redeo: qui avexit, ferat.*] In libro antiquo, approbante Bernardino,

I, quære Colchos. MED. *redeo, qui advexit, ferat.*

Quasi dicat, Si regna mea tibi displicent, patriam repete. *Advexit* etiam huic loco respondet magis, quàm *avexit.* Repeterem sanè patriam, si comes is esset, qui huc me adduxit.

362. *Maiusque mari Medea malum.*] Eubulus, κακὴ γυνὴ μήδεια. Euripides, λέαιναν, ἢ γυναῖκα, μῖσος θεοῖς τε, πάντι τ' ἀνθρώπων γένει. Eius immanitas in proverbium abijt. Vnde illa apud Ovidium, *Medea Medea forem.*

382. *Incerta, qualis entheos cursus tulit,*]. τὸ ἔνθεον apud hunc Poetam, pro sacro & furioso .*Enthei* sunt qui impetu quodam divino rapiuntur. In sacris Bacchi; vt hîc, & in Oedipo,

Vibrate thyrsos, entheâ potiùs manu Lacerate.

In sacris Apollinis; in Agamemnone,

Effrena Phœbas entheas laurus quatit.

In ſacris Cybelis; Martialis,

Cùm furit ad Phrygios enthea turba modos.

Fuit hoc nomen Antiocho, Soteris filio, regis Syriæ, vt *Entheus* diceretur.

507. *- abdico, eiuro, abnuo.*] Manuſcriptum, *-abdico, abiuro, abnuo.* παρόμοιον eſt.

659. *Nauplius præceps cadi, in profundum Patrio pendit crimine pœnas,*] Sequitur in hac ſtrophâ poſt octo verſus vnus Adonius, quod fit idem in cæteris. Sublatis igitur ſuperfluis dictionibus extremam partem ſic lego,

Nauplius præceps adit, atque pendit
Crimine pœnas.

Qui libros antiquos invenerint, hunc locum conferent.

748. *Vosque quas vrnis foratis*] In Manuſcripto, *Vos quoque vrnis quas f. i l. l.*

806. *Frenare neſcit iras Medea, non amores.*] Lego, *non ſcit iras M. n. a.* Periphraſis mulieris ἀχαλίνου. *Non ſcit*, pro *neſcit*, antiquum eſt. ita *non quis*, pro *nequis*. Cæcilius in Plotio,

Vivas vt poſſis, quandò non quis vt velis.

Ita reſolutio *non ſcire*, pro *neſcire*, Comici characteris eſt,

878. *Dux noctis Heſperus.*] Claudicat carmen. In vetuſtis verbum integrum eſt, *D. n. Heſperugo.* Nec aliter Cælius Secundus hunc locum citat. Veneris ſtella (inquit Vitruvius) poſt Solis occaſum apparens in cœlo, clariſſimeque lucens, Veſperugo vocitatur.

IN AGAMEMNONE.

Verſu 35. *Avo parentem, prò nefas, patri virum,* &c.] Lego è loco ſimili,

Avo nepotem (prò nefas) patri virum.

Ita enim alibi,

Idem ſororis gnatus, & patris nepos.

Item,

Gnatus Thyeſte. CL. *ſi parum eſt, adde & nepos.*

Ad

Ad hunc locum & alios intelligendos, flagitia Pelopidarum enumeranda sunt. In eâ gente Tantalus Pelopem filium Dijs epulandum appoſuit, & Atreus fratri Thyeſti filios tres comedendos dedit. Pater filium egit in exilium, Atreum Pelops: fratrem pepulit frater, Thyeſtem Atreus: gener ſuſtulit ſocerum, Pelops Oenomaum: pater filium, Atreus Pliſthenem: pater item filiam, Agamemnon Iphigeniam: maritus uxorem, Atreus Aeropen: vxor maritum, Clytemnæſtra Agamemnonem: filius matrem, Oreſtes Clytemnæſtram: nepotes ſuos occidêre patruos, Ægiſthus Atreum, & Oreſtes Ægiſthum: frater necavit germanum, Atreus Chryſippum: patruelis patruelem, vt Tantalum Agamemnon, Aleten, Oreſtes: patruelis filios, Ægiſtus Pelopem & Teledamum. Sævierunt ferro in ſeipſas, Hippodamia vxor Pelopis, & Pelopeia filia Thyeſtis. Ægiſthi nurus numeratur inter eas quæ ſcelere ſunt infames, ab Ovidio de Ponto; de quâ alibi non legi. In eâdem familiâ vitiavit pater filiam, Pelopeïam Thyeſtes: levir glorem, vt idem Aeropen: patruelis patruelē, vt Oreſtes Hermionem, patruelis affinem, vt Ægiſthus Clytemnæſtram. A Pelopidarum igitur urbe atque arce, propter tot parricidia & inceſtus, Sol iubar ſuū avertiſſe dicitur, & Pleiades curſum retrò egiſſe perhibentur. Pelopidas ſcripſit Accius, tragicus antiquiſſimus, quorum gens ἄτυλος οἶκος à Xenarcho, & δυσυχῶν δόμος ab Euripide nominatur.

62. *Alia ex alijs cura fatigat,*] Liber vetuſtus, *Alia ex aliâ c. f.* Solent auctores hoc numero ferè vti. Terentius in Hecyrâ: *Aliud fortaſſe alij vitium eſt.* Euripides in Bacchis, ἐτέρα δ' ἔτερος ἔτερον ὄλβῳ καὶ δυνάμει πυρῆλθεν. In Oedipo,

Luctuque in ipſo luctus exoritur novus.

111. *Et ſceptra caſtâ iuncta tutari fide*] In Manuſcripto, *vidua tutari fide.* quod verbum gravius eſt, quia maioris amoris atque fœderis. Paulò poſt, *Decem per annos vidua.*

124. *Sors iſta fecit, te decet maius nefas*] Sana lectio eſt, *Soror iſta fecit.* ſeſe enim Clytemnæſtra exſtimulat Helenæ ſororis exemplo. Soror, ait, maritum odit, decepit, deſeruit; me maius aliquod patrare facinus convenit,

quia tentat maritum manu suâ interficere. quod etiam nefas ope adulteri mox perficiet.

137. *Fessus quidem & devinctus*] Alij, *deiectus*; idque ad sententiam melius facit. Vt enim pudor oculos deiicit in terram; ita ipsa deiecit pudorem ex animo. Vel est mutatio præpositionis, *deiectus* pro *abiectus*.

185. *A pellice unquam, vel suus cælebs torus*] Plus elegantiæ habet & veritatis, quod est in libro veteri,

- Ne've desertus foret
A' pellice unquam barbarâ cælebs torus.

188. *Hem Paridis hostem*] In Manuscripto, *En Paridis hostem*, vt sit demonstrantis. Eadem in Hecyrâ Terentij diversitas, *Hem duxit*: ubi Interpretes legunt, *En duxit*. Mihi si dicendum est, magis hoc loco placet indignantis, quàm aut irridentis aut demonstrantis oratio.

207. *Hunc fraude nunc conaris insana aggredi.*] In Manuscripto legitur,

Hunc fraude nunc conaris & furto aggredi.

Adiectivum in vulgari lectione vehementem reprehensionem temeritatis habet.

428. *Et clara lentum regimen emonuit tuba.*] Hoc mendum librariorum est; nam sic in veris Codicibus,

Et clara lentum remigem monuit tuba.

In quâ lectione aperta est sententia; vulgaris enim coniecturâ assequenda, & polienda ingenio est, quo plerumque hallucinantur homines, non adiuti ab exemplaribus. Tubâ vocantur nautæ ad iter faciendum. Ita in Troade,

Et tubâ iussi dare vela nautæ.

444. *Fususq; transtris navita.*] In Antiquo non *navita*, sed *miles*. nam paulò antè dixit,

Ad militares remus aptatur manus.

448. *Sparsum cruore regis Herceum Iovem.*] Miror quis in margine & hoc loco & infrà annotavit, *Herculeum Iovem*, cùm *Herceum* jampridem restituerit Caietanus, ad quam aram Priamum cæsum poëtæ Græci & Latini tradiderunt. Mox v.

451. *Tyrrhenus omnis piscis exsultat freto*, per piscem Tyrrhenum accipitur delphin, in quem piratæ Tyrrheni

vnde-

vndeviginti, Ovidio teſte, mutati ſunt, qui Bacchũ vendituri in Aſiam è Naxo avehebant. Navis eorum in vites, malus & remi in ſerpentes abeunt, ipſi in belluas.

506. *Sed fracta toto puppis Ionio natat, Nil ratio & uſus audet, in magnis malis.*] Diverſa lectio in Veteri, quam vulgatæ antepono,

Sed trunca toto puppis Ionio natat,
Nil ratio & uſus audet, ars ceſſit malis.

Truncam puppim vocat claſſem ventis laceratam. Tempeſtatem verò illam pronunciat periculoſam, in quâ nec conſilium, nec experientia, nec ars ipſa valet. Ita de navi Virgilius,

-cedit, quoniam ſpoliata magiſtro eſt.

-hoc toto impetu Certum-] † Pontanus citat, *impetu tortum.* eaque optima lectio eſt.

† Iovianus Pontanus de fortitud. lib. 1.

536. *Ratisque partem ſecum, & Aiacem tulit.*] Ita ſcripſi ex eiuſdem citatione.

589. *Quàm mortalibus heu dulce malum additum,*] Hoc modo ſcripſit qui verſui ſequenti voluit hoc carmen eſſe ſimile: ſed in Manuſcripto legitur,

Heu quam dulce malum mortalibus additum,

vt ſit hexameter μετρουρὸς, è qualibus librũ integrum Sapphonem poëtriam ſcripſiſſe, Attilius tradit grammaticus. Sunt hoc loco mirè confuſa carminum variorum genera, vt ſupra Chori Bacchici, in Oedipo.

671. *Ramo cantat triſtis aëdon,*] In Vetuſtis eſt,

Ramo cantat querula Edonis,

eadem ſententiâ: intelligit Edonim Philomelam quam rex Thraciæ Tereus impotenter & nefariè compreſſit, quæ poſtea in ſui nominis avem canoram eſt mutata. Eſt autem Edon, vt Servius; ſeù Edonus, vt Strabo; mons Thraciæ, à quo populi ipſi Edonij, fluvij Strimonis accolæ.

727. *Nox atra, & æther abditus tenebris latet.*] Aliter in vulgatis lectum fuit; ſed hanc lectionem exprimendam cenſui, tanquam meliorem.

819. *-alternis nomen Stella quæ mutat.-*] *Alternis*, deeſt *vicibus*; pro *alternatim.* quia poſt occaſum dicitur Heſpe-

rus, ante ortum Lucifer. Integrum est in Hippolyto,

-Vomitque vicibus alternis aquas.

Corruptus Paulini locus in Niceta,

Psallet alternis citharista.

Vbi in vulgatis legebatur, *æternis*, nullo sensu.

911. Fugito sceleſtas] Lege, *Fuge sceleſtas:* vt repetitio fiat eodem tempore. Vltima cur producatur, est evidens. Ita in Hippolyto,

Immugit, omnes vndique scopuli adstrepunt.

965. Regina frangam citius. EL. Interea mihi,] Alia distinctio, & alia lectio Manuscripti; nempe eiusmodi,

Regina frangam. EL. mitius interea mihi
Tu vidua loquere.

Et eam sanè sinceram esse iudico.

IN HERCVLE OETÆO.

Versu *22. Vidi silentum fata, nec tamen redij,*] Probo magis lectionem antiquam,

Vidi regentem fata, nec tantùm redij.

Eodem modo in Pinciană editione.

39. -in tutum meas Laudes redegi.] In impressis, *Laudes recepi*; quod minùs placet.

46. -Terra defecit gradum.] Lego, *T. deseruit gradum:* quia dehiscens viam Herculi ad Inferos præbuit, & aperta rursus reditum ei non negavit.

104. Par ille est superis. &c.] Hemichoria prima habet choriambicos, & est vox Chori: altera anapæsticos, & est querela Ioles: finis Chori eodem genere metri clauditur. Ponuntur hæc coniunctim, quasi scenæ vnius loco.

228. Patiens quisquis novit famulum Regemque pati:] Quod in hoc loco defuit, id sarcivimus ope libri veteris. in quo sic legitur,

Regemque pati, vultusque suos
Variare potest, vires pepulit &c.

284. Est aliquid Hydrâ peius,] Pontanus, *Hydrâ potius,*

quem

quem vſum exemplari valdè correcto, ex alijs quoque locis deprehendimus.

320. *Sternctur omne, nam tuum gens Hereulem*] Rurſus addimus verſum, qui omiſſus fuit,

Sternetur omne: ſæva, iandudum faces
In te ferentur: vindicem tellus ſuum
Defendet omnis.

371. *Hoſpes Tymoli Lydiam fovit nurum,*] Ita Ovidius VI. Metamorphos.

Deſeruëre ſui Nymphæ vineta Tymoli.

Stephanus ait, Τύμωλον dici integrè, ſed Τμῶλον κατὰ ποιητικὸν χημαπισμὸν. Scribunt hoc nomen per *i* ſimplex, Pontanus, Barbarus, Aldus, Curio: idem triſyllabum eſſe contendunt, Tortellius, Regius, Placentinus. Alij contra diſſyllabum eſſe probant,& locum Ovidij atque Tragici noſtri emendant: nam ſupra dictũ eſt in Thebaide,

Hinc nota Baccho Tmolus attollit iuga.

Et Ovidius XI. - *riges arduus alto*
Tmolus in aſcenſu.

Hanc Grammaticorum controverſiam Stephanum puto ſuſtuliſſe, qui alterum integrum ait, alterum poëticè figuratum atque conciſum. Tmolus nomen montis in Lydiâ, qui celebratus fuit ſpeculâ candidâ à Perſis in eo conditâ, vnde fortaſsè dictus Ἱερμὰ Λυδίας: item fluvij, vt apud Theophraſtum, in quo coticula reperiatur δοκιμασὴς τοῦ χρύσου: oppidi præterea, cuius alij meminerunt. Servius ait montem eſſe Ciliciæ; quem vt nonnulli defendant, hunc locum citant Ovidij,

Ardet Athos, Taurusque, Cilix & Tmolus-.

Sed Taurum eſſe montem Ciliciæ, non Tmolum, iam pueri ſciunt; ideo etiam verſum Ovidij non probè diſtinguunt.

381. *Quas nemore nudo primus inveſtit tepor.*] *Inveſtit*, folijs ornat, tanquam veſtibus. Simili metaphorâ Ovidius,

At ſimul induimus noſtris ſua munera ramis.

Id eſt, poſtquam ramos folijs, tanquam indumento, veſtivimus.

525. *Hoc docta Mychale Teſſalas docuit nurus.*] Emendavi

Mycale ex XII Metamorphôſ. Ovidij. Fuit hæc è Lapitharum gente, – *quam deduxiſſe canendo*

Sæpè reluctantis conſtabat cornua Lunæ.

Alia eſt Mycale in quintâ ſatyrâ Iuvenalis, uxor civis Romani. Mycale etiam Ioniæ mons eſt, in libro ultimo Herodoti & decimoquarto Strabonis.

545. Non è ſagittis levibus, è numero precor, Graviore profer.] Non *è numero*, ſed *è nervo* in Manuſcripto. Defendi vtrumque poteſt; & affirmatu difficile, vtrum Tragicus ſcripſerit.

619. Clarus latas ire per vrbes:] Agnominatio in libro vetuſto non inepta,

Clarus claras ire per vrbes.

683. Medium cœli cùm pergit iter,] Aliàs, *dum ſulcat iter*; quâ ſimilitudine dixit paulò ante, *ſecat ſidera.*

730. Quas vere primo lubricus perdit Mimas.] Huius montis in minore Aſiâ nomen, in multis libris omiſſum, in aliquibus depravatum fuit: quod integrum permanſit ſuprà, in Hercule furente. Hunc Strabo vocat Εὔυδρον, καὶ πολύδενδρον, Homerus καρηκομόωντα, Tragicus noſter *lubricũ*, proter nives liqueſcentes. Notũ eſt ſomnium Valentis Imperatoris, quo cùm admoneretur, vt à Mimante caveret, eius familiares de hoc monte expoſuerunt. Sed in eo, quo perijt, tugurio inventum marmor, quod Mimantis cuiuſdam appellationem inſcriptam habebat, qui præfectus Macedonum fuerat. Mimas vnus extitit è centauris, vt eſt apud Herodotum: item vnus è gigantibus, qui monti huic nomen impoſuiſſe creditur: de quo in Ione Euripides. Emendandus Silij Italici locus lib. XII.

Appâret Prochyte, ſuum ſortita Mimanta.

Nam in Aldinis *Numanta* legitur: hic premitur Prochyte inſulâ, vt Silius: totam inſulã Lemnon in Deos coniecit, vt Claudianus: unde non temerè Horatius III Carm.

Typhoëus, & validus Mimas.

893. Vinci Hercules non potuit, hinc cœpit mori.] Hanc lectionem veram repoſuimus, alterius mentione prætermiſſâ, quia indigna eſt.

Æter-

1034. *Æternum fieri nihil.*] Hæc Orphei ſententia repetitur libro ſecundo apud Boëthium,

Conſtat, eternâ poſitumque lege eſt,
Vt conſtet genitum nihil.

Sed in Orphei libris,qui eius nomine nunc circumferuntur, non extat. Eius loco Caſsij Parmenſis Orpheum, lepidiſſimum epigramma, ſubijciam, quod nuper inventum audio Florentiæ.

Argutæ primùm cùm plectra parentis, & auro
Diſtinctam ſumpſit citharam Rhodopeïus heros,
Ridebant ſegnes pulſus, digitosque micantes
Seriùs, & chordis indoctæ diſſona vocis.
Mox pudor exardens, & gloria dulcis honeſti
Luſibus avertit puerilibus; omnis & illuc
Perditus incumbens, Muſæ pallebat amore:
Et nunc maternis inhiat nunc ille paternis
Cantibus; hinc illinc diſcens, dependit vtrinque.
Nulla Venus faciem cepit mentita doloſis
Compedibus: ſomni fuerat parcusque Lyæi:
Donec, ridiculus dudum, modulamine ſilvas,
Convulſosque ſuis ſcopulos radicibus egit;
Auſus & ire viam mortalibus inconceſſam,
Pœnarum oblitus demulſit carmine Manes.
Non levis aſcenſus, ſi quis petit ardua. ſudor
Plurimus hunc tollit. nocturno exſomnis olivo
Immoritur: delet, quod mox laudaverat in ſe,
Qui cupit æternæ donari frondis honore.

1137. *Nunc parte in omni Iupiter ſpecta poli.*] Vetus,*Nũc partem in omnẽ.* Sæpè autẽ incidit iſta caſuũ ἐναλλαγή. Suprà,

Nunc parte ab omni genitor iratus tona.

1142. *Cœloque reddet*] In Antiquo, *Cœlumque reddet.*

1164. *-nec ullus per meum ſtridit latus.*] *Stridit* pro *ſtridet*,& *cludit* pro *claudit*, in huius Poëtæ exemplis vetuſtis legitur perpeluò.

1170. *O miſera virtus!*] Verſus integros, quibus virtutẽ accuſat Hercules,ex antiquâ Tragœdiâ adducit Dion;

ὦ τλῆμον ἀρετὴ, λόγῳ δ' ἄρ' ἦσθ', ἐγὼ δέ σε
ὡς ἔργον ἤσκουν, σύ θ', ἆρ' ἐδούλευες τύχῃ.

Ad

Ad quos alludit Poëta Lyricus,

Cùm fracta virtus, & minaces
(Turpè) ſolum tetigêre mento.

Quos Horatij verſus qui de ſuo iudicio correxit, & facere meliores voluit, auctor recentior, ſuam nimis prodidit audaciam.

1234. His'ne ego lacertis] Particula prænomini adhærens, alijs quoque locis ab invenuſto quodam homine addita: legendum enim, *His ego lacertis.* Ità Ovidius IX. Metamorphoſ.

His eliſa iacet moles Nemeæa lacertis?

Pro *hiſne.* Ita paulò pòſt, v. 1242. *Hæc illa cervix?* Quomodò è Sophocle Cicero, *Hæc dextra Lernam*, pro *hæc ne dextra.* Habet prænomèn iſtud non tantùm vim in demonſtrationibus, verùm etiam interrogantibus & admirantibus convenit.

1271. -Durior ſaxo horrido Et chalybe-] Amat Tragicus noſter ſequi Ovidiũ, de quo ſimilitudines iſtas deſumpſit ex XIIII Metamorphoſ.

Sævior illa freto ſurgente, cadentibus hœdis,
Durior & ferro quod Noricus excoquit ignis,
Et ſaxo quod adhuc vivum radice tenetur.

1350. -Victor Herculeus quis eſt?] In Antiquis, *victor Herculis*; quod mihi quaſi nervoſius videtur. Ita infrà,

Ne quis ſuperſtes Herculis victor foret.

Habet autem proverbij ſpeciem: quorum centurias quatuor ex hoc Poeta collegimus, cùm eius mentionem Paræmiographi nullam omnino (quod miror) faciant, excepto Eraſmo, locis tribus aut quatuor.

1358. O mater, Hydram & mille cum Lernâ feras Errare medijs credo viſceribus meis.] Vnum verſum tranſpoſui, è Manuſcripto.

1475. -Victor Alcide,] Caſus vocandi eſt: nam verba ſunt oraculi Dodonæi, quod Herculi olim datum fuit; nempe quòd ab hoſte defuncto eſſet interficiendus. Verba huius oraculi nuſquam legi; vt & illius quod Tragœdiâ quintâ de Oedipo commemoratur.

IN

IN OCTAVIA.

Versu *100. Toleranda quamvis patiar* &c.] Hæc scena à superiore non divellenda fuit, quod codex Manuscriptus indicat.

125. *Adijce his superbam pellicem nostræ domus*] Prima syllaba corripitur, more huius Poetæ : vt suprà in Thyeste,

Adijcitque fratri, colla percussa amputat.

Et in Hercule Oetæo,

Obijci feris monstrisque, virtutem putas?

173. *membraque & vultus Deo Similes volanti, flamma fœvens abstulit.*] In libro Regiomontani post hunc versum hæc verba ad marginem adscripta erant : *Hîc desunt triginta versus, secundùm aliquos; sed nihil deesse credo.*

412. *Decipere volucres, premere subiectos iugo Tauros feroces* &c.] Quæ verba hîc inserta fuerunt præter rem, ea sustulimus; quod conferenti apparebit.

463. *Invitus & contemptus*] Alij, *Invictus*. Ego *Invisus* reposui, è Manuscripto.

516. *Tristes Philippi, hausit & Siculum mare Classes,*] In nominis proprij fine nihil eliditur, & aspiratio sequens vim habet consonantis. Vt in Agamemnone,

Phœbe relaxa, humerosque graves.

636. *-in lucem edidi,*] In Vetusto, *in lucem dedi.*

827. *Et illa, cui me civium subijcit furor,*] Sic legendum, vt constet versus. Est autem eadem ratio syllabæ quæ antea fuit, *Adijce his superbam pellicem.* Ita Martialis lib. IV.

Nil adijcit penso Lachesis.

918. *Fugerem luctus ablata meos,*] Hæc lectio bona & propria. Ovidius I Metamorphos.

Crura nec ablato prosunt velocia cervo.

LECTORI.

Adagiorum illas quatuor Centurias, ex Seneca collectas, quarum in superioribus Notis ad Herculem Oetæum fit mentio, omisimus; tùm quòd magnam partem ne tantillum quidem illius quod in fronte promittunt, referant: tùm quòd editiones Fabricianæ extent, unde peti possint. Prodierunt eæ Lipsiæ ex officinâ Ernesti Vogelini, anno CIↃ IↃ LXVI. *Hoc volebam, Lector, nescius ne esses: vale.*

Excudebat

HENRICVS AB HAESTENS,

ɔIɔ Iɔ C XX.